EMBLEMATA ANNIVERSARIA ACADEMIAE NORIBERGENSIS, QUAE EST ALTORFFII

Universität Altdorf (Nürnberg)

Digitized by Google

Digitized by Google

4° Lat. recent. 41

Comparavit me sibi
Ratisbonæ 1651.
Matthæus Schmollius
Eccles. Orthodoxæ
Minister.
Emptionis jure nunc possidet à M. S. S.
Hos: Joachim Mülberger 99. 1685.

Emblemata universitatis Academiae Altorfinae studiosae
iuventutis excitandae causa proposita et variorum
authorum ingeniis expressa. Norimb. 1597. edit. prima

EMBLEMATA
ANNIVERSARIA

ACADEMIÆ NORIBERGENSIS,

QVÆ EST ALTORFFII: STVDIORUM JUVENTUTIS EXERCItandorum causſâ inde ab ann. *Chriſti* clɔIɔIɔLXXVII. uſq; ad annum clɔ Iɔ cxvi. propoſita; *Orationculis* eruditis & nervoſis in Panegyribus Academicis explicata; atq; in *IV.* Decadas diſtributa.

OPVS PHILOLOGICVM; MVLTIPLI eâ doctrinâ, inſignibq; rerum & materiarum varietate, inſtar Cornu copiæ, jucundiſſimum, & cujuſcunq; profeſſionis hominibus utiliſſimum.

EDITIO II. CUM INDICIB.

Curata Nurẽbergę *per Abr. Wagenman.*

ANNO clɔIɔ cxvii.

Digitized by Google

TYPVS ET INSCRIPTIO NVMMI ARGENTEI, QVI FVNDAMENTALI LAPIDI COLLEGII ALTORFFINI, AD POSTERITATIS MEMORIAM, ANNO P.S. ∞IↃLXXI. DE MORE VETERI INSERTVS FVIT.

D. O. M. S.

ANNO A NATO CHRISTO MDLXXI. ROM. IMP. DIVO MAXIMILIANO II. RESPUBLICA NORIBERGENSIS, PATRIBUS-PATRIÆ ET SEPTEMVIRIS EIUSDEM ANDREA IM-HOF, SEBALDO HALLER, JODOCO TETZEL, BALTHASARO DERRER, GABRIELE NÜTZEL, GEORGIO VOLCKAMER, ET THOMA LÖFFELHOLTZ; TUM OPPIDI PRÆFECTO BALTHASARO PAUMGARTNER; DOMUM HANC PRO GYMNASIO JUVENTUTI IN STUDIIS PIETATIS ET LITERARUM INSTITUENDÆ, A PRIMIS FUNDAMENTIS EXTRUI CURAVIT. IN CUIUS MEMORIAM GEORGIUS VOLCKAMER ET HIERONYMUS PAUMGARTNER, OB DEMANDATAM ECCLESIARUM ET SCHOLARUM PROCURATIONEM, HOC NUMISMA FF.

Digitized by Google

RECTOR ACADEMIÆ ALTORFINÆ

LECTORI BENEVOLO

S.

VT maximorum fluviorum parva admodum & contemta sunt capita & fontes: ita scientiarum quoq; omniumq; adeò studiorum nostrorum, incredibile est, quàm exilia & neglecta sint prima principia. Verùm in illis quidem affluxu rivorum, multorumq; fluviolorum, augmenta tandem expectare licet: in his verò, certi tantùm ordinis & institutionis ratio, incrementa & exoptatam ubertatem promittere potest. Est autem omnis rectæ institutionis laus in eo præcipuè sita, ut, postquam domi bonis moribus, tanquam usui dextræ manus, assuefacti sumus, &, ut ait Plato, didicimus rectè gaudere & odisse, *cæcus adhuc animus noster, & ad rerum perspicientiam nunc primùm exsurgens, pedetentim à facilioribus & dulcioribus, ad graviora & austeriora de-*

Digitized by Google

TYPVS ET INSCRIPTIO NVMMI ARGENTEI, QVI FVNDAMENTALI LAPIDI COLLEGII ALTORFFINI, AD POSTERITATIS MEMORIAM, ANNO P.S. ∞IↃLXXI. DE MORE VETERI INSERTVS FVIT.

D. O. M. S.

ANNO A NATO CHRISTO MDLXXI. ROM. IMP. DIVO MAXIMILIANO II. RESPUBLICA NORIBERGENSIS, PATRIBUS-PATRIÆ ET SEPTEMVIRIS EIUSDEM ANDREA IM-HOF, SEBALDO HALLER, JODOCO TETZEL, BALTHASARO DERRER, GABRIELE NÜTZEL, GEORGIO VOLCKAMER, ET THOMA LÔFFELHOLTZ; TUM OPPIDI PRÆFECTO BALTHASARO PAUMGARTNER; DOMUM HANC PRO GYMNASIO JUVENTUTI IN STUDIIS PIETATIS ET LITERARUM INSTITUENDÆ, A PRIMIS FUNDAMENTIS EXTRUI CURAVIT. IN CUIUS MEMORIAM GEORGIUS VOLCKAMER ET HIERONYMUS PAUMGARTNER, OB DEMANDATAM ECCLESIARUM ET SCHOLARUM PROCURATIONEM, HOC NUMISMA FF.

Digitized by Google

RECTOR ACADEMIÆ ALTORFINÆ

LECTORI BENEVOLO

S.

VT maximorum fluviorum parva admodum & contemta sunt capita & fontes: ita scientiarum quoq; omniumq; adeò studiorum nostrorum, incredibile est, quàm exilia & neglecta sint prima principia. Verùm in illis quidem affluxu rivorum, multorumq; fluviolorum, augmenta tandem expectare licet: in his verò, certi tantùm ordinis & institutionis ratio, incrementa & exoptatam ubertatem promittere potest. Est autem omnis rectæ institutionis laus in eo præcipuè sita, ut, postquam domi bonis moribus, tanquam usui dextræ manus, assuefacti sumus, &, ut ait Plato, didicimus rectè gaudere & odisse, *cæcus adhuc animus noster, & ad rerum perspicientiam nunc primùm exsurgens, pedetentim à facilioribus & dulcioribus, ad graviora & austeriora de-*

ducatur. Quemadmodum enim oculus è tenebris non poteſt ſubitò clariſſimam aſpicere lucem, ſed gradatim umbris quibuſdam utens, ad ſolis radios tutò progreditur: ita animus quoq; humanus (divinam illuſtrationem ſemper excipio) à ſumma ignorantia & cæca caligine, ad opiniones primùm & dubitationes, indeq; ſenſim & latenter ad veritatis clarum intuitum provehitur. Quodnam autem tenue illud & non inſuave inſtitutionis initium ſit, ſi animũ advertere velimus, natura ipſa, tacito quodã voluptatis ſenſu, ſatis nobis commonſtrat. Videmus enim ipſi, & clarè idem etiam docet, gravis in primis auctor, Dionyſius Halicarnaſſeus, poſtquã animi noſtri ſenſa proloqui poſſumus, vehementer nos verborum ornatu & frequentia, omniq; orationis comendæ ac poliendæ artificio, duci & delectari, immò in hoc ſtudio impetu quodã animi, mirificè laſcivire & deliciari. Et ſanè linguæ iſta cura, quæſitaq; lenocinia apparent his annis, in ſummorũ etiam virorum ſcriptis, ſi qua fortè vernante adhuc ætate ediderũt: ita aut facilè perſpici poßit, majorem tunc, aut certè non minorem illis verborum fuiſſe curam, quàm rerum. Neq; mirum: ut enim nobis caneſcentibus, unà quoq; caneſcit oratio: ita florentibus, floret. Cùm igitur primis ſtudiorum annis, ab ipſa natura commendetur

Digitized by Google

detur eloquendi facultas, quid nì in ea excolenda, primos quoq; labores, voluptate præsertim conditos, impendamus? Verùm quia exercitatio ista non potest suscipi, nisi res etiam aliquæ ei sint subjectæ (graviorũ autem rerum summa adhuc imperitia est;) observarunt etiam illud sapientissimi homines, fabularũ tractatione maximè ætatem ineuntem capi. Alexander enim Aphrodisiensis, qui solus dignitatem Philosophiæ Aristotelicæ olim sustinuit, eos pueros cæteris omnibus antepositi, qui fabulis delectabantur: quòd ea admirabilibus constent: in admiratione autem insit discendi quædam cupiditas. Atqui eadem hæc Alexandréa ratio convenit in Emblematum etiam usum. Vt enim fabulis, sic etiam Emblematis, rudis adhuc animus, ab rebus evidentibus, sive in natura expressis, sive ab arte factis, ad salubria vitæ instituta, non sine insigni voluptate traducitur. Hæc igitur prima illa exercitatio est, in qua adolescentia, nostro quidem judicio, omni studio est continenda: quæ ubi jam satis eam perpoliit, jam ad rationes aliquas probabiles videndas, & ad argumentandum, mentis oculi attolli solent. Quamobrem aliud nunc laboris genus subeundum, & orationibus in partes contrarias, inventrix humani animi vis excitanda & exacuenda est. Rhetoricæ enim &

Topicæ rationes, quæ persuadentes à Seneca vocantur, & splendentibus vitris sunt similes, quia exotericæ sunt, & popularem intelligentiam vix superant, non ita difficilem nunc habebunt inventionem: cùm præsertim ad eliciendum, quid in quaq; re verisimile videri possit, certis præceptis & locis à Philosophis quoq; adjuvemur. Atq; hanc quidem exercitationis consuetudinem Aristoteles etiam, ut auctor est Cicero, vehementer comprobavit. Adolescentes enim in thesi, non ad philosophorum morem tenuiter differendi, sed ad copiam rhetorum, in utramq; partem exercuit: quod Strabo vocavit θέσεις λογικὰς ἀγωνίζεσθαι. *Et habent omninò hujusmodi ancipites disputationes, in quibus de universo genere utrinq; copiosè disseritur, suum quoq; naturale voluptatis condimentum. In hoc igitur altero exercitationis stadio, postquam jam quoq;, quantum est satis, desudatum erit, tum demum maturitas esse incipit, ad eam rerum doctrinam animum transferendi, quæ rationibus cogentibus & adamantinis, ac principiis artis cujusq; propriis, innititur. Hæc verò magna quædam studiorum mutatio & conversio jam est. In prioribus enim tantùm rhetoricamur: in hac, sua quisq; in arte, philosophamur: in illis prima ferè verborum, secunda rerum cura est: in hac contrà, pri-*

ma re-

ma rerum, posterior est verborum: in illis suavitas quædam dulcis est atq; decocta: in hac, austera illa & solida. Itaq; etiam atq; etiam videndum, ne immaturum adhuc animum, & crudiora studia, ad principes illas & graviores artes, ipsamq; earum omnium matrem Philosophiam, temerè propellamus. A qua quidem præpropera festinatione (certissimo multorum adolescentum naufragio) clara voce olim juventutem revocavit Arcesilaus, inclamans, Non esse vellus portandum ad fullonem. *Revocare etiam nos potest egregia illa animi & corporis comparatio, quæ est apud Themistium. Simile quid, inquit, animo accidit, quod corpori. Nam parvuli primò sic jacent, ut neq; flectere se, neq; ingredi valeant. Deinde ut quadrupedes reptant. Tum erigunt se & incedunt ut bipedes, nec indigent comite, qui manum præbeat. Adeò verò promovent processu, ut jam & ad cursum vegeti, & ad omnes usus corporis firmi robustiq; sint. Eodem modo animus primùm res tantùm nominare potest, & intelligere quæ nominat. Tum componere & meditari. Postremò universalia quædam judicia & notiones scrutatur, quas simulatq; elicuit, in seipso deponit atq; consignat. Hæc autem omnia eò pertinent, primum quidem, ut qui apud nos istam, quam*

osten-

ostendimus, studiorum viam ingressi sunt, latentur rectam se esse ingressos, laudatam ab laudatissimis viris, & ab ipsa natura certa voluptate commendatam: deinde, ut absentibus etiam Academiæ nostræ instituta comprobemus. Triplicem enim illam, quam diximus, exercitationem perpetuò apud nos urgeri volumus: & reproducimus ex primo genere nunc classica adolescentum nostrorum progymnasmata, quorum partem aliquam superioribus annis publicè quoq; spectandam proposuimus, & jam ad quadraginta annos continuavimus. Exercitationes enim Aristotelæ pro thesi & contra thesin in utramq; partem *differendi, quas secundo loco suprà laudavimus, itemq; disputationes de artibus didascalica, quæ tertiam laboris Academici partem occupant, ad publicos jam professores propriè pertinent: & certum est nobis, summo quoq; studio ibi laborari, ut officii cujusq; ratio constet, ne quid vel negligenter omittatur, vel perturbatè & sine ordine committatur. Tu voluntatem nostram optimam faustis acclamationibus prosequere.*

PRIMA

PRIMA PANEGYRIS SCHOLÆ ALTORFFINÆ,

Anno 1577. celebrata:

SUB RECTORATU D. D. JOHANNIS-THOMÆ FREIGII, JC.ti

INVITATIO AMPLISS. SENAT. NORIBERG. AD HUNC I. PUBLICI congressus actum;

recitata ab

HIERONYMO BAUMGARTNER, PATRIC. NORIBERGENSI.

NON audacia aut temeritate ulla impulsi, Viri omnium Amplissimi, & claritate generis, virtute ac prudentia haud vulgari præstantissimi, verùm potius authoritate & voluntate Magistratus nostri Scholastici adducti, hoc adeundi & compellandi Magnificentiam & Amplitudinem vestram onus honestè suscepimus. Non enim vel adeò temerarios, vel etiam impudentes nos natura finxit, ut sine probabili ratione eam rem magnam quidem & satis arduam aggrediamur. Itaque veniam nobis, pro ea, qua præditi estis humanitate & prudentia singulari, haud gravatim dabitis, & hoc, quod in mandatis habemus, benignè & benevolè audietis. Meministis Viri Magnifici, Scholam nuper Altorffii cõstitutam & apertam, diemq; illum Apostolorũ Petri & Pauli solenni introductione sacrum, publicis etiam in

posterum classium progressionibus sapienti consilio destinatum, ut non modò tanti beneficii, constitutionis scholæ nimirum divinitus adjutæ memoriæ conservetur, celebretur & ad posteritatem propagetur: verùm ut & illius incrementa non aspernanda, docentium fides & sedulitas, juventutis denique labor & industria quàm plurimis innotescat. Pietatis enim est, divinum hoc beneficium, & summum in vitâ bonum, quo laudatissima Noribergensium Respubl. à Deo Opt. Max. ornata est, debita cum reverentia agnoscere, & illud inter reliqua citra ullam intermissionē grata mēte celebrare, nihilq; prius aut antiquius diuturna hujus memoriæ conservatione ducere: prudentiæ verò non vulgaris, illas ipsas progressiones peculiari quadam solennitate ac ritu insignes simul introductas esse, ita ut non solùm doctiores eruditionis suæ specimen edant, præmia accipiant, primasque inter cæteros teneant: verùm ut & rudiores hac ratione & spectaculi celebritate ad studiorum amorem, & in discendo diligentiam majorem invitentur, & quasi instigentur.

Cum itaque Viri Amplissimi & Prudentissimi dies ille festivitati huic scholasticæ legitimè consecratus appropinquet, & examine per totum Gymnasium à Magnifico Domino Rectore & cæteris ipsius collegis hisce diebus instituto, mores & ingenia discentium satis explorata esse videantur, nihilque restat amplius, quàm ut nonnullis ad superiores classes ascensus, nonnullis verò publicas audiendi lectiones facultas interveniente Magnificentiæ & Amplitudinis vestræ præsentia honorificè concedatur: Ea tandem, qua par est, animi subjectione & observantia Magnificentiam Vestram, adeoque universum inclytæ Reipubl. Noribergensis Amplissimum Senatum, cæterosque de Gymnasio & studiis nostris non malè meritos, totius Collegii ac Scholæ nomine obnixè rogamus, ut ad cætera in nos innumerabilia officia & hoc addant, atque sua præsentia hanc ipsam solennem Panegyrim ad dictum diem Apostolorum Petri & Pauli memoria celebrem, cohonestare non dedignentur, quò ita & studiosa juventus & reliqui Spectatores aliunde advenientes, cujuscunq; sint conditionis ac dignitatis, Magnificentię Vestræ, adeoque totius Amplissimi Senatus Reipub. Noribergensis erga nos & humanitatis studia pro-

dia propensam voluntatem ac benevolentiam haud obscurè cognoscant, & prædicent, quodq; omnium maximum est, pari etiam amore & favore ea complecti & prosequi contendant.

Pro hac benevolentiâ, nequaquam in minimis habenda, debitam gratitudinem, cum perpetuâ observantiâ & obedientiâ conjunctam, sortius Gymnasii tutelæ Amplitudinis Vestræ subjecti nomine reverenter & submissè pollicemur. *DIXI.*

PROGRAMMA PRIDIE DIV. PETRI & PAVLI eod. Ann. PP.

RECTOR GYMNASII ALTORPHIANI STUDIOSIS S.

SOLON prudentissimus Athenienſium legislator Rempub. duabus rebus contineri dicebat, Præmio & Pœna. *Quod quanquam vir ille ſummus de politico hominum cœtu dixit: non video tamen, cur non etiam de Republ. noſtra literaria idem dicere liceat. Nam in hoc Philoſophico ordine non minus quàm in civili ſtatu, hominum virtutes & benè facta in luce collocanda: omni genere honoris & præmiorum remuneranda: & aliorum exemplo alii ad virtutis decus & laudem incitandi ac commovendi ſunt. Cùm itaque proximis diebus, inſtituto per Gymnaſium noſtrum examine, adoleſcentum, noſtræ diſciplinæ commiſſorum, ingenia & mores exploravevimus: & ex his quoſdam non tantùm ſuperioribus cenſibus, ſed & præmiis dignos invenerimus: ex voluntate & authoritate noſtrarum legum ſolennem Panegyrim in craſtinum diem, D.D. Petro & Paulo ſacrum, indicendam ſtatuimus: ut & honorum & præmiorum largitio illis, qui ea meriti eſſent, tribueretur. Quamobrem omnes & ſingulos ſtudioſos rogatos volumus, ut cras tempeſtivè ad Gymnaſii xyſtum ſe conferant, nos ibidem expectent, ad ſacram concionem comitentur, & ea finita, Panegyri in* ἐρκεδανείῳ *frequentes ad finem uſque interſint. Quod eos pro eâ, quæ ſtudioſos obedientes decet, obſervantiâ facturos confidimus & ſperamus.*

ORATIO PANEGYRICA PRÆLIMINARIS, HABITA

à

JOHANNE-THOMA FREIGIO, JC.

NOn ignoro, Viri Ampliſſ. generis nobilitate, eruditione, prudentia præſtantiſſ. Voſq; Auditores cæteri: in loco ad agendum ampliſſimo, ad dicendum ornatiſſimo verba facturum, nil niſi perfectum ingenio, elaboratum induſtriâ, gravitate & novitate inſigne afferre debere. Prudenter enim & rectè à morum vitæque magiſtris traditum eſt, in omni officio & munere conſiderandum, diligenterq; animadvertendum eſſe, quid aptum ſit: quid perſonis temporiq; conſentaneum. Cum itaque in hac prima Panegyri (quod felix fauſtumque ſit) Noribergenſis Reipubl. præſtantiſſima lumina, quorum neque opes, neque honores, neque generis & nobilitatis ſtemmata in occulto eſſe poſſunt, aſpicio & conſidero: ſatis intelligo, id quod tanta hujus loci & conſeſſus autoritas etiam tacita loquitur, nullum argumentum, niſi gravitate præſtans, & novitate jucundum, tam eruditis & politis auribus eſſe obiiciendum. Ne quis ergo veſtrûm miretur, me in leviore aliquo argumento verſari ita voluiſſe, ut relictis gravioribus hiſtoricorũ, philoſophorum, juriſperitorum diſputationibus, puerilis alicujus argumenti materiam ſelegerim, & in hoc theatrum vulgarem aliquam & tritam de claſſicis ordinibus, & Grammaticæ, Rhetoricæ, Logicæque laudibus declamatiunculam adduxerim: is, ſi negotii totius rationem ſecum conſideraverit, unà & quod facio probabit, & in hoc argumento conſilium noſtrum minimè reprehendendum putabit.

Noſtri Gymnaſii legibus ita comprehenſum noſtis, ut ſingulis annis hoc ipſo die, quo hanc primam Panegyrim celebramus, ſtudioſorum

sorum literis & bonis artibus deditorum adolescentum, in quibus præclarior indoles & studiorum majores fructus apparent, progressio instituatur: ita tamen ut legitima & solennis tum in moribus, tum in eruditione exploratio antecedat. Cùm ergo superioribus diebus ego & collegæ mei doctissimi, iidemq; humanissimi, nostri literarii populi opes ingenii, moresque animi recensuissemus: plerosque tales deprehendimus, ut ex inferioribus quasi tribubus altius ascendere, & in superiores classes transferri debere existimaverimus. Quamobrem adeste animis æquis, & si quam expectationem de magna aliqua caussa habuistis, eam deponite: & ad studiorum nostrorum juvenilem considerationem judicationemque vos demittite. Nam si unquam de fructu vestræ liberalitatis: si unquam de spe & expectatione, quam de schola vestra concepistis, certius judicandi potestas vobis fuit: hoc profectò tempore potestatem optimam habetis, ut statuatis, an rectè ab initio hanc scholæ constituendæ cogitationem susceperitis, & an susceptam in posterum retinere vel abiicere debeatis. Quid enim eo labore & sumtu, cui nullus fructus respondeat, ingratius aut inutilius? quid contra, cùm digna operæ precia sequuntur, gratius aut utilius? Cùm igitur hanc puerilem & quasi ludicram causam in hoc amplissimum theatrum hodie adduxerimus: in re & causa puerili, argumentum quoque puerile mihi suscipiendum tractandumque existimavi: eoq; magis, quòd tanta ingenii mei vis non est, ut, etiamsi velim, possim quoque in aliquod majus argumentum excurrere. Statui igitur hoc quidem tempore (nam fortasse aliàs lautius aliquid fiet) primùm de nostræ literariæ Reipub. Classibus dicere: deinde adolescentes ipsos in ipsam aciem & castrensem pulverem educere.

Quod ergo ad Classes attinet, non modò Philosophos, sed & præstantissimos quosq; populos, in civium suorum distributione, hanc per classes dividendi viam rationemque tenuisse video. Plato lib. 6. de legibus cives suos in quatuor τιμήματα (sic enim Græci vocant, quas classes Romani dixerunt) divisit, ex quibus is, qui quatuor minas, hoc est, quadraginta scutatos numos possideret, primi census: qui tres, secundi: qui duas, tertii: qui unam, quarti & infimi censu habere.

haberetur. Quod si quis præter hæc, aliud aliquid possideret, id omne publicum esset. Sic enim ait ille Philosophorum Deus: ὁμῶ μέγιστον τίμημα ἔχων, πεντάρων μνῶν. ὁ δ' δεύτερον, τελῶν: ὁ δὲ τρίτος, δυοῖν μναῖν. Μνᾶς δὲ ὁ πέμπτος, ἐὰν δὲ τις ἕτερον φαίνηται ἐπὶ παρὰ τὰ γεγραμμένα κεκτημένος, δημόσιον μὲν ἔστω τὸ τοιοῦτον ἅπαν. Aristoteles quoque in politicis, Athenienſium populum à Solone in quatuor τέλη ſeu claſſes diviſum fuiſſe, ſcribit: quarum ſuperiores tres nobilium & divitum fuerint: prima quidem τῶν πεντακοσιομεδίμνων, hoc eſt, eorum qui cenſum quingentorum medimnorum ſeu mille amphorarum haberent. Secunda eorum, qui Græcè ζευγῖται, Latinè quaſi jugarii dicebantur. Tertia verò ἱππεῖς, hoc eſt, equeſtris appellabatur. Quarta denique & infima erat opificum & mercenariorum, qui ad magiſtratus non admittebantur, eaque vocabatur τὸ θητικόν. Eadem ferè à Plutarcho in Solone ſcribuntur his verbis: τὰς ἐν ξηροῖς ὁμοῦ καὶ ὑγροῖς μέτρα πεντακόσια πιθήνας, πρώτας ἔταξε καὶ πεντακοσιομεδίμνους προσηγόρευσε. δευτέρας δὲ τὰς ἵππον τρέφειν δυναμένας ἢ μέτρα ποιεῖν τριακόσια: καὶ τούτους ἱππάδα τελοῦντας ἐκάλει. ζευγίται δ' οἱ δὲ τρίτοι λεγόμενοι ἀνομάσθησαν: οἷς μέτρον ἦν συναμφοτέρων τριακοσίων, οἱ δὲ λοιποὶ πάντες ἐκαλοῦντο θῆτες, οἷς οὐδεμίαν ἀρχὴν ἔδωκεν ἄρχειν. Eodem fere tempore, quo Solon Athenienſes in quatuor cenſus, Romæ quoque Servius Tullius VI. Rex populum Romanum univerſum jurejurando adactum fortunarum ſuarum æſtimationem apud ſe profiteri coëgit, eumque ex cenſu in quinque claſſes diviſit: nam ſextæ (quæ proletariorum & capite cenſorũ fuit) nulla ratio habebatur. A quo more cenſendi, Romanis claſſici dicebantur non omnes qui in claſſibus erãt; ſed primæ tantùm claſſis homines, qui centum millia æris, hoc eſt, mille coronatos, ampliúsve in cenſu profeſſi eſſent. Infra claſſem autem appellabantur, qui in ſecunda & ſequentibus claſsibus erant, hoc eſt, qui minore ſumma cenſi erant. Et hinc etiam claſſici teſtes dicebantur, qui ſignandis teſtamentis adhibebantur, hoc eſt, primæ claſſis homines, quaſi primæ autoritatis & idonei veritatis ſponſores, omniq; exceptione majores. Unde & autores claſsici à Gellio dicti ſunt, quaſi idonei latinæ puritatis teſtes, & primæ notæ ſcriptores, ut ſunt Cicero, Cæſar, Virgilius, Terentius.

Hanc

Hanc à Philosophis & politicis civilis populi distribūtionem, scholæ postea secutæ, & ex omnibus quidem, quas nosse & de quibus audire potui, prima Parisiensis fuit, quæ sui populi cives in certas classes pro ingenii divitiis & opibus distribuit: quā Parisiensem, Argentinensis deinde, eandemq; hæc nostra imitata est. Quamobrem sicut in Platonis distributione, ii, qui unius minæ fortunas possident, infimi census sunt: ita in hac nostra Republ. ii, qui unam artem, Latinam scil. Grammaticam tenēt, quartę classis sunt: qui duas, hoc est, Grammaticam Latinam cum Græca, tertiæ: qui utramq; cum Logica, quasi trium minarum divitias adepti sunt, secundæ: qui deniq; tres illas cum Rhetoricâ conjungunt: primæ classis cives sunt; si qua plura & lautiora artiū patrimonia ab his possidentur: ea non amplius privata, sed publica censentur. Et quemadmodum apud Romanos census eam formam habuit, ut singuli cives singula prædia tam urbana quā rustica, servorum item, pecudumq; numerum & pecuniæ vim, fundorumq; instrumenta sigillatim profiteri cogerentur: eaq; omnia in censorias tabulas referentur: ita nullus nostræ Reipub. municeps est, qui nō sui ingenii opes & patrimoniū apud nos profiteri cogatur, & pro censu suo in albū municipum scribatur: planeq; in ea re formam censualem, de qua Ulpian. in l. forma ff. de censibus loquitur, observamus. Sicut n. agri in cēsum ea forma referebātur, ut exprimeretur fundi nomē cujusq;, & in qua civitate & quo pago esset, & quos duos vicinos proximos haberet: & arvum, olivetum, pratum, quot jugerū esset: vinea quot vites haberet: ita nos, quasi Ulpianei censitores, cives nostros profiteri cogimus, cujus artis tanquā agri cultores extiterint; quā latis terminis fundū suū exarare soliti sint: quot doctrinæ & exercitationis jugera confecerint: quarū artium cōfinia colāt, quos aliarū artiū vicinos habeant: & si qua agri literarii portio vel ager totus negligentię alicujus chasmate aut calamitate perierit: eā eumve per diligentiā novā restituere & renovare cogimus. Hęc igitur puerilis nostrę causæ prima pars est de classibus: sequitur ut alteram partē aggrediamur, nostrosq; togatos milites, quos in aciē velut eduximus, velitatione aliqua levi suæ virtutis specimē, idq; puerile, edere jubeamus. Atq; hīc in primis illa cogitatio vestra, cujus initio mentionem feci, deprecanda

canda mihi est, ne scilicet augustum, neque magnificum aliquod, sed juvenile duntaxat opus expectetis. Nam de trium artium primarum laudibus nos acturos & verba facturos profitemur. Quam ad rem, ego ex earum doctrinarum effectis miracula ipsorum repetenda mihi duxi: aliis laudem earum ex parentibus & autoribus, qui historicorum annalibus proditi sunt, deducendam committam. Ut igitur, quod ad Grammaticæ artis miracula attinet, linguarum variarum distinctionem illam, quæ ad Babylonicam turrim accidit, prætermittam: ut effusum linguarum ignearum specie Spiritum sanctum taceam: quantum, quamque admirabile & stupendum illud est, quod pauciſſimarum literarum notis vocum infinitarum symbola continentur, & sensa mentis nostræ, cogitationesque animi illo ceu communi Mercurio enunciantur? Itaque non immeritò populis Orientalibus, & in novo (quem vocant) orbe nostra ætate per periculosas & antea inusitatas navigationes repertis, nihil admirabilius visum est, quàm parva aliqua charta, pauciſſimis notis distincta & quasi interpuncta, de his rebus, quæ in diverso orbe, & quasi altero Democriti intermundio, gererentur; certiorem sic fieri ut non hæc oculis legere, sed charta quasi narrante auribus percipere videaris. Sed illud longè mirabilius est, quòd apud Varronem Cosconius vocis unius fœcunditatem tantam est ratiocinatus, ut ex ea quingentas inflecteret: etsi parum accuratè vel Varro vel Cosconius ille. Si enim unicam dictionem (*Duco*) diligentius observasset: mille, sexcentas, quinquaginta (quibus omnibus longè Varronis ubertas superatur) deducere potuisset. Quod si majoris fœcunditatis vocem sumseris, ut exempli gratia verbum *Duco* (cujus septendecim composita adnotantur) ex una voce vocum supra millia quatuor efficies. Quamobrem Varronis ingenium, etsi non omnia accuratè perspexit, laudandum tamen & admirandum est, quod illa Grammatica miracula, & Grammaticarum flexionum præclaras istas & singulares utilitates exquisierit; ut artis hujus studiosi intelligerent, quantam sermonis usuram, quantum orationis fœnus, quantam ubertatem natura hominibus illa flexione vocum suppeditarit. Jam artis Rhetoricæ vis quanta sit, ex Platonis locis variis intelligi potest, qui hanc ipsam artem pro-

tem propter mirabiles effectus, quos habet, ὀψοποιικὴν, κομμωτικὴν, κολακικὴν, γοητικὴν, hoc est, quandam obsonandi, fucandi, adulandi, incantandi peritiam appellat. Et quidem nullum est vel condimenti, vel fuci, vel adulationis, vel incantationis genus, quo rudes illi & imperiti auditores facilius quàm Rhetoricis ornamentis, ad idoneam sententiam accommodatis, gestu præsertim & corporis venusto motu accedente, capiantur. Unde à Platone ψυχαγωγὸς, id est, flexanima nominatim est appellata: eamq; Rhetoricam ψυχαγωγίαν sub Mercurii imagine veteres Poëtæ descripserunt. Sic enim Homerus, & hunc secutus Virgilius, Mercurio tribuunt virgam, qua

——Animas ille evocat Orco
Pallentes, alias sub tristia Tartara mittit:
Dat somnos, adimitq; & lumina morte resignat.

Hoc est, ut Cicero, tanquam fabulæ illius interpres, ait: Flexanima illa & omnium regina oratio, hominum cœtus tenere, mentes allicere, voluntates, quò velit impellere, unde autem velit, deducere potest. Ligarium Cæsar, quod contra se in Africa arma tulisset, damnare: Ciceronem tamen, defensorem & patronum Ligarii nihilominus audire decreverat. Itaque Cicero sic peroravit, sic eloquentiæ vires omnes expromsit: ut Cæsari quantumvis & judici & adversario, tamen velut incantato & stupefacto, color variè mutatus sit, & libelli quidam è manibus exciderint. Illa videlicet Platonis γοητεία seu incantatio fuit, illa flexanima & regina oratio fuit: qua Cæsar licet tot victoriis elatus, à victo tamen oratore victus est. Tanta vis eloquentiæ fuit, ut tum verè orator arma de manibus irati Imperatoris excusserit, miseroq; supplici veniam impetrarit. Sed de Rhetorica satis: veniamus ad Logicam: cujus quamcunque partem inspiciamus, admirandarum rerum ideas plurimas animadvertemus. Primum enim, quàm admirabile est decem topicorum locorum angusto alveo, omnem immensitatem cogitationum & meditationum humanarũ concludi? quid divina illa Enunciati in νοητικῷ judicio κριτήρια, ex experiẽtia, observatione, sensu, inductione orta? quid cœlestẽ in διανοητικῷ judicio syllogismi regulam commemorem? methodi deniq; divinitatẽ quibus verbis explicẽ? quam Plato in Charmide ἐπιστήμην, hoc

δὴν, hoc est, incantationem: in Phædro ludum eloquentiæ & sapientiæ, & Dei vestigia appellat, aitque summo laudis elogio addito se, si quem methodicæ hujus facultatis participem compotemque invenerit,

Διώκειν καλόπιδου μᾶλ ἴχνιον ὥστε θεοῖο

Hoc est, tanquam Deum verecundè & religiosè colere & venerari. Etenim pars ista Logicæ de methodo legitima, fundamentum est universæ Philosophiæ: qua conservata salus artium retinetur: ejus enim beneficio facilè intelliguntur, facilè etiam ediscuntur. Eadem autem repudiata: omnium artium jura violari perfringique, & infinita caligine obrui & sepeliri necesse est. Quare diligenter attenteq; hæc Methodi lux in Logica civitate retinenda est. Adhuc de inferioribus artibus diximus: quid fiet, si superiorum illarum majorumque artium mirandos effectus consideraverimus? Quemadmodum Logici, inventionis Topicæ pauciſſimos & finitos locos ad infinitam & perpetuam rerum excogitationem distinxerunt: Ita Arithmetici ad infinitam rerum omnium numerationem decem notas excogitarunt: quarum inter se additione, subductione, multiplicatione, divisione, comparatione, immensam rerum omnium copiam ratiocinantur. Hic videlicet Pythagoræ abacus est, hic Aristotelis κεφαλισμὸς: quo benè percepto, beneq; exercitato, nihil in numeris difficile aut obscurum esse existimat. In Geometricis miraculis demonstrandis, & Hieroni Regi proponendis tanta fiducia fuit Archimedes, ut affirmari & polliceri auderet, si mundus alteram terram haberet, se hanc ad illam velle adducere: sic enim ait apud Pappum, δὸς μοι πᾶ στῶ, κἀγὼ τὴν γῆν: da mihi ubi consistam, & movebo terram: (Quod idem Eugenio Papæ respondisse fertur egregius ille apud Florentinos architectus Philippus Brunelleschi filius.) Cumque Archimedes, in argumentum tantæ confidentiæ, navem gravius oneratam & in littus eductam, machinis suis perinde ad se traxisset, ac si in mari velis remisque ageretur: tantis Geometriæ miraculis Regem ita permovit, ut diceret Archimedi quidlibet affirmanti credendum esse. Et ex his nimirum Geometricis miraculis Theatrica veterum miracula originem duxerunt, ut apud eos spiritu quodam Geometrico nolæ & campanæ

campanæ animatæ, sua sponte, ut Homeri tripodes ad certamen, ita illæ ad pulsum concitandum se moverent: & statuæ quædam quasi humano sensu & ratione præditæ homines munera offerentes capitis nutu salutarent, quasique gratulabundæ exciperent. Quantum autem admirationis percipere possumus ex Optica, ex Musica, ex Astronomia? Sed de his omnibus dicere nimis longum foret, & nescio quomodo ab inferioribus artibus ad divinas illas oratio mea delapsa est. Refero igitur gradum: & adolescentes hos, in aciem productos, Philosophici laboris & ingenii specimen exhibere, & industriæ suæ fidem palam facere jubebo, ne dici possit, ignaros liberalium artium debitum doctis adolescentibus præmium capere. Tibi igitur, Johannes-Jacobe Erythræe, hoc oneris impono, ut tuo tuorumque tribulium nomine in hanc palæstram primus descendas, & aliquid de Emblemate in donario tuo expresso, differendo nobis in medium adferas.

ORATIO PRIMÆ CLASSIS, IN PRIMA HAC PANEGYRI PER JOHANNEM-JACOBUM ERYTHRÆUM, VALENTINI F. Argentinensem, recitata.

QUamvis ad alliciendas mentes hominum, Magnifice Dn. Rector, Nobiliss. & Ampliss. D. Scholarchæ, vosq; reliqui omnium ordinum Auditores & Spectatores clariss. doctiss. ornatissimi: Quamvis, inquam, ad alliciendas mentes hominum ingens sit Honesti potentia, cujus pulcritudo, verbis Senecæ, circumfundit animos, & delinitos admiratione luminis ac fulgoris sui rapit: tamen si dempseris honorem, ipsa per se virtus amara atq; aspera maximæ parti hominum videbitur. Hoc Cimbrici victor belli C. Marius vidit, qui, quum paucis annis ante, VIRTUTIS ÆDEM posuisset ac dedicasset Africanus posterior, VIRTUTIS ET HONORIS SIMUL templum construendum curavit. Et quidem ad hujus cellam non nisi per illius sacellum patere aditum voluit. Quorsum ista? Et quid sibi volunt hi σύνναοι θεοὶ Græcis dicti, in hoc congiario, quo modò Amplissimi Senatus liberalitas me prosequuta est: VIRTUS ET HONOS, expressi? Hoc, ut opinor, innuunt, ad honores litterarios non nisi virtute comparandum & adspirandum esse nobis adolescentulis. Virtus enim est, quæ, ut ait Comicus, omnia in se habet: omnia bona assunt, quem penes est virtus. Quamobrem,

obrem, si honorem expetimus, virtus nobis colenda est: si virtutem insuper habemus, vero honore nunquam perfruemur. Nam qui honos habetur indignis ille ne honos quidem censendus est. Verum enimvero Virtus, quâ solâ, verus (ut dixi) paritur honos, non contingit ociosis, dissolutis, inertibus. Sudandum est: laborandum est: somno ac voluptatibus renunciandum est. In quam sententiam præclarè B. Hieronymus, adversus Ruffinum; Quamvis, inquit, Cræsos quis spiret & Darios, litteræ marsupium non sequuntur. Sudoris comites sunt & laboris, sociæ jejuniorum, non saturitatis, continentiæ non luxuriæ. Demosthenes plus olei quàm vini expendisse dicitur, & omnes opifices nocturnis semper vigiliis præveniisse. Quæ quidem viri sancti verba, ô æquales & eorumdem studiorum consecranei, si & virtutis, & honoris stimulis percellimur, etiam atque etiam animis affigamus censeo. DIXI.

ORATIO SECUNDÆ CLASSIS, RECITATA PER FRANCISCUM-HIERONYMUM Schürstab, Patricium Noribergensem.



NOn eos tantum militare, qui gladiis, clypeis, & thoracibus nituntur, verùm etiam advocatos, ajunt Impp. in l. advocati. C. de Advocat. diversi. judic. Quam quidem militiæ cum foro judiciario cognationem passim nobis veteres ingerunt: atque hinc CASTRA FORENSIA MILITIAM TOGATAM, *atque invicem*

SCHOLAS MILITUM, similesq; formulas celebrant ac frequentant. Sed enim militiam litteratam, non tantum Advocati, sed quicunq; Musarum castra sequimur, absque dubio militamus. Ut igitur in militia Romana quondam maxima virtuti proposita præmia armatam armabant, & ardentem inflammabant militum generosorum indolem: sic iste numus Victoriæ effigie incusus (unde & victoriatus olim dicebatur) rem strenuè nobis in hoc certamine litterario gerentibus, ampla & opima victoriæ præmia pollicetur. Porrò ut rem strenuè geramus, adeoq; ut legitimè certâsse videamur, athleta nobis olympici suo exemplo prius, ad diligentiam præibunt. Nam ut ab his olim severè rigidèq; exigebatur, ut omnes disciplinæ numeros per decem menses ante diem certaminis explerent: Sic & nobis Diligentiæ Disciplinæq; seriò litandum est, antequam experimentum nostri demus. Illos ad stadium missuri Hellanodicæ hisce verbis alloquebantur: Εἰ πεπόνηται ὑμῖν ἐπαζίως & ἐς ὀλυμπίαν ἐλθεῖν, καὶ μηδὲν ῥᾳθυμεν μηδὲ ἀγεννὲς ἄρξασθε ἴτε θαῤῥοῦντες &c. nos quoque tum bonam spem nobis proponamus, quum nullius ignaviæ probri nobis conscii legitimè studuisse, ac per omnes diligentiæ disciplinæq; numeros isse Agonothetis nostris videbimur. Cæterum ne exoticam hanc ad transmarini saporis similitudinê longius prosequamur, agè sis à ceromate & haphe Græcorum athletarum ad pulverem Martium Romanorum militum revertamur. Ut igitur horum hastas, vexilla, phaleras, torques, tum varii generis coronas, quibus virtutis ergò donabantur, omittam: si quorum magis insignis enituisset virtus, ii ad altiores militiæ gradus, puta centurionatus, primum pilum, Tribunatus promoti, tandê etiam ordinis senatorii fiebant, adeoq; à Caligâ ad Consulatum usq; adscensus dabatur. Similiter in litterariæ hujus militiæ exercitiis strenuè se gerentibus virtutis ornamenta, laborumq; præmia ostenduntur; ac tandem, si quorum inter cæteros eminuerit industria ac virtus, spem pulcerrimam fovere ab Imperatore Justiniano jubentur, tota militia litteria legitimè confecta, posse etiam Rempublicam in partibus ejus ipsis credendam gubernari.

Quæ cum ita sint, quumq; tanta strenuis ac bonis præmia proponantur, agite dum, ô æquales & commilitones charissimi, nos quoq; socordiâ omissâ, mentes animosq; nostros expergefaciamus, virtutem industriamq; exacuamus: deniq; labore, diligentiâ, navitate aliis disciplinæ simus: Quod si fecerimus, de victoria in hoc litterario certamine adipiscenda cur desperemus, causa nonerit.

ORATIO TERTIÆ CLASSIS,
RECITATA PER GEORGIUM VOLCAMER, Patricium Noribergensem.

QVemadmodum semen, quàmvis exiguum sit, cum occupavit idoneum locum, vires suas explicat: sic doctrina, quamvis initio modica, quum eam idonea mens rapuit, progressu temporis in maximos auctus diffunditur. Hoc iste numus, vultu AVGVSTI CÆSARIS, ut opinor, signatus innuit. Siquidem Augusti nomen ab augendo deductum videtur. Vtcunque sit: doctrinæ certè in nobis augendæ studium ardere debet: eaq; ratione futurum est, ut quò plus recipiat animus, eò magis se laxet. Annon videmus avaros, qui nullo procurrentis pecuniæ impetu contenti, nullis divitiis satiati, implere adhuc volunt quod jam circumfluit? Miseri illi quidem, non minus, quàm injusti, qui inter tantas opes, ut Tantalus inter undas, adhuc sitiunt opes: quas quomodo undiq; corripiant, pensi nihil habent? At nostra quantò erit justior ratio, quantò quàm avari in sese, melius in nos consulemus, si quantuscunq; noster erit in studiis progressus, adhuc tamen parum nobis profeciisse videbimur? Sic enim, docente Aristotele, plurimum proficiemus, si eos qui præcedunt persequentes, eos, qui sunt à tergo, non morabimur. Nec igitur nobis ipsis blandiamur, nec aliis blandientibus præbeamus aures, quasi multum operis nobis effectum sit, aut quasi calci

calci jam propinquemus, qui vix dum è carceribus sumus emissi. Hæc enim persuasio, si quæ alia, profectûs venenum est, ac velut pestilenti sidere afflat discentium ingenia. Enimverò qui ipsius sè contemnit, in eo est indoles industriæ, sicut adolescenti filio instillat senex Plautinus. Nec absre putat Seneca, multos potuisse ad Sapientiam pervenire, nisi putassent se pervenisse. Quâ de causâ scitè Bion apud Diogenem Laërtium, τὴν οἴησιν κακοηθίας ἀγνοιαν usurpat. Cui Fabius consonans, Magnos quóque inquit profectus perdit arrogans de se persuasio. Proinde nos, inflatis utribus valere jussis, ab eaq; peste immunes, ut principia nostra sequenti magnitudine obruamus, etiam atq; etiam discendi sitim & ardorem augebimus, sic tandem fiet, ut non magis Augustus Octavianus imperium auxisse videatur, quàm nos doctrinâ sapientiâq; aucti reperiamur.. D I X I.

GRATIARUM ACTIO SUB FINEM PRIMÆ HUJUS PANEgyreos recitata, per

MARQUARDUM FREHERUM Augustanum..

EQuidem nihil tam proprium hominis existimo, quàm non modò beneficio, sed etiam benevolentiæ significatione se alligatum fateri: nihil è contra tam inhumanum, tamq; turpe esse, quàm committere, ut beneficio non dicam indignus, sed victus esse videare. Nos igitur adolescentes, qui ab amplissimo & prudentissimo Noribergensis Reipubl. Senatu non modò benevolentiæ significatione, sed beneficiorum immensorum præstatione alligati sumus: quas gratias tantorum beneficiorum autoribus habere necesse est? Cn. Octavio, qui primus ex illa familia Cos. apud Rom. fuctus est, honori fuisse accepimus, quod præclaram ædificasset in palatio & plenam dignitatis domum: quæ cum vulgo viseretur, suffragata domino, novo homini, ad Consulatum putabatur. At quantò majori honori Senatui amplissimo erit, non privatam aliquam domum, sed commune quasi Musæum & Palladium, Musis literarum præsidibus extruxisse: quod cum vulgò etiam à civibus & peregrinis plurimis indies visatur: omnium

tamen

tamen admirationem excedit: eoſq; in nulla Germaniæ Academiâ tale domicilium pro Muſis extructum ſe vidiſſe fateri cogit. Serit arbores, quæ alteri ſeculo proſint, dicebat Statius de agricola: nec dubitat agricola, quamvis ſenex, quærenti cui ſerat, reſpondere, Diis immortalibus: qui me non accipere tantummodo hæc à majoribus voluerunt, ſed etiam poſteris prodere. Ergo arbores ſerit diligens agricola, quarum aſpiciet baccam ipſe nunquam. At vos, Viri ampliſſimi, generis nobilitate, eruditione, prudentia præſtantiſſimi, non arbores aut plantas, ſed Muſam, ſed leges, ſed inſtituta, ſed literarum deniq; gymnaſium, tanquam hortum & paradiſum terreſtrem plantaſtis: cujus lætas ſegetes & luxuriantes non poſtera tantum ſecula, ſed vos ipſi magna cum lætitia conſpicere poteſtis: & ut ſpes eſt, brevi copioſos ingeniorum optimorum, & veſtra diligentia, cura, ſumtu, velut ſatorum & excultorum, fructus percepturi eſtis. Serrani, Cincinnatiq; temporibus, annonæ uſſelitas Romæ c
ſumma fuit, inquit Plinius: Quænam ergo tantæ ubertatis cauſa erat? quod c
ipſorum imperatorum manibus agri colebantur, reſpondet Plinius: qui ſi terra ipſa vomere laureato & triumphali aratore gaudere, viſa ſit: Sive illi Serrani, Cincinnatiq. eadem cura ſemina tractabant, qua bella: eademq; diligentia arva diſponebant, qua caſtra: ſive honeſtis manibus omnia lætius proveniunt, quoniam & curioſius fiunt. Ut ergò cum Plinio noſtrum argumentum concludamus: eundem, imò & majorem literarum proventum in hac veſtra, Viri ampliſſimi, ſchola ſperamus: ſed qua de cauſa? quod ſcilicet Senatus ampliſſimi vomeres hic imprimuntur: quod Scholarchæ triumphales aratores hanc provinciam ſua cura non indignam eſſe exiſtimant. Quamobrem non ſolum pro illa magnificentia, liberalitate, cura, ſolicitudine, qua & antea domum hanc ædificaſtis, & hodie ſtudia noſtra promovere pergitis: ſed etiam pro veſtra tàm honorifica præſentia, qua Panegyrim iſtam noſtram partim ornaſtis, partim etiam liberaliter proſecuti eſtis: gratias agimus & habemus, non quas veſtra gravitas, dignitas, magnificentia maximas poſtulat, ſed quas ingenii noſtri mediocritas & animi anguſtia, verborumq; inopia concedit. Reliquis etiam, tum gratiſſimis hoſpitibus, tum ſtudioſis, qui ad hujus Panegyricæ concionis theatrum ſpectandi cauſa, audiendiq; gratia ſe contulerunt, gratias habemus immortales: relaturi aliquando, ſi nobis per rerum noſtrarum tenuitatem licebit: Deus opt. max. Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, hanc primam Panegyricam concionem, ita nobis omnibus fauſtam

C & ſe-

& felicem esse velit, ut ejus exemplo sæpius deinceps studiorum nostrorum largissimos fructus decerpere nobis liceat: & à regionibus nostris, à Musæis nostris, omnes bellorum, morborum, tempestatum, sophismatum calamitates avertat, ut ipsi grata plurima fiant, dicantur, doceantur & discantur.

D I X I.

II. PANEGYRIS, Anni 1578.

RECTORE D.D. JOHANNE-THOMA FREIGIO, &c.to

INVITATIO AMPLISSIMI SENATUS NORIBERGENSIS,

recitata per

SEBASTIANUM BOHEMUM, NORIBERGENSEM.

Τὴν μὲν θεοίκησιν τοῦ γυμνασίου ὑμετέραν καὶ τὴν παρασκευὴν, ἣ ἐν τῷ παρόντι καιρῷ κεχρῆνται εἰς διοικῆσιν τὸ γυμνάσιον, καὶ πᾶσαι ἐξετάσεις τῶν μαθητῶν γεγίνηνται, οἶδατε ἀκριβῶς, ὦ ἄνδρες ἐπ' ἀρετῇ τε καὶ εὐγενείᾳ διαφέροντες. Ἡγούμεθα ἂν, οὐδὲ πρέπειν οὐδὲ ἐπαναγκες εἶναι, πολλὰς τῆς ὑμετέρας παρουσίας προφάσεις προφασίζεσθαι. Τὰ γὰρ ὑμέτερα γυμνάσια οὕτω καθέστηκεν, ὥσε καθ' ἕκασον ἔτος ἐν τῷ μηνὶ, ὃν οἱ Ρωμαῖοι τένιαν καλοῦσι, τὰς τοῦ γυμνασίου ἐφεστηκότας ἐξετάσεις ποιεῖν πάντων τῶν ὑφ' ἑαυτὸς ὄντων μαθητῶν: ἔπειτα ἢ ἐν μέρει πᾶσι ἑκάστου τῶν μαθητῶν γνώμην ἀποφαίνεσθαι, εἴ τε δῶρα, ἤτοι βραβεῖα (ὡς τινες, πᾶσι τὰ τῶν πάλαι ἐπισημότατοι, καλοῦσι) τὰ καθήκοντα καὶ τὰ πρωτεῖα διαμερίζειν. Ἐπεὶ δὴ ἅπαντα ταῦτα εἴ τι αὖ τοιαῦτα ὁμολογημένα καλῶς ἔχειν, ἐκ τοῦ τῶν ἐφεστηκότων ὑμετέρων, ὡς ὅτι ἐπιμελέστατα διηκριβώθη καὶ οἱ μαθηταὶ ἀπάντες ἐδοκιμάθησαν: τινὲς ἢ εἴ διὰ τὸ εἰς ἄκρον τῆς παιδείας ἐληλακέναι, καὶ εἰς ἑτέρας φυλὰς ἐγγράφεσθαι ἄξιοι ἀνεχώρησαν: ἔγνωσαν οἱ διδάσκοντες τὸ γυμνάσιον, τῇ ἡμέρᾳ τῆς δυσὶν Απο-

φίλοις Πέτρῳ τε καὶ Παύλῳ ἱερᾶ, τὰς νεανίας τὰς δι' ἀφύλαν ἐκλάμποντας, εἰς τὸ βραβευτήριον εἰσάγειν, καὶ ἐν μέρει τὰ βραβεῖα ἐκάστοις διανέμειν. τούτων ἦ ἐχόντων ὕτως, καὶ δὴ παιρὰ τῷ γυμνασιῳ τούτῳ, ὁπόσον ὑμᾶς εἰδαπεῖναι, ὄντως· ἀλλ' ἔχοντα ὁι ἡμέτεροι διδάσκαλοι καὶ τὴν γερουσίαν ταύτης τῆς πόλεως, ἓ τὸ ὑμέτερον ἀξίωμα, καὶ πάντας τῆς βουλῆς τρωτάζοντας, τῇ σοφῶν παντὸς παρεῖναι· καὶ παροτλιπαροῦσι ὁμοίως τοῖς μάλιστα, ὅπως ταύτην τὴν χάριν σοφισιν ἡ βουλὴ χαρίζεσθαι θέλῃ. Εαν γὰρ ταῦτης τῆς δεήσεως ὑφ' ὑμῶν τύχωσιν· ὑπισχνοῦνται σοφὰς αὐτὰς τὸ πρὸς ὑμᾶς καὶ τὴν σύγκλητον καθῆκον ἀπαρεμβώσειν, καὶ δι' ἐπιμελείας τῆς γεγενημένης ἕξειν. Εἰρηκα.

ORATIO PRIMÆ CLASSIS,

RECITATA PER PHILIPPUM RIETER, Patric. Noribergensem.

QUantopere Romani in ludicrum Circense olim insanierint, idq; jam inde à Romulo usque ad ultima senescentis Imperii tempora, passim veterum monumenta nobis ingerunt. In eo certamine, quadrigæ (verbis Hieronymi) septeno currebant circumitu: & equos partis adversæ fregisse victoria erat. Vidisses ibi, simul ac signum Prætor mittendis quadrigis dedisset,

Stare levi curru moderantem quattuor ora
Spumigeris frenata lupis, & flectere equorum
Prævalidas vires, ac torto stringere gyro.

Item ------- nunc dextros ire per orbes
Fidentem campo, nunc metâ currere acutâ
Spemque sub extremo dubiam suspendere casu.

agitatorem: cujus in illo metæ flexu hoc opus, hic labor erat, ut adductis habenis, stringeret quidem metam (quod interius flectere dicebant) haud tamen impingeret currum, aut everteret. Atque ita septies spatiis Circi decursis, totiesq; metâ fervidis, ut loquitur Horatius, evitatâ rotis, brabeum & coronam victor accipiebat. Hoc in isto numismate significant tres metæ sive obelliſci, uni basi insistentes, astante fœmina, quæ alterâ manu corollam porrigit, alterâ cornu Amaltheæ tenet. Enimverò si scrutabimur, haud parvam rei Circensis ætatisq; juvenilis inter se reperiemus similitudinem. Illic carceribus emissi currus spatia corripiebant, rapidoq; cursu ferebantur. Nos quoque adolescẽtes impetu plerumq; rapimur ac simul manum ferulæ subduximus, quocunque nos trahunt affectus, concitati ferimur. Hic non mirum est per multos labi, vel impingere, nisi ratio moderatrix affectuum, illis veluti frenos furoris injecerit. Nihil igitur magis nobis cavendum, quàm, ne vitæ liberioris obtentu prolabamur ad licentiam, atq; exinde in omne scelus præcipites ruamus. In hoc enim ætatis flexu multorum sæpe fama hæsit ad metam: multi in dedecora simul ac facinora prorupêre, postquam remoto pudore & metu suo tantum ingenio utebantur. Eapropter ne salutem nostram, quasi currum, effundamus, nosq; ac spes nostras corrumpamus; saluberrimũ procul dubio est, si utili aliquâ occupatione distringamur. Quid autem utilius, quàm si quos cæpimus studiorum cursus, implorato Numinis auxilio, porrò currere perseveremus, memoriâ jam exantlati laboris identidem nobis calcar addente, subiicientesq; illos sive Sophoclis, sive Euripidis versus:

Πόνῳ πνωθεὶς οὐκέτ' ἀλγύνει βροτὸς:
Αλλ' ἡδύ τοι σωθέντα μεμνῆσθαι πόνων.

Quibus versibus Emblema nostrum respondens, DULCE TERGNMI LABORIS, præfert. Hoc enim pacto, dum in orbe doctrinæ absolvendo deditus erit animus noster, magis à malo detinebimur, minusq; labis ac maculæ trahemus à cætu juventutis maculosæ. Nam aliàs periculum est, ne in nos illud Columellæ, quod vulgò omnes in ore habent, expetat: Nihil agendo homines malè agere discunt. Siquidem, ut B. Chrysostomus nimis quàm verè scribit, Omnium vitiorum quasi magistra quædam atq; origo est ociositas.

DIXI. ORA-

ORATIO SECUNDÆ CLASSIS, RECITATA PER TOBIAM HALLER, Patricium Noribergensem.

QUANTA sit dignitas, quanta majestas, quantum denique (ut sic dicam) numen litterarum, pulcerrimè hoc numisma declarat, in quo conspicitur expressa Felicitas, quæ cornu copiæ dextra tenens, Phœbo citharam pulsanti corollam imponit, cum superdicto: HONOS ALIT ARTES. Enimverò publicam felicitatem ex cultura artium liberalium gigni, hincq; veluti thesauros bonorum & copiæ quoddam cornu aperiri, nostra ac superior ætas, singulari Dei opt. max. beneficio, sensit & experta est. Nec enim profectò tunc aureum illuxit seculum, cum primum apud nos vena argenti reperta est (id sub Othone Magno memorat accidisse Dithmarus:) siquidem argentum & aurum propitii an iratidii veteribus Germanis negaverint, etiam Cornelius Tacitus, non sine gravibus quidem causis, dubitat. Quid igitur? Quum, renatis litteris, lux animis nostris effulgere, lumenq; Musarum in orbe christiano splendere cœpit, tunc illa repentè seculi felicitas velut aureâ catenâ de cœlo demissa fuit. Squallebant & horrebant omnia ferâ & incultâ barbarie: plusquam belluinus stupor mentes hominum oppresserat: in profundo non Democriti, sed ignorantiæ puteo latebat demersa veritas: ecce subitò simul uno eodemq; tempore & Phœbus pulsare cœpit citharam, & vox auctoritasq; VERITATIS, in

TIS, in tantis tenebris illuxit. Possumus ne pro tanto ac tali beneficio satis in Dei opt. max. laudes effundi? Possumus satis honoris habere studiis? Possumus liberalium artium doctoribus gratiam referre? Quos certè, in complexu, oculis, auribus (si grati sumus) tenere debemus, memores eorum operâ veluti revixisse ad humanitatem & virtutem humanum genus. Nam quis nescit, ab eo tempore, animorum quasi rubigine detersâ, cultiores ac politiores homines esse cœpisse? Sed & artes reliquas, quæ hominum usui vel voluptati deserviunt, novo tunc cultu pariter enituisse? Quid? quod ex eo tempore nunquam destiterunt homines studiosi, non solum, ut priscos illos heroas imitarentur, sed etiam, ut si fieri posset superarent, omnibus & animi & corporis viribus contendere? O nos igitur ingratos, si iterum venas Heliconii liquoris obstruxerimus! O miseros & infelices, si vocalis ille Musarum chorus, rursus conticescat! Si pristinis tenebris mundus involvatur! Si in antiquum Chaos denuò redigamur! Quid igitur? Honore ac præmiis acuenda sunt ingenia: Sopitos sub cinere igniculos optimè benignitatis aurâ suscitabit: Semina melioris indolis ad frugem liberalitas perducet. Alioquin enim, sublatis studiorum pretiis, ipsa studia, (ut ille ait) interire necesse est. Honos enim alit artes (ait Romana Peitho) omnesq; incenduntur ad studia gloriâ jacentq; ea semper, quæ apud quosq; improbantur. Denique (verbis Jamblichi) πᾶν τὸ ὑμνώμενον αὔξεται, ἐλαττοῦται δὲ τὸ ἀμαχόμενον. Præclarè igitur, Amplissimi ac prudentissimi inclytæ Reipub. Noribergensis Senatores, hujusq; scholæ Patroni ac Patres, præclarè, inquam, simul & litterarum incolumitati, vestræq; laudi consulitis, quod vobis refoventibus, cum maximè & Spiritum & sanguinem apud nos recipiunt studia, artesq; liberales, artium doctoribus præmio invitatis, reflorescunt. Id quod non potest non cum immortali nominis vestri gloria esse conjunctum.

DIXI.

ORA-

ORATIO TERTIÆ CLASSIS, RECITATA PER CUNRADUM MÜLLERUM Altorfensem.



DECANTATISSIMA est græcis latinisq; scriptoribus acroasis Pythagoræ, de bivio virtutis & vitiorum, quod litteræ T. figura & ipse exprimere consueverat, & hoc Emblema ostendit, cum hac Epigraphe, ANGUSTUM VIRTUTIS ITER. Ejus doctrinæ (quæ quibusdam ex Moyse videtur hausta, de arbore scientiæ boni & mali) primus auctor Hesiodus, hosce versiculos lib. 1. τῶν ἔργων cantillat:

Τῆς ἀρετῆς ἱδρῶτα θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν
Ἀθάνατοι, μακρὸς δὲ καὶ ὄρθιος οἶμος ἐπ' αὐτὴν,
Καὶ τρηχὺς τὸ πρῶτον, ἐπὴν δ' εἰς ἄκρον ἵκηται
Ῥηϊδίη δ' ἤπειτα πέλει, χαλεπήπερ ἐοῦσα.

Postea eandem doctrinam fusius persecutus est Prodicus: cujus narrationem de Hercule, quum primùm pubesceret, ambigente utram viam, Virtutis an Voluptatis ingrederetur, melle suo conditã posteritati reliquit dulcissimus Xenophon. Cæterum ea doctrina nobis adolescentibus aurem pervellit, ut audiamus illum catum Siculum, unicuiq; nostrûm insusurrantem:

——— τῶν πόνων
Πωλοῦσιν ἡμῖν πάντα τ' ἀγαθὰ θεοὶ

Quod

Quod quàm verè, adeoq; ex ipso veri tripode profatus est Epicharmus, illi sentiunt, sed serò, quibus per socordiam (Salustianum hoc agnoscitis) vires, tempus, ingenium defluxerunt. At nobis, ô Æquales & Commilitones charissimi, si propria salus felicitasq; cordi, non est quod otiosis eruditionem ac virtutem influere censeamus, famam aut opes affluere: labore & contentione hæc quæramus oportet: adeoq; parùm est si non recusamus laborem; deposcendus est. Si quid igitur in rem nostram sapimus, ad honesta nobis etiam atq; etiam nitendum certò sciamus, & hunc clivum, uno, si possumus, spiritu superandum. Quò minùs enim vinci ac strigare nobis permiserimus, eò citius in virtutis verticem enitemur, excepturum nos præmiis, quanta modò animis concipere non possumus. Hunc, inquam, animum induamus, hoc studio inflammemur oportet, si nobis

-------quæ Samios diduxit littera ramos
Surgentem dextrò monstravit tramite callem.

Quod si quis virtutis hoc adscensu arduo deterritus, viam voluptatis ac vitiorum, quæ ad lævam est, capesset, ea principiò quidem valdè blandietur ingredienti. Opidò quàm enim mollis simulq; lata est, ac celebris frequentia hominum (in hac enim via, ut est in Evangelio, multi ambulant) cæterum ultima ejus vergunt & desinunt in exitium.

Molle ostentat iter via lata: sed ultima meta
Præcipitat captos, volvitque per ardua saxa.
Nam qui desidiam, luxumque sequetur inertem,
Dum fugit oppositos incauta mente labores,
Turpis inopsque simul miserabile transiget ævum.

ut canit poëta. Quod quidem iter vitiorum ne insistamus pergamusve, audiamus eundem Epicharmum revocantem, ac sic cuiq; nostrûm inclamantem: Ω πόνηρε, μὴ τὰ μαλακὰ μόνον, μὴ τὰ σκληρὰ ἔχης: *ô miser noli quærere mollia, ne dura consequaris. Quâ quidem veluti gemmulâ, quæ dixi, obsigno.*

DIXI.

ORA-

ORATIO QUARTÆ CLASSIS, RECITATA PER JACOBUM PÔMER, Patricium Noribergensem.



TV quidem, Commilito carissime, præclarè nos ad virtutis viam alacriter ingrediendam pergendamq; cohortatus es, sed ego à præceptore meo, aliisq; cordatis viris sic accepi, eam, quæ modo careat, omnem insipientem esse sapientiam. Proinde & studiorum contentionem ita esse moderandam, ut verbo veteri NE QUID NIMIS. *Idem in hoc numismate Delphinus anchoræ implicitus innuere videtur, adposito symbolo* ΣΠΕΥΔΕ ΒΡΑΔΕΩΣ. *Hoc enim symbolo Octavianum Augustum, & T. Vespasianum impensè delectatos perhibent. Quorum quidem principum eâ cum civilitate, sive amabili quadam popularitate, qua facilè omnium voluntates promerentur, conjuncta fuisse, fertur diligentia, quâ, si usus postularet, celeriter res maximas conficerent. Sic igitur ex morum ac studiorum meorum moderatore audiebam, Præceptoris severitatem austeritatemq; lenitate & humanitate (quam Delphinus animal* φιλανθρωπίαν *designat) erga discipulos temperandam esse. Remotissimum quippe (si Varronis auctoritate moveamur) ad docendum, formidinem ac nimium timorem, & omnem perturbationem animi videri: contrà delectationem pro telo ad discendum esse. Contundi quippe, si fidem Senecæ adhibeamus, &*

quicquid est indolis comminui trepidatione degeneri. Sed & qui acerbos adhuc puerorum animos vocant ad nimiam maturitatem studiorum, jure accusari, tanquàm ignaros virium, quas Natura ejusmodi ætati concesserit. Quamobrem consultissimum videri, ut ea moderatio studiorum ac laborum in illa ætatula adhibeatur, quam J. C. Venuleius in l. continuus ff. de verb. oblig. præscribit, ut scilicet neque duplomate diebus ac noctibus, & omni tempestate contemta festinemus: neque tàm delicatè progrediamur, ut reprehensione digni appareamus. Quod enim sat benè fiat, sat cito fieri, idem meus præceptor addebat. DIXI.

NB.

GRATIARUM ACTIO,

RECITATA PER

BALTHASARUM DERRER,

Patricium Noribergensem.

QUanquam optarim, Viri amplissimi & ornatissimi, ut cuidam ex condiscipulis meis doctiori postrema hujus Panegyricæ concionis pars mandata esset: non mihi, qui in dicendo, præsertim in tantorum virorum conspectu, minimè sum exercitatus: tamen præceptorum voluntati obtemperandum esse duxi; ac malui in me eruditionem quàm obedientiam desiderari: inprimis hodierno die, quo & Deo opt. max. & Amplissimis Dominis Scholarchis cæterisq; Viris præstantibus gratia memori mente ac pia oratione est persolvenda. Quod enim hæc schola quotidie magis, magisq; efflorescit, quod in ea pietatis & literarum studia vigent: quod ingenia adolescentum scribendo, dicendo, disputando exercentur: quod solemnes progressiones fiunt: quod præmia studiosis distribuuntur: quod cætera, quæ ad hujus Gymnasii dignitatem & utilitatem pertinent, suscipiuntur & aguntur: id omne divino numini & clarissimi Senatus nostri liberalitati est tribuendum.

Quamobrem tibi primùm, æterne Deus, agimus & habemus gratias immortales, tum quod inclytum nostrum Senatum lumine tuæ sapi...iæ illustras, amoris tui flamma accendis, tuæ virtutis robore confirmas: ut lucis beneficio videat: amore incensus cupiat: auxilio adjutus suscipiat & agat, quæ ad pie-

ad pietatis, justiciæ, linguarum & artium conservationem spectant: tunc quod hanc regionem & hoc literarum domicilium à bellorum, incendiorum, morborum, tempestatum, sophismatum calamitatibus defendis: omnisq; generis bona, ad vitam quietè commodeq; transigendam necessaria abundè largiris. Rogamus te, ut deinceps quoque nostrum magistratum numine & auxilio tuo regas, juves & tuearis: & hanc cœlestis doctrinæ optimarumq; doctrinarum sedem incolumem conserves: universam hanc literatam societatem studiorum, laborum & voluntatum nexu conjunctissimam tuteris. Impertire nobis facultatis copiam, ut possimus: adde animum, ut velimus nostris officiis ac muneribus diligentissimè fungi. Juventuti quoque eam tribue mentem, qua & alacris ad suscipiendam doctrinã, & doctis; tum etiam beneficii memor & grata erga præceptores efficiatur. Da denique quæ ad vitæ usum & cultum pertinent, donec nostræ mentes, ab hac terrestri labe sejunctæ, cum cœlestium animorum cœtu consocientur.

Deinde gratias Vobis agimus & habemus maximas, Amplissimi Domini Scholarchæ, prudentissimi Senatores, Consules, & quotquot adestis ex cunctis Reipub. Noribergensis ordinibus, patres conscripti: cum pro aliis vestris maximis beneficiis: tum pro hodiernis in nos præclarè meritis: quod his solemnibus negociis conficiendis adfuistis: & vestrâ præsentiâ hanc scholæ festivitatem decorastis, atq; adeo vestræ singularis erga nos benevolentiæ argumenta & indicia certissima dedistis. Rogamus etiam atque etiam, ut hoc Gymnasium vestrum posthac quoque vestra authoritate, beneficentiâ ac patrocinio amplificare, ornare atque tueri pergatis. Ut enim tenellæ plantæ fulcris opus habent quibus innixæ in altum assurgant, atque à tempestatibus tutæ uberius crescant: Sic Schola hæc vestrâ benevolentiâ, auxilio & authoritate indiget, qua fulciatur & protegatur, ne qua aura invidiæ aut malitiæ illi nocere aut obesse queat. Ex quo & illud consequetur, ut tum præsens hæc ætas, tum ipsa posteritas imaginem hujus eximiæ vestræ virtutis, plurimorum sermone celebratam, literatorum scriptis expressam, intuens velit imitari: id quod & vobis gloriam sempiternam, & Christianæ societati admirabiles utilitates est allaturum.

Tum denique & Illustrissimis Generosisq; Comitibus & Baronibus, ac cæteris Viris optimis ac humanissimis, qui ad hanc Panegyrim spectandi audiendiq; causa advenêre, gratias agimus, quantas animus noster concipere

potest maximas, quod Scholæ hujus Encænia suo illustrissimo jucundissimoq; conspectu cohonestarunt atque auxerunt: à quibus etiam magnoperè petimus, ut qua benevolentiâ hactenus nos fuerunt prosecuti, eandem in posterum quoque nostro Gymnasio præstent: Quibus singulis & universis vicissim nostrum studium & operam humilimè & liberalissimè pollicemur.

DIXI.

III. PANEGYRIS, Anni 1579.

RECTORE D. D. JOHANNE THOMA FREIGIO, JC.

INVITATIO AMPLISSIMI SENATUS NORIBERGENSIS,

recitata per

MELCHIOREM SCHLAUDERS. PACH, Noribergensem.

NOn ignotum est vobis, Viri nobilitate, prudentiâ, omniumq; virtutum genere ornatissimi, prudentis piiq; magistratus officium esse, ut non modò ea, quæ ad vitæ politicæ præsidia spectant, diligenter soliciteq; comparet: sed etiam scholarum & studiorum rationem imprimis habeat. Etenim quanquam in illis civilibus plus splendoris vulgò esse existimetur: non minus tamen necessaria hæc scholarum officia perhibenda sunt: eoq; intentiore cura tuenda & defendenda, quò majorem illæ inclinationem his temporibus minari videntur. Atque ejus rei cogitatio præcipuè illis incumbit, qui jam in scholis instituendis defendendisq; aliquam laudem, eamq; publicam, lateq; pervagatam, apud multos exteros excitarunt. Ex quorum numero amplissimus prudentissimusq; noster Senatus vel præcipuus hodie est. Nam

cum supe-

cum superioribus primis annis elegans Musæum pro literarum studiosis magnis sumptibus extruxisset: proximis his annis ita animum suum ad artium professiones laudatissimas adjecit, ut pro vehementi suo bonas artes provehendi studio nullis sumtibus pepercerit: sed & omnium præclararum artium Magistros suo Musæo præfecerit, & ad explorandos studiosorum profectus examina publica progressionesq; annuas instituerit, & præmia etiam benè meritis liberaliter hucusque donaverit. Cùm autem hoc quoq; tempore solemnia illa examinis à præceptoribus nostris præstita sint, unumq; illud restet, ut in publico conventu & amplissimi prudentissimiq; Senatus præsentia tota res ad diem D.D.Petro & Paulo sacram conficiatur: non possunt nostri præceptores intermittere, quin amplissimum Senatum rogent, orentq;: primò, ut in eo officii benevolentiæq; cursu, quem non sine prudenti maturoq; consilio suscepit, & hactenus compluribus significationibus animi sui demonstravit, deinceps quoq; permanere velit. Deinde ut, nisi molestum sit, aliæve graviores res & majora negotia impedierint; Senatus amplissimus hoc quoq; beneficio scholam suam sibi devincire velit, ut ad prædictum diem solemnibus nostris conventibus interesse, eosq; sua amplissima præsentia illustriores reddere dignetur. Nam cum Senatus amplissimus non tantùm Scholæ Mecænas & Patronus publicè liberalissimus sit, sed etiam privatim quamplurimi ex illo ipso in tanta celebritate & dignitate constituti, ita literas & studia colant, ut ea non ad ostentationem, ambitionem aut otium, sed ad rerum gerendarum scientiam assumant: nullos alios optatiores nostrarum solemnitatum spectatores, aut judices censoresq; advocare possumus, quàm amplissimum Noribergensis Reipub. Senatum. Cui petitioni nostræ amplissimum Ordinem eò æquiorem futurum existimamus, quò plus spectata prudentia & multis argumentis testata ipsius erga nos benevolentia nobis spondet & promittit: tum verò etiam quod veterum heroum exemplo, etiam inter gravissimas de Republica cogitationes, atq; adeo in medio ipso difficilimarum & summarum rerum tractatu, quin imò in Senatu ipso, his nostris literis & humanitatis studiis locum esse non obscurè cognovimus. Quamobrem non dubitamus, quin quod oramus, amplissimum Senatum etiam exoraturi simus. Quod si fiet, pollicemur totius scholæ nomine fore, ut non modo hæc amplissimi Senatus honorifica præsentia ad illustrem nominis & gloriæ ipsius commendationem celebretur:

bretur: sed etiam ea, quæ in hominum scholasticorum tenuitatem cadere potest, gratitudo animi libenter meritoq; consequatur. D I X I.

ORATIO QUARTÆ CLASSIS, RECITATA AB ILLUstri & Generoso Dn. Wideberto, Comite in Oetingen.



ide in fra p. 141.

MAgnam curam (Aud. optimi) & multum utilemq; laborem in eo majores nostri posuerunt, ut disquirerent diligentius, quænam ratio esset commodissima instituendi pueritiam, & quis modus optimus tradendi omnes ingenuas artes & liberis hominibus dignas. Itaque cum multi de hac re multorum doctorum virorum & commentarii & libri extent, & plena sint antiqua monumenta talium præceptionum & disquisitionum: nemo tamen vel propius accessisse ad eam instituendi ideam, vel utilius de ea præcepisse videtur, quàm Quintilianus. Is enim, ut cætera omnia sapienter & rectè monuit, ita etiam in artium tradendarum ratione, tanquam oraculum quoddam protulit: ut in docendo videamus, quantum animi discipulorum capere & ferre possint. Sicut enim vasa angusti orificii (ait) superfusam liquoris copiam respuunt & effundunt: sensim autem paulatimq; influentem & instillatum humorem recipiunt, receptumq; fidelius continent: ita animi puerorum angusti, & majorum adhuc incapaces, nimia doctrinarum præceptionumq; copia fatigantur & obruuntur: paucis autem

autem & brevibus præceptis sensim paulatimq; implentur. Magnifica verò sententia, & omnibus juventutis moderatoribus, altis animi sensibus reponenda, quæ sola declarat, quid in artium liberalium traditione præcipuè spectandum, quæ via & ratio tenenda sit. Nec enim solum vel is ipse qui docetur, vel ille qui docet, quis qualisq; sit considerandum, sed etiam tàm doctrina, quàm via ratióque, & ut Græci uno verbo vocant, methodus spectanda est. Quemadmodum enim eum, qui angusto vasi infundere quid velit prudentem hominem & maturum, non inconsideratum aut temerarium festinantemq; esse oportet: ita qui artium præcepta pueris instillare velit, hominem cordatum, nec nimium præcipitem esse convenit. Ad hæc, sicut aquam infundenti vasculum considerandum est, ut norit quid capere possit, quid respuat aut quasi reformidet: ita & docenti spectandũ est, quanta auditoris discipuliq; capacitas sit, quid ferre, quid non ferre possit. Præterea, ut aliud est pretiosum aliquem & fragrantem liquorem: aliud vilem aliquem muriam aut salsuginem instillare: ita longè aliud est artium liberalium cognitionem, quàm aliud aliquid puerorum animis infigere: ideoq; hic tantò major diligentia & cura adhibenda, quantò pretiosioris rei ille μεταγγισμὸς fuerit. Denique ut longè aliud est sensim & paulatim instillare, & quasi guttatim immittere: aliud ἀθρόως omnem liquorem superfundere, aut omninò vasculum ipsum confringere & comminuere: ita longè aliud est paulatim fructus eruditionis inserere, aliud nulla habita ratione & sine delectu cumulatè proponere, & ingenii teneritudinem, rerum graviorum molestia frangere & obterere. Nam (ut idem Quintilianus prudenter & rectè ait) nequaquam teneris ingeniis acerbè instandum, aut plena ab his opera & omninò absoluta perfectaq; exigenda est. Id enim cum primis & summa diligentia cavendum providendumq; est, ne pueri, qui studia nondum amare possunt, prius oderint, quàm intelligere aut per ætatem videre possint, quàm eadem amabilia jucundaq; existant. Nam iidem ut violenter & improvidè infusa respuunt: ita paulatim lentèq; accepta, diutius retinent & fidelius: ac summa, ut numismatis nostri Emblema innuit, MORAM CUSTODIA PENSAT. Optima autem custodia est frequens usus, qui perceptam doctrinam confirmat, & accedente mediocri etiam opera, nunquam eam ex animis deleri ullo tempore sinit. Et quanquam non omnia ingenia ejusdem felicitatis & fœcunditatis sunt (nam id in hominibus optare aut requirere velle, putidum & ineptum

ineptum sit: sicut nec omnia vascula vel aurea vel marmorea esse possunt) de nullo tamen unquam desperandum est. Est alius facilioris promptioris q. indolis, qui propositam doctrinam citò quidem percipit, sed eandem non perinde fideliter continet: est contra alius durioris ingenii, sed quod semel comprehendit, id tenacissimè retinet & amplectitur. Qua in re non multò secus, quàm in cera aut saxo accidere videmus. Ceræ enim ut molliori & ad digitorum impressum cedenti, nullo labore quidvis imprimas, sed eadem imagines & sigilla pro sua mollitie segnius retinet & facilius dimittit: at ferro ut difficilimè & laboriosissimè quidq. insculpitur, ita diutius, quod semel insculptum est, perdurat & consistit. Ut igitur Quintiliani illud præceptum nostro Emblemate concludamus: artes facilimè nulloq. negotio perdiscuntur, si tantum sumas, quantum ingenii vires capere possunt, & habeas aliquem, qui prudenter & maturè instillare doctrinæ liquores norit: & tu etiam ipse discere aut præcepta imbibere queas, nec ut futilia vasa aut Danaidum dolium omnia effundas aut transmittas: si denique usum etiam facilem adhibeas, qui præcepta non modo confirmet, sed ea quoq. animet & in actum deducat; & quod maximum est, custodiat & conservet. DIXI.

ORATIO TERTIÆ CLASSIS, RECITATA AB ALEXANDRO à SCHAUMBURG.

SÆpenumero mirari soleo Aud. optimi, hominum quorundam, imprudentiamne an impudentiam dicam? qui liberalium artium cognitionem in tantum

tantum contemnunt, ut quamvis aliam rem, quæ vel fortunæ vel corporis putatur, multis modis huic præferant: cum si recta ratione rem ipsam æstimare velimus, nihil hominis tàm proprium inveniamus, quàm hæc animi bona, hasq; mentis opes ac solidas divitias. Itaq; non possum non vehementer laudare vocem illam vel Biantis (ut Cicero & Valerius volunt) vel Stilponis, ut nostrum numisma habet: cujus patriam cum cepisset hostis, cæteriq; ejus cives ita fugerent, ut multa de suis rebus secum asportarent, essetq; ipse admonitus à quodã ut idem ipse faceret, resq; suas quas posset secum auferret, Ego vero, inquit, facio: Nam OMNIA MEA MECUM PORTO: Et rectè quidem ille vel Bias vel Stilpo. Etenim quid tàm proprium tamq; nostrum est, quàm quod non dico nos circumstat aut adjunctum nobis extrinsecus à fortunæ ludibriis pendet, sed interius & in animo hæret, quod non nisi animo sublato, auferri nobis potest? Divitiæ quidem & opes extra nos, & fortunæ ludibria sunt. At eruditio & homine erudito digna humanitas in animo tota consistit: hoc proprium solum, hoc unum domicilium habet: nihil hic loci fortunæ aut casui est. Illa igitur ludibria fortunæ (quæ nos etiam bona, si Diis placet, appellamus) philosophus ille noster ne sua quidem esse putavit: sed unicas illas animi opes suas proprias existimavit: quas, ut Valerius idem ait, pectore ille gestabat, non humeris: non oculis visendas, sed animo æstimandas: quæ domicilio mentis inclusæ, nec mortalium nec immortalium manibus labefactari possunt: & ut manentibus præstò sunt, ita fugientes non deserunt. Unde etiam tritum vulgari sermone proverbium natum est, Sapiens sua bona secum fert, & ut Græci rotundè loquuntur, ὁ σοφὸς ἐν αὑτῷ πάντα φέρει τὰ ἀγαθά. Accedit & illud, quod, si rem exactius perpendimus, dissimulare non possumus, illas certissimas possessiones esse, quæ nec incendio nec naufragio amitti, nec vi aut furto auferri, nec dolis fraudeq; averti possunt. Quid enim tàm incertum est, quàm quod vel vi ignis, & procellarum tempestatumq; injuriis vel raptorum furumq; scelere & violentia, vel hominum callidorum malitia eripi, & è nostra potestate removeri potest? Et quid necesse est hæc pluribus plana facere? Quid? nonne videmus eos, qui modò præclara beneq; fundata & ædificata palatia habuerunt, aut auro, argento, gemmisq; abundarunt, repentè Vulcano ista omnia præclara eripiente, pauperrimos fieri? aut postquam dolato ligno confisi ventis, & Neptuno se crediderunt, enatare nudos, sine spe, sine re, votiva tantum tabella Diis Servatoribus suspensa? Quot verò sunt,

qui cum in latronum insidias incidissent, unà cum rebus & pecunia vitam amiserunt? aut à furibus egregiè compilati, ex Cræsis ditissimis egentissimi Iri evaserunt? Hæc igitur cum tot casibus obnoxia, tot fortunæ telis, tot hominum injuriis exposita sint: quomodo certitudinis quicquam habere dicenda sunt? At eruditio, & ex eruditione vera orta humanitas, talibus casibus objecta non est: nihil hinc injuria, nihil vis, nihil calliditas, nihil rapina, nihil furtum decerpere potest: nullis incendiis, nullis naufragiis eripitur: denique illa ipsa (quæ rerum humanarum domina putatur) Fortuna, nihil in hanc juris habet: hic jacet, hic victa est: hic suam vim, potestatemq; exerere nullo modo potest: & quæ alioqui in rebus humanis sola utramq; paginam facere dicitur, hic suâ vi spoliata, neutram facit. Præclarè itaq; & ille Philosophus, cum naufragio facto è mari expulsus, in littore Geometricas figuras deprehendisset: socios suos jam amissis rebus omnibus miserrimos factos adhortatus est, ut ejusmodi bona sibi comparent, quæ nullis casibus fortuitis obnoxia, cum naufragis simul enatarent. Denique nonne illæ possessiones certissimæ sunt, ex quibus quæstus etiam & reditus certissimus est? Proverbio igitur dicitur, quod artem quævis alat terra, τὸ τέχνιον πᾶσα χαῖα τρέφει: quo proverbio teterrimus ille tyrannus, & monstrum hominis Nero sæpè usus fuisse fertur. Et alioqui nonnè humanitas, bonitas, prudentia, justitia & omnium virtutum concentus: præsentissimus fructus artium & eruditionis est? Rectè enim vulgò dici solet, quò quisq; doctior, eò humanior: sicut contra quò quisq; indoctior, eò tumidior, arrogantior & in aliorum contemtum facilior. Nam, ut Comicus ait, Homine imperito nunquam quicquam injustius, qui nisi quod ipse facit, nihil rectum putat.

Quæ cum ita sint: cumq; artes in animo nostro insint: & nec incendio nec naufragio perire possint: certissimumq; quæstum præbeant: rectè tandem concludimus, artes homini præstantissimas & esse & videri debere possessiones. DIXI.

ORA-

ORATIO SECUNDÆ CLASSIS, RECITATA AB ALBERTO KEVVITZ, Bambergensi.



QVod Plautus vetus comicus ait, suo regi pulchram esse reginam: id mihi accidit in hoc Emblemate, quod ex amplissimi & prudentissimi nostri Senatus munificentia modò accepi. Placent enim mihi præ cæteris duæ Mosis tabulæ, tàm affabrè cum gladio expressæ: quibus indicatur idem illud, quod Justinianus in proëmio suarũ Institutionum proposuit Imperatoriam scilicet majestatem non solum armis decoratam, sed etiam legibus oportere esse armatam: ut utrumq; tempus & bellorum & pacis rectè possit gubernari: & princeps Rom. non solum in hostilibus præliis victor existat, c
sed etiam per legitimos tramites calumniantium iniquitates expellat, & fiat c
tàm juris religiosissimus, quàm victis hostibus triumphator magnificus. c
Quanquam autem Justinianus eo in loco de Imperatoria duntaxat majestate loquatur: nos tamen idem omnibus Magistratibus & Rebusp. dictum putabimus. Nulla enim est Respub. nulla communio, nullus cœtus legitimè sociatus: qui non legibus & armis opus habeat. Et sic præclarè Jamblichus (ut Jornandes historicus refert) dixisse fertur: Romanos, quod armis & legibus se exercuerint, orbem terrarum suum fecisse. Armis siquidem construxerunt; legibus autem conservarunt, aut, ut nos dicimus, armis defenderunt; c
legibus rexerunt. Nam ut nostrum Emblema habet, LEX REGIT, ARMA TVENTVR.

Quod si ita est, id etiam hinc haud dubiè efficitur, quod Respub. artium cognitione vel præcipuè indigeat. Nam ad res divinas & humanas disceptandas, ad honesta & turpia discernenda, artium liberalium tractatione & intelligentia maximè opus est. Quid enim aliud profitentur artes, & præcipuè omnium liberalium artium mater Philosophia, quàm scientiam omnium rerum divinarum & humanarum, causarumq; quibus hæ res continentur, cum benè vivendi studio conjunctam? At hæc tàm præclara, universa complectitur LEX, *& quæ artium præcepta in umbra scholarum traduntur: ea omnia lex in lucem educit: eaq; fieri jubet mandatq;, cum contra fit pœnis mulctisq; cives cohercet. Itaq; rectè Marcianus J. C. ex summo Stoicæ sapientiæ Philosopho Chrysippo definitionem legis repetit hanc:* ὁ νόμος πάντων ἐστὶ βασιλεύς, θείων τε καὶ ἀνθρωπίνων πραγμάτων. δεῖ δὲ αὐτὸν προστάττην τε εἶναι τῶν καλῶν καὶ τῶν αἰσχρῶν, καὶ ἄρχοντα καὶ ἡγεμόνα, καὶ κύριον τοῦτο κανόνα τε εἶναι δικαίων, καὶ ἀδίκων, καὶ τῶν φύσει πολιτικῶν ζώων, προστακτικὸν μὲν ὧν πρακτέον, ἀπαγορευτικὸν δὲ ὧν οὐ πρακτέον. *Hoc est:* Lex tàm divinarum quàm humanarum rerum omnium regina est. Quò magis convenit, ut non solum rebus honestis turpibusque præsideat: sed etiam principatum ac ducatum teneat, & per hoc regulam præscribat justis simul & injustis: utpote quæ animantibus natura ad colendam societatem natis, facienda jubeat, prohibeatque non facienda. *Quæ cum ita se habeant, nemini amplius dubium relinqui potest, quin Rerumpub. non minima salus dignitasq; in artium liberalium usu consistat. Quod sanè omnium optimè amplissimus Noribergensis Reipub. Senatus intellexit, qui non modo scholas & suis civibus & nobis vicinis exterisq; populis, tanquam Reipub. formatrices aperuit: sed ipse etiam omnium rerum maximarum artiumq; præclarissimarum cognitione excellere voluit. Nulla enim est ex toto illo orbe paulò præstantior scientia, sive rerum antiquarum humanarumq; prudentiam, sive politicam doctrinam, sive jurisprudentiam sive historiam, sive variarum linguarum cognitionem, sive poëticam Venerem spectes: in qua non pereruditi multi inveniantur. O beatum vereq; inclytum Senatum Reipub. Noribergensis, cui hæc non πάρεργα, sed ἔργα sunt! ô fructum eruditionis & cognitionis, singularem humanitatem! ô miseros & longè huic senatui dissimiles alios & senatus & principes, qui omnem liberalem eruditionem & elegantiam ingenii aspernantur! Sed redeo ad Emblema nostrum, quo illud quoq;*

nisi valdè

nisi valde erro, innui videtur, quod docentium & omnium eorum, qui literas tàm sacras quàm prophanas tractant, munera à politicorum officiis maximè sint diversa & disjuncta. Illi enim docent, & doctrina sua regendi rationem monstrant: magistratus verò gladio armatus illis rectè & meritò imperat. Nec ulla Respub. felix est, aut suo officio rectè fungitur, nec propositam εὐδαιμονίαν consequi potest, in qua minister imperat, dominus paret. Sed de his satis: nunc sequenti lampadem trado. DIXI.

ORATIO PRIMÆ CLASSIS, RECITATA à GENEROSO D. JOHANNE FIERLEIO, Barone de Dambrovviza.

QUANTA sit poëtarum gravitas & sublimitas, quanta jucunditas: quanta ad permovendum animos hominum vis, quantaq; ad erudiendas mortalium mentes utilitas: neminem ex nobis esse arbitror, Amplissimi Viri, clarissimi ac doctissimi præceptores, & vos reliqui auditores humanissimi, qui id vel per se non videat, vel à præceptoribus quotidiè Poëtarum scripta enarrantibus non cognoverit. Licet enim poëtæ, pleraq; fabularum figmentis, & illis quidem non ineptis aut inconvenientibus, involvere & occultare soleant: tamen si rejectis hisce involucris & integumentis, quæ illi rei ipsius veritati quasi obtendere solent, singularem partium vim & significationem diligenter examina-

verimus & perscrutati fuerimus: multa profectò ibi & ad vitam rectè instituendam, & ad politias sapienter gubernandas, & ad naturæ arcana cognoscenda apprimè utilia latere deprehendemus. Id vero ipsum cum in aliis præclaris & eximiis rebus: tum verò præcipuè in illo insigni de Minerva (id est, prudentia & eruditione) commento videre & admirari licet. Cum enim prudentiæ præstantiam nobis proponere, ad eamq; nos exhortari vellent, finxerunt eam quasi Deam quandam, quæ esset ex Jovis cerebro procreata, quo significare voluerunt, prudentiam præcipuum donum Dei esse, cujus non nisi auxilio & gratia Dei adjuti, participes reddimur. Deinde eam præsidem liberalium artium & disciplinarum constituerunt, id quod eam harum artium inventricem primam fuisse testatur: quo, quid aliud intelligi volunt, quam prudentissimorum hominum industria & labore artium usum traditum & monstratum humano generi esse? Præterea arma etiam ipsi attribuerunt, ut galeam, hastam, clypeum, & loricam sive ægidem: quæ Ovidius hoc disticho complexus est, cum ait:

At sibi dat clypeum, dat acutæ cuspidis hastam,
Dat galeam capiti, defenditur ægide pectus.

Et Homerus Iliade quinta eadem propemodum describit, cum sic ait:

Ἡ δ' ἐς χιτῶν' ἐνδύσετο Διὸς νεφεληγερέταο,
τεύχεσιν ἐς πόλεμον θωρήσσετο δακρυόεντα.
ἀμφὶ δ' ἄρ' ὤμοισιν βάλετ' αἰγίδα θυσσανόεσσαν
δεινὴν, ἣν περὶ μὲν πάντη Φόβος ἐστεφάνωτο,
ἐν δ' Ἔρις, ἐν δ' ἀλκή, ἐν δ' ἰφθίμη κρυόεσσα ἰωκή.
ἐν δ' ἥ τε γοργείη κεφαλὴ δεινοῖο πελώρου
δεινή τε, σμερδνή τε, Διὸς τέρας αἰγιόχοιο.
κρατὶ δ' ἐπ' ἀμφίφαλον κυνέην θέτο τετραφάληρον
χρυσείην, ἑκατὸν πολέων πυλέων ἀραρυῖαν.
ἐς δ' ὄχεα φλέγεα ποσὶ βήσετο. λάζετο δ' ἔγχος
βριθὺ, μέγα, στιβαρὸν, τῷ δάμνησι τέχας ἀνδρῶν
ἡρώων οἷσίν τε κοτέσσεται ὀβριμοπάτρη.

Atque hæc omnia non temerè aut sine consilio ipsi addita sunt, sed singula habent peculiarem significationem, secundum quam intelligi volunt. Et galea quidem cristis insignita notat, prudentiam singulare ingenii humani esse decus & ornamentum, sicut cristata galea capiti imposita illud decorum &

rum & illustre efficit. Hasta longa, quam manu tenet, monet & indicat prudentiæ aciem, longè prospicere, longéque ferire. Clypeus etiam, cui Gorgonis caput insculptum est, singulari sua significatione non caret. Sicut enim capite Gorgonis prolato & monstrato Perseus hostes suos in statuas mutabat, ita homo prudens in sui admirationem, hominum omnium oculos & ora convertit. Nam ex armorum & literarum præstantia admiratio oritur. Et quemadmodum Gorgonis capite amputato, repente Pegasus ex sanguine exiliit, cujus ungula percussa terra fontem Caballinum effudit: ita prudenter & magno cum consilio, hoc Gorgonis caput fonti nostro impositum est, ex quo doctorum virorum ora irrigata, magnas sui admirationes excitabunt. Lorica vero & ægis, quæ pectus ipsius tegit, innuit prudentem virum sua consilia tegere & occultare debere. Adhæc nocturnam tutelæ ipsius adjecerunt, in quo etiam prudenter eos naturam noctuæ spectasse, quis non videt? Quæ sicut & ipsa Pallas, γλαυκῶπις, id est, glaucis oculis est, & prudentiæ symbolum & quasi imago est. Ut enim noctua in tenebris perspicax valde est & omnia videt; ita prudentia in tenebris lucet, & in nocte consilium est, unde Athenienſium numisma imagine noctuæ signatum erat. Et Plutarchus in vita Periclis scribit, cum Pericles concionem habiturus superius navis tabulatum ascendisset, unde ad populum verba faceret, noctuam ad dexteram ipsius advolasse, atque in malo navis consedisse: quod omen effecit, ut omnes Periclis sententiam sequerentur. Postremùm fingunt etiam Palladem perpetua virginitate frui, atque inde à græcis ἄμωμα appellatur, quasi ἀμώμητον παρθένον, id est virgo immortalis. Sed quam habuerunt hujus etiam consilii rationem? Certè sicut virginitas perpetuum bonum est, nec facilè interit aut marcescit; sic prudentia, quæ una est ex illis rebus, quæ nec tempore nec ulla vi debilitari aut corrumpi possunt, immortalis & æterna est. Verum ut hanc Palladis μυθολογίαν adhuc expositam ad propositum nostrum deducamus & accomodemus, sciendum est, Pallade nostra id est literis (quarum præses ipsa est & ex quibus prudentia solida existit) in omni vita opus esse, & ut Emblema nostrum docet, prudentiam & studia literas q; requiri, SEU PACEM SEU BELLA GERAS. Ideo etiam Cicero Minervam voluit sui Gymnasii ornamentum γυμνασιῶδες esse, ut scribit ad Atticum, quin & religiosissimè eam coluit, ut Plutarchus in ejus vita testatur. Et Palladem, tanquam Deam prudentiæ & doctrinæ, à pueris in scholis olim cultam fuisse, ex Ovidii loco, qui est lib. 3. Fastorum, colligi potest, ubi ait:

Νοκτύα φρ-

Pallada nunc pueri teneræque ornate puellæ
Qui benè placarit Pallada, doctus erit.

Cæterum cum hæc leviora sint, quàm ut prudentiæ & studiorum utilitatem, vel potius necessitatem satis exprimere possint: aliunde etiam, ad declarandum id, quod volumus demonstrationes petemus. Nam quod dicitur prudentiæ & literarum adminiculo & ope, tàm pacem quàm bellum consistere, sine his neutrum rectè administrari posse, id certè cuivis satis perspicuum est. Etenim ut primum de bello dicam, quid quæso Imperator rudis, & literarum adeoq; rerum imperitus, in bello contra potentem & providum hostem gerendo præstare posset? Nonne potius amissa exercitu summa cum sua & patriæ ignominia, summo etiam cum detrimento & jactura civium, non ita ut summi illi duces triumphabundi, & magno cum multorum & patriæ gaudio atque gratulatione, sed paucis, quos casus funestæ cladi eripuit, comitatus, pro lætitia fletum & lachrymas, pro gratulatione dirarum imprecationem, pro triumpho æternam infamiam reportans redibit? At si prudens & tàm pacis quàm belli artibus instructus Dux bellum aliquod gerit, quam felicia principia, quam prosperos successus, quamq; lætos exitus habeat videmus. In pace etiam sæpenumerò inertes & indocti magistratus, multa & gravissima mala toti civitati creare solent: cum eam nec legibus regunt, nec salutaribus disciplinis instruunt, sed suo impetu & cupiditatibus ferri, quò vult, sinunt: unde vitia teterrima & execranda nascuntur, quæ deinceps maledictio, & omnis generis gravissimæ pœnæ divinæ manent: atque ita magna pars hominum, ob contemtum prudentiæ, æterno exitio perit. Felices contrà nec injuria, censentur eæ Respub. & civitates, quæ à sapienti magistratu gubernantur: Unde etiam, cum præ cæteris omnibus, Athenienſium, Lacedæmoniorum & Romanorum Respub. hac gloria maximè eminerent, florentissima & potentissima totius orbis imperia habita sunt. Nihil refert multis verbis commemorare Regum, & Imperatorum prudentum consilia & rationes, quibus vel ampliſſima imperia salva & integra conservarunt, vel angustiora auxerunt & ampliârunt: cum id cuiq; vel leviter saltem in historiis versato, tot clarissimorum Ducum, Regum & Imperatorum exempla, apertè demonstrent. Atque, ut de reliquis taceam, Cæsar noster Imperator laudatissimus & prudentissimus, tàm pacis quàm belli, sed belli magis artibus instructissimus, satis exempli est, prudentiam, quæ ex literarum cognitione oritur, magnum mo-

gnum momentum adferre, ad bella feliciter gerenda. Quoties enim audimus eum res suas, ab adversa fortuna implicatas, & multis difficultatibus impeditas, prudentia sua, quam ex literis consecutus est (nam ejus non vulgarem doctrinam commentarii elegantissimè doctissimeq. ab eo scripti arguunt) expediisse, & victorias sæpè desperatas obtinuisse. Jam etiam pro exemplo prudentiæ in pace Ciceronem rectè adduci potest. Qualem enim tum in gerendo consulatu, quàm agendis causis se præstiterit, non opus est verbis multis exponere, cum id meridiana luce clarius sit. Hisce artibus cum sint destituti, & planè nudi multi principes nostri seculi, quam egregiè etiam se gerant, quamq. ad tantum munus sustinendum & defendendum apti sint, quotidiana experientia docet. Et enim cum literarum studia neglexerint & contemserint, sæpè fit, imò semper, quotiescunq. gravior aliqua res inciderit, ut alienis & oculis videre & auribus audire cogantur. Nemo igitur jam inficias ire potest, Palladem hanc nostram sive bellum gerendum, sive pax colenda, sive negotia aliqua peragenda, sive legationes obeundæ sive homines docendi sint, sive dezq. aliud quid tractandum sit, magnum usum nobis præstare: sineq. ea nihil dextrè aut feliciter geri in vita humana posse. DIXI.

GRATIARUM ACTIO, RECITATA PER HERMANNUM à Werfabe, Cattum.

MAGNE pater Divûm, solus qui sidera torques,
Et timidas hominum perterres fulmine mentes:
Quòd Solem aspicimus, quòd cœli carpimus auras
Omne tuum est: tu nos è matris primitus alvo
In lucem eduxti: tu nos (quæ magna potestas
Est tua) mirificis decorasti dotibus, atque
Ingenii ornasti virtutibus: insuper, utte
Atque bonas artes colere & didicisse queamus,
Egregios animi & felici sidere natos
Das Mecœnates, quis omnis Norica pubes
Debet & externis quicunque accedit ab oris

Hausturus nostro doctas de fonte Camœnas.
Tu pacem donas, & sævi prælia Martis
Arces à nostro, pestemque famemque Lycæo.
Quin etiam fraudes removes, artesque dolosque,
Quis malesana cohors, verumque exosa, Sophistæ,
Humanæ cupiunt præstringere lumina mentis.
Quas igitur grates, memori quæ pectore contrà
Dona tibi dabimus? qua te placabimus arte?
Quis vitulus dignus te sacras imbuet aras?
Grata tibi est pietas, labiorum & victima plus quàm
Ulla hecatomba tuis arridet sensibus: ergo
Nostra tuas laudes, sanctumque per omnia nomen
Lingua canet, nullum langueſcens muta sub ævum,
Innumerabilibus sed concinet impigra seclis
Te pater, & manibus quæ munera porrigis amplis.
Tu modò quæ pleno donasti commoda cornu,
Hæc augere velis eadem, semperque tueri.
Sic pietas sua sceptra, & latè regna tenebit
Relligio: sic Christi æternùm fama vigebit.
His tibi magne pater votis, sacrisque solutis,
Nunc mihi sese offert sublimibus alta columnis
Curia, fulgenti non indignanda senatu,
Consessusque patrum, & sancti subsellia cœtus,
Cui video immixtam fidem, circumque supraque
Justitiam, mores, & fas, rectumque piumque.
Hæc laus communis: propriam ac si fortè requiris,
Sunt alii, emenso quos experientia mundo
Nobilitat, moresque hominum, gentesque remotæ,
Quas adiêre: adeò nullis exterrita monstris
Aut maris aut terræ, fortissima pectora gestant,
Sunt quos castra sequi juvit juvenilibus annis,
Bellonæque acies: alii sua pectora doctis
Artibus ornarunt, cœlum quoque mente sagaci
Subjecêre sibi, atque scholæ moderantur habenas,

Musa-

Musarumque decus. Sed me, si singula pergam
Dicere, deficiat tempus: quapropter iniquo
Exclusus spacio, hæc aliis dicenda relinquo
Unum illud memorans iterumque iterumque reponam,
Quòd præclara sacris sunt ista palatia Musis
Ingenti sumtu per nostrum extructa Senatum:
Quodque idem studiorum incensos fervido amore
Provehit & magnis sustentat sumtibus omnes:
Sufficit & doctos, insignesque arte magistros,
Ingenuasque coli mandat non segniter artes:
Excitat & fontes, quibus olim docta virorum
Ora rigata, illum sustollent laudibus, in quas
Tempora nil quicquam sibi juris edacia furant:
Et quibus, imperiosa licet, tamen ipsa potestas
Parcarum cedat, volvendis sedula fusis.
Hæc & tanta, inquam, quibus unquam laudibus æquem?
Non si in præcipiti vidissem somnia monte
Virginibus Bromióve sacro, totumque bibissem
Fontem illum, alati quem præpetis ungula fodit:
Talia ritè meo percurrere carmine possem.
O quantas segetes veræ consurgere laudis,
O quantum cernemus opus? quæ gloria, quæque
Fama hinc, ingenuis veniet celebranda Camœnis?
Ergo omnes quibus & Musæ & sapientia curæ est,
Huic operi favisse velint, fœcundaque mentis
Pectora concutiant, & amatas cuilibet artes
In commune ferant, cœptisque ingentibus adsint,
Nulli etenim fomes nutrixve ignobilis oti
Vita fruenda data est: missas in fercula glandes
Dedidicit mortale genus, jam fruge reperta
Muneribus superûm magnis, factisque benignis,
Improba latrantis pellit jejunia ventris.
Non etiam desunt juncti consortia cœtus,
Contiguæque casæ & vitæ communia jura.

Nec res ulla magis noſtris accommoda rebus,
Et mage chara Diis: cernes ſuccedere ſecla
Aurea, Muſarum cernes ſuccreſcere laudes.
Nonne vides Jove nata olim, Tritonia virgo
Et quæ Munychias defendit cuſpide terras,
Ægida celatam portans, aſperrima bellis,
Armorumque potens: ut fulget Gorgone miti,
Miteque ſanguineæ nutant in vertice criſtæ?
Qua duce permulti poterunt conſurgere ad aſtra,
Et claro ſummum contingere vertice culmen.
Cura aliis fuerit ſacros evolvere libros,
Et fidei ſecreta piæ: quo nempe profundi
Aurea dante piis reſeretur janua cœli.
Aſt ſacrarum alii ſolvent ænigmata legum,
Et juris nodos: quo res ſit publica pacto,
Quo privata gerenda; & qua ratione tuenda
Munera Juſtitiæ. Nam tu, ſanctiſſima mater
Immani turbata chao atque horrentibus umbris
In claram quondam fudiſti ſecula lucem.
Tu primum obſcuris homines Dea maximā ab antris
Eductos facili docuiſti aſſueſcere cultu:
Tectaque vicinis componere proxima muris.
Te monſtrante fidem, legem, rectumque fovemus,
Te duce punimus pravi conſortia cœtus.
Quin & qui duri contagia pellere morbi,
Quique Machaonias homines juviſſe per artes
Poſſint, hoc noſtro complebunt pocula fonte.
Non illos fugiet, venturæ ſemina peſtis
Quo pellenda modo, nec non quo morbida ferro
Ulcera ſcindantur, ne pars illæſa trahatur.
Attulit has clades olim mortalibus ægris
Ira Jovis, poſtquam ſplendentis ſuſtulit ignis
Japeto natus de ſummo ſemina cœlo.
Illinc prima mali labes & in ordine multæ

Morborum

Morborum ſpecies terras cepere jacentes.
Tractabunt alii multis ſudoribus artes
Humanas, tripliciq́ue ornabunt pectora linguâ:
Orabunt cauſas & pleno verba theatro
Effundent, verumq́ue alterno texere nodo
Nitentur, numerosq́ue in docto pulvere ſcribent,
Et doctas certa ducent ratione figuras.
At quibus hæc ingrata & duri plena laboris
Eſſe videbuntur, faciles addiſcere Muſas
Hi ſatagent, ſolis conceſſas atque poëtis
Illecebras noſcent, guſtabuntq́ue aurea vitæ
Degendæ præcepta, & regni flectere habenas
Scitè condiſcent: aut in penetralia magna
Naturæ ingreſſi, cauſas cognoſcere rerum
Obſcuras cupient: quónam aurea ſidera motu
Circum elementa meent, quo curſu Cynthius orbem
Perluſtret, toties cur Phœbus lumina mutet.
Cur tàm longa dies Cancrum nunc Sole tenente,
Cur nox adverſo fit longior in Capricorno.
Unde fluant venti, quisnam ignea fulmina mittat,
Quæ terram quatiant vires: cur nubila venti
Diſpellantq́ue fugentq́ue alii, cœlumq́ue ſerenent,
Contra alii ad ſeſe conſtanti lege reducant.
Hiſtorias alii, vitæ quoque geſta prioris
Evolvent, arma atque acies & prælia dicent,
Et cum magnanimis cognoſcent regna Monarchis.
Tu tantum Deus alme, paterq́ue hominumque Deumque
Longius à noſtris depellito fontibus omnes
Viroſas tetraſq́ue feras: procul inde chimeræ,
Immundíque canes abſint & amica luto ſus:
Et violator aquæ longè turpiſſimus, hydrus.
Aſt adſint atque hinc guſtent animalia pura:
Florilegæ hinc glomerentur apes: quibus eſt labor ingens
Vere novo, Zephyris flores felicibus ortos

Per prata & riguos sectari suaviter agros.
Callir hoë hac sedentque sitim, quibus est amor ardens
Palladias artes, & pectora docta tueri.
Denique Castalidum fons hic gratissimus esto,
Qui scateat vivatque omni memorabilis ævo.

DIXI.

IV. PANEGYRIS, Anni 1580. & Academiæ Altorphinæ natalis.

SUB RECTORATU D. D. JOHANNIS-THOMÆ FREI. C. I. I. I. JC.

INVITATIO AD AMPLISSIMUM SENATUM NORIBERGENSEM,

Græcè recitata per

PLATONEM-MATTHIAM SCHILLERUM.

Πανσόφως ὑμῖν & πάνυ καλῶς, ὦ ἄνδρες, τὴν τῆ Ὑγιείαν ἐνδοξότατοι, καὶ τὴν τῶν καλλίστων ἀρετῶν συζυγίαν ὑπερέχοντες, τὰ ἔμπερι παιδευτήρια διατάκτατε, ὅτι καθ' ἕκαστον ἔτος, καὶ τὸν νυνὶ καιρὸν, ἐν ἱερᾷ τινι ἡμέρα πανηγυρικῶς ἑορτάζομεν. Καὶ πρῶτον μὲν, ἀναγκαίστως τὸ πρότερον γενομένης, χειροτονίας τοῖς μαθηταῖς, τοῖς ἐπὶ παιδείᾳ & μαθήσει δόξαν ἔχουσι, διαδίδοντες. ἔπειτα δὲ εἰς τὰς ἀνωτέρω τῶν συμμορφῶν καὶ ἀκροάσεων μεθίστανται. αὕτη δὲ ἡ διάταξις οὐ μόνον ἀξιεπαίνετος, ἀλλὰ καὶ πάνυ λυσιτελὴς καὶ τὰ μάλιστα ἀναγκαία τυγχάνει. ἔστι. Θηρύγει γὰρ (συνελόντι εἰπεῖν) τὴν σοφίαν καὶ τὴν

τὴν προαίρεσιν τῶν νέων πρὸς φιλοπονίαν, ἵνα πλείονα περὶ τὴν ἀρετὴν ὦσι τὰς τάχιας ἐπιμέλειαν καὶ σπουδὴν ἔχωσι. Παρελείπω ἄλλας πολλὰς ὠφελείας τούτῳ τῷ ἔθει συμπαρακολουθούσας. Ἀλλὰ μὴν χωρὶς τῆς παρρησίας, τῆς ἐνδοξοτάτης μαθήσεως τοιαύτην πανήγυριν ἐπιτελέσαι οὐ μὴ δύναιο. Καθὼς γὰρ τὸ γυμνάσιον τὸ Αλτροφιανὸν τῇ ἐλευθεριότητι ὑμῶν κατέσχηται, οὕτω καὶ νῦν τῆς ὑμετέρας συμβουλῆς, φροντίδος, βοηθείας, ἐπιμελείας καὶ ἐπιτροπῆς διὰ παντὸς καὶ ἐπὶ πάντα τὸν χρόνον προσδεῖται. μάλιστα δ' ἂν ταῖς πανηγύρεσι τὴν ὑμῶν παρρησίαν τις ἀξίωμα ἐπιθεῖ, οὕτω γὰρ ἂν μόνον αὐτὸ τὸ διδασκαλεῖον, ὡς ἀγαπητὸν θυγατέριον ἐκ τῆς ὄψεως ὑμῶν μείζονα χαρὰν καὶ ἡδονὴν λαμβάνει, καὶ τὸν φιλόστοργον ὑμῶν θυμὸν καὶ εὐμένειαν ἐναργῶς θεωρεῖ καὶ γνωρίζει. Ἀλλὰ καὶ οἱ σύνοροι, καὶ οἱ ξένοι, οἱ εἰς τὰς παρασκευὰς καὶ τελετουργίας τοιαύτας παραγενόμενοι, ἐκ δ' ὑμᾶς αὐτὸς παρεῖναι, τὴν ἐξαίρετον ὑμῶν ἐπιφροσύνην τε, καὶ τὸν πρὸς τὰς μούσας ἔρωτα, καὶ ἐπὶ τὸ τοὺς βροτοὺς εὐεργετεῖν φιλοτιμίαν γινώσκοντες, αἰνέσουσι, καὶ ἔνδοξον περὶ τούτων φήμην διαδώσουσι καὶ παμπόλλων τῶν ἔξω εὐφημίαν τε καὶ χάριν ὑμῖν παρασκευάσουσι. Τοῦτο δὴ γνωρίσαντες ὁ μεγαλοπρεπὴς ἄρχων, ὁ πανηγυρισὴς, καὶ οἱ ἕτεροι σοφώτατοι ἄνδρες τὸ φροντιστήριον διοικοῦντες ἐξελέξαντο ἡμᾶς, καὶ πρέσβεις, ἀπέστειλαν, κελεύοντες εἰς τὴν πανήγυριν ἐν τῇ ἑορτῇ δ' Πέτρου καὶ Παύλου τῶν ἀποστόλων γενησομένην ὑμᾶς παρακαλέσαι. ἀκοῦσον, ὦ ἄνδρες ὑπέρτατοι καὶ ἐξοχώτατοι, τῆς ὑμετέρας μεγαλοπρεπείας καὶ ὑπεροχῆς καὶ τῶν ἐκ τῆς γερουσίας ἑτέρων δεόμεθα, δ' ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῇ ῥηθείσῃ παρελθόντας εἰς Αλτόρφιον, τὰς δ' γυμνασίας ὑμῶν ἑορτὰς τῇ ὑμετέρᾳ παρουσίᾳ διαπρεπεστέρας ποιῆσαι, καὶ συνεπιτελέσαι. Οὐδὲν ὡς ἀληθῶς περὶ πάντα τὸν βίον πάντες οἱ δ' γυμνασίας μέτοχοι οὕτω σπουδάσουσι ἢ ὡς τὸ τὰ εὐεργετήματα ὑμῶν διαγινώσκειν καὶ ἐπιφημίζειν καὶ ἐντεῦθεν καθάπερ ἐκ πηγῆς ἓν τῶν εὐπρωτάτης ἐφιλειῶν μειζόνων ὑδραγωγίας, τῆτε πόλει ὑμῶν, καὶ τοῖς ἄλλοις χωρίοις, καὶ διὰ σπουδῆς ἔχουσι ὥστε μηδένα χρόνον δύνασθαι λήθην ἐμποιῆσαι δ' παρ' ὑμῶν εὐεργετήμασιν. ΕΙΡΗΚΑ.

ALTE-

ALTERA INVITATIO LATINE, RECITATA PER BURCCARDUM AB HERSPERG.

ITsi, Viri omnium ampliſſimi & prudentiſſimi, eâ ego dicendi facultate præditus non ſum, quàm fortaſſis hic præſens locus & amplitudinis veſtræ præclariſſimus conſpectus requirit: juſſus tamen à Magnifico D. Rectore Gymnaſii Altorfini, cæteriſq; Dominis profeſſoribus & præceptoribus, omni officiorum honorumq; genere reverenter colendis, hanc vos, Viri Magnifici, compellandi provinciam honeſtè ſuſcepi, cui ut aliqua ſaltem ex parte ſatisfaciam; primum omnium vos ſcholæ præfectos ſtudiorumq; noſtrorum Patronos, & Mecænates ampliſſimos, perofficioſè rogo, ut benignè & æquis animis me dicentem audiatis, ac potius voluntatis, honeſtatis & obedientiæ præceptoribus debitæ, quàm facultatis & ingenii mei imbecillitatis, in hoc negotio mihi demandato rationem habeatis. Quemadmodum Imperatores, Viri ampliſſimi & prudentiſſimi, acie jam legitimè inſtructa ſolent, quanquam paratiſſimos milites ad præliandum videant, eos tamen cohortari: ita juvenes in militia literaria conſtituti, quanquam ſua ſponte ſatis ſint incitati, & ad laudis ſtudium erecti, ad literarum tamen amorem perpetuum, & culturam earum religioſam ſubinde ſunt adhortandi. Ut enim multa ſunt, quæ paratos & in acie ad ſummum virtutis decus rectà contendentes impediunt, quò minus rem præclarè gerant victoresq; evadant: ita non pauca ſunt, quæ optimè etiam à natura comparatos, & ad ſummam Palladis arcem, hoc eſt, veri ſcientiam & virtutis actionem properantes è medio quaſi curſu abripiunt, quò minus ad propoſitam ſibi metam cum laude perveniant. Non temerè igitur à prudentiſſimo Senatu Noribergenſi conſtitutum eſt, ut in Schola Altorfiana, ſuperioribus annis aperta, legibus ac ſtatutis ad diſciplinam ſcholaſticam firmandam communita, non ſolum Claſſes eſſent diſtinctæ & ſeparatæ, in quibus ſingulis ſingulæ artes ſeorſim ordine & methodicè traderentur, earumq; uſus per Analyſin & Geneſin in optimis authorum ſcriptis monſtraretur: verùm etiam ut ſingulis annis examina & progreſſiones publicæ ad certum diem haberentur, in quibus eruditiores

eruditiores examine probati, præmiis & honoribus afficerentur, atque ita ad cœptum studiorum cursum, tanquam milites fortes, feliciter absolvendum animarentur: infirmiores verò minusq; exercitati hoc ipso spectaculo nequaquam otioso, ad majorem alacritatem & diligentiam in hac literaria militia adhibendam excitarentur. Hic verò inquam dies, Viri magnifici, publicis illis progressionibus instituendis, honoribus classicis distribuendis, & aliis non injucundis exercitiis scholasticis adhibendis destinatus, cum rursus per gratiam divinitus concessam nunc adsit, & non tàm professorum & præceptorum aliorumq; literatorum hominum, quàm ipsius amplissimi Senatus & vestræ amplitudinis, utpote scholæ hujus & universæ rei literariæ nutricis honorificam præsentiam flagitet & avidè expectet: totius scholæ nomine rogo, summisq; ab amplissimo Senatu vobisq; Scholarchis & studiosæ juventutis Mecænatibus dignissimis precibus contendo, ut ad proximum diem Divorum Apostolorum Petri & Pauli memoria celebrem huic solemni & publico actui nostro interesse, & hac etiam in parte vestrum in bonas literas & humanitatis studia amorem, adeoq; universum cœtum scholasticum, benevolentiam singularem haud gravatim contestatam facere dignemini: Imitantes laudatissimi Imperatoris Caroli Magni piæ memoriæ exemplum memorabile, quem ferunt delectatum ita fuisse scholis & exercitiis scholasticis, ut non modo illius Parisiensis author & fundator extiterit: sed & discentium profectum, in ea aliquoties ipse explorarit, segniores officii commonuerit: diligentiores verò præmiis & honoribus affici & ornari jusserit. Pro hac eximia in nos & scholam vestrã benevolentiâ, vicissim omnes & singuli studium, fidem & industriam in bonarum literarum cultura, & toto vitæ nostræ curriculo reverenter pollicemur, quodq; reliquum est, nos adeoq; totam scholam nostram, amplitudinis vestræ tutelæ & fidei humiliter commendamus.

DIXI.

ORATIO PRIMÆ CLASSIS, RECITATA PER JOSEPHUM STAUDNERUM Sultzbacensem.



QUANTUM verecundiâ meâq; infantiæ conscientiâ, Magnifice Domine Rector, ad dicendum retardor, tantùm parendi studio rursus incendor & incitor: ad quod ipse numismatis hujus, quod paullò ante liberalitate amplissimi Senatus dono accepi, character sive Emblema me prolectat. Video enim Jovem inibi expressum cognomento Σωτῆρα, quem ex fulmine, quod dextrâ tenet, & ex aquila cui insidet, Regem hominum Deorumq; nemo non agnoscit: sicut & altrinsecus uxorem ejus Obedientiam jugum, quod in manu est, ostendit; & in medio filiam utriusq; felicitatem Cornucopiæ demonstrat. Sed & epigraphe legendum exhibet: OBEDIENTIA FELICITATIS MATER. Lepidè & ingeniosè hæc ita finxit Æschylus, cujus de hac re versus sunt in ἑπτὰ ἐπὶ Θήβαις:

Πειθαρχία γάρ ἐστι τῆς εὐπραξίας
Μήτηρ, γυνὴ σωτῆρ᾽. ὧδ᾽ ἔχει λόγος.

Qui versûs, si fieri posset, aureis in omnium nostrum animis scribi debebant litteris, sicut & illud dictum Theopompi Regis Lacedæmoniorum: qui, dicente quopiam, Spartæ salutem inde proficisci, quod Reges ad imperandum haberet idoneos; Non ea, inquit, est causa, sed quod cives obedire norunt, ut auctor est Plutarchus in libro de Civili Institutione, & in Apophthegmatis Laconicis.

Laconicis. Quid enim, obsecro vos, auditores, obedientia præclarius ac præstabilius est: absq; quâ foret, ne hoc Universitatis quidem (agnoscitis verbum Tertullianni) oscillum, ex axe suspensum librari, nec mundus ornatum & ordinem suum servare vel punctum temporis posset? Quæ enim alia res Cœlum; Solem, Lunam; elementa, totumq; adeò hoc universum tuetur ac conservat, nisi quod Deo parent & obediunt? Utinam in creatorem homo quoque obsequium non exstitisset! Non enim simul felicitatem suam, quam in Paradiso concoquere non potuit, evomuisset. Melior est enim obedientia, quàm victimæ, & auscultare magis, quàm offerre arietem: quoniam quasi peccatum ariolandi est, repugnare, & quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere, ut libro 1. Regum, cap. 15. Sauli Regi Propheta Samuel ingerit. Sed & Zalcuci scitum est: ὅτι μεγίστων κακῶν ἀρχὴ ἀναρχία, quod dictum ita difc
fundit C. Julius Cæsar apud Dionem Cassium lib. 41. Intelligitis enim (inc
quit) quale decus hoc domus futurum sit, si natu minoribus ætate grandioc
res despectui sint; quale ludorum litterariorum, si discipuli magistros contec
mnant: quæ spes sanitatis ægrotis, si non per omnia medicis obtemperent? c
quàm tuta navigatio, si nautæ gubernatorum jussis non pareant. Ita natura c
duas necessarias res easdemq; salutares comparavit in humano genere, ut alii c
cum imperio essent, alii ei subiicerentur: nihilq; est, quod, absque his foret vel c
tantillo perdurare spatio posset. Hæc ille, imperatorio spiritu adversus militem c
seditiosum tonans: quorum omnis memoria veritatem comprobavit. Quot enim Respublicas everstas? quot exercitus fusos legimus contumacia parendi? Sciebant hoc Romani illi Consules, quorum secures sanguine filiorum cruentabantur, ne parendi dedignatio militum animis inolesceret: Norat idem magnus ille Persarum rex Cyrus, quem dicere solitum accepimus, in milite præcipuâ esse obsequii gloriam. Cui dicto veluti succinens apud Thucydidem lib. 5. Brasidas, hæc censete, inquit, bonæ militiæ, Velle Vereri, Obedire: Nec hinc abludit monitum Pauli Æmilii apud Liviam lib. 44. quo militem hæc tria curare debere docet; corpus ut quàm validissimum & perniciissimum habeat; arma apta; animum paratum ad subita imperia. Prætereo nunc Hannibalem succinctum non tam virtute, quàm obedientia militum: qua potissimum arte per tot annos virtuti populi Romani inequitavit. Sed & Temurlanem illum memorant, ingentes suas victorias obsequio potius, quàm virtuti militum debuisse. Prætermitto nunc etiam Turcicos successus, ab hac olim

præcipuè caussâ, judicio prudentium, profectos. Ferdinandum Neapolis & Siciliæ regem prælio ad fluvium Sarnum prope jam victorem temeritas & inobedientia militum adflixit: eundem biennio post prælio in Apuliâ depugnato obedientia militum rursus erexit, & hostium etiam confessione, sola victorem effecit: ut autor est Jovianus Pontanus libro 5. de obedientia militari. Sed quid ago? quo abripior? Ab armatâ igitur militiâ ad hanc togatam convertor: quam militantes adolescentuli veluti custode indigemus Obedientiâ. Nam alias, ut nimis quàm vera cantat Theognis:

ἦδη καὶ νεότης ἐπιχυφίζει νόον ἀνδρὸς,
πολλῶν δ' ἐξαίρει θυμὸν ἐς ἀμπλακίην.

In quam sententiam etiam eleganter Gregorius Nazianzenus

Ὅπερ ἦ πέφυκε, inquit, θρεμόσης ἀεὶ νέων
Ὁρμαῖς ἀτάκτοις ἀκόλως ῥιπίζεσθαι
Ὡς πῶλον ἄθλων εἰς δρόμους, θυμοῦ πλέως.

Et salutare igitur, & felix, ô æquales, hoc obedientiæ est jugum, quod nobis imponitur, ne & in nostram & aliorum perniciem liberi exultemus: Quæ enim res alia temeritatem adolescentiæ reprimat? cupiditates refrenet? impetus obfuturos coërceat? licentiam circumscribat? Quid deniq; nos incautos ac pericula appetentes nostra ab interitu arceat, præterquam obedientia? Nam certè prudentia, quæ mentis est oculus, hanc nostram ætatulam minimè respicit. Superest igitur, ut iis, qui eâ pollent, & quorum in manu nos Deus esse voluit, rectè monentibus, & ad salutem & felicitatem veluti facem allucentibus, pareamus. Quod qui facere abnuunt, eos vix ipsa salus sufflaminârit cæco impetu in exitium ruentes. Audiamus, obsecro vos, commilitones, de hoc ipso gravissimè simul ac sapientissimè differentem Platonem lib. 4. de legibus. Qui, inquit, superbiâ elatus est, quod pecuniâ vel honoribus antecellat, vel forma corporis emineat, cumq; eâ juvenilis animus dementiâ simul ardet & petulantiâ, quasi nec principis, nec ducis ullius indigus, sed aliorum ipse satis idoneus ductor, ita penitus à Deo deseritur. Desertus autem, & qui in pari caussâ sint, nactus socios, exsultat, omnia simul miscens ac perturbans: multisq; videtur esse aliquid: sed paullò post inculpato Dei judicio pœnas luens, seipsum, domum suam, civitatem deniq; universam eodem secum exitio involvit. Hactenus ille. Qua quidem Philosophorum Phœnicis tam gravi tamq; salutari oratione omnium eorum, qui excusso obedientiæ jugo, contumaces

maces ac refractarios sepræbent superioribus, noctu diuq; aures personare debebant. DIXI.

ORATIO SECUNDÆ CLASSIS, RECITATA PER LIBERIUM HOFMANNUM, Thuringum.

NUnquam oculis tantum caliginis offusum est, Magnifice Domine Rector, quàm quum modò eos defixi in hanc monetam, quæ conclamatissimam illam de armis Achillis, Ajacem inter & Ulyssem præfert contentionem, cum symbolo Ciceronis: CONCEDAT LAUREA LINGUÆ. Video mihi laudandam esse Eloquentiam: quæ cujus sit coloris, nondum suspicari tirunculus possum: atque insuper de arte imperatoriâ dicendum, ut majus, quàm delirus ille senex Phormio, puer investis ludibrium audientibus debeam. Sed, age sis, frena linguæ laxemus: vituperationem enim temeritatis obtemperandi necessitas deprecabitur. Summa dignitas in iis esse putatur, qui militari laude antecellunt, summa etiam utilitas. Utrumq; horum Eloquentia negat, ac vindicias sibi dari postulat. Utra igitur res (ut hanc litem dirimamus) præstabilior, utra præclarior, glorioſior videtur, quæ hominibus cum belluis communis est, imò quæ homines in belluas transfigurat, an quâ maximè homines belluis antecellunt? Atqui bellum belluinum vel ipse vocis sonus ac similitudo declarat. Hinc enim nomen acceperunt belluæ, quod bellum inter sese, ut sic dicam, ἀσυνδέτως ac nunquam finiendum gerunt. Quo quid tætrius? quid immanius? quid

nius? quid homine animalium, ut Plato vocat, diviniſſimo ac manſuetiſſimo indignius? Eant nunc igitur, qui militari laude inſoleſcunt, & belluarum immanitatem hominum præſtantiæ manſuetudiniq; præferant! Nam homines hoc uno vel maximè præſtare feris, quòd inter ſe colloquuntur, & quod exprimere dicendo ſenſa poſſunt, extra controverſiam eſt. Atqui quantum homo inter feras eminet, tantum inter ipſos homines Orator eâ dote excellit. Quid? quod Eloquentia ſine arte militari ſuum veluti perfum abſolvit: at hæc ſine Eloquentia ſuas partes explicare nequit? Quis enim hoc Imperatoris eſſe munus inter præcipua neſcit, ut ſub prælii tempus ad virtutem oratione animos militum accendat? Neque enim ita auribus percepti tubarum clangores animos ad pugnam acuunt, aut irritant, ut hortatrix ad virtutem & gloriam oratio, intrepidas expeditæ aciei mentes ad oppoſita pericula erigit ſtabilitq;: imò & metu conterritos penèq; jacentes, ſæpè conſtanti robore allocutione, ait Onoſander cap. 1. Strateg. Jam gloriam, cui uni ſervire ſe ſimulant hi Martis pulli, memoriamq; poſteritatis, an non uni debent Eloquentiæ? Conticeſcat hæc; jam laurea illa Cæſaris magnis periculis parta, amittet viriditatem ſuam: jam Cyri & Alexandri ſepelietur gloria. Cæterum Eloquentiam vel eo nomine odi, quod eo pretio ſe auctoxari hi gentium latrones autument: quodq; non aliâ mercede à ſeſe tantum ſanguinis effundi, tantum vaſtitatis effici, præ ſe ferant. Quantum hinc illa pacis comes, ociiq; ſocia mutat Eloquentia! Quæ non lædere nata, ſed juvare mortales, verè aurea, verè cæleſtis, humanæ ſocietatis quaſi coagulum eſt, omnesq; vetuſtiſſimis ſeculis civitates condidit, Reſpublicas conſtituit, leges ac jura reperit. Quæ enim vis alia (agnoſcitis verba L. Craſſi apud Ciceronem lib. 1. de Oratore) potuit aut diſperſos homines unum in locum congregare, aut à fera agreſtiq; vitâ ad hunc humanum cultum civilemq; deducere, aut jam conſtitutis civitatibus leges, judicia, jura deſcribere? Quantum igitur bellum paci, ſolitudo frequentiæ, vita belluina humano cultui, quantum denique egeſtas abundantiæ, pernicies ſaluti, mors vitæ poſſi ponenda ſunt; tantum Eloquentiæ

Gloria militaris (quam laureas nomine Cicero deſignat) concedat neceſſe eſt.

D. I. X. I.

ORA-

ORATIO TERTIÆ CLASSIS, RECITATA PER SIGISMUNDUM à MÜNSTER, Francum.



NUlla philosophiæ pars æquè vapulat apud imperitos atque illa, quam græci Logicam, Latinorum quidam ad verbum Rationalem appellant. Huic enim, qui sunt operati, plærisq; quasi ludum quendam nugarum aperire videntur, dum cavillatiunculis scilicet ipsorum opinione tempus terunt, vafras quasdam nectunt quæstiunculas, syllogismos texunt & retexunt, cæterum ad vitam nihil proficiunt. Hanc vulgi de Logicâ perversam opinionem nostrum istud Emblema redarguit, in quo conspicitur Monoceros, aquas cornu prætentans, cum hac inscriptione: NIL INEXPLORATO. Ut enim Monocerotis cornu per lymphas & pocula circumducto explorari solet, numquid veneni lateat, aut an ex fonte virosæ bestiæ præpotârint: ita Logicæ artis judicio Sophistarum venena, & mendaciorum virus sub specie veritatis latens deprehenditur. Enimverò hæc ars est, quæ quid verum, & quid falsum: quid rectum in oratione pravúmve: quid consentiens, quid repugnans, judicat: in qua qui studet excellere, ut quàm plurima audierit, legerit, didicerit necesse est: quâ de causâ ἠρῴτην esse vult & φιλόπονον Dialecticum sive Logicum Socrates. Quis ejus rei fructus? non facilè ullis sophistarum laqueis irretiri, nec veritatis (quæ maxima ratio est) naufragium facere. An hæc, obsecro vos, auditores, in vitâ usum non habent? An parvi hæc ducenda est regula, quâ vera & falsa judicantur? Nos verò, si sapimus, hanc artem

artem omnium artium, ut Cicero appellat, maximam, minimè negligemus. Siquidem, ut ait Jamblichus in Epistola ad Sopatrum, omnes homines disputatione utuntur, insitam hanc facultatem à pueris habentes, & aliquatenus omnes, alii magis, alii minus, ejus participes sunt. Quamobrem Deorum munus haudquaquam negligendum, sed meditatione, experientia & arte confirmandum est. DIXI.

ORATIO QUARTÆ CLASSIS, RECITATA PER JUSTUM CRESS, Patricium Noribergensem.



PRæclarè Seneca, si cum hac exceptione, inquit, detur Sapientia, ut illam inclusam teneam, nec enunciem reiiciam. Quod quidem dictum ex ipso Sapientiæ sacrario protulit Romanus sapiens. Quis enim nescit ipsum sermonem hoc potissimum fine à natura datum esse hominibus, ut alii alios participes facerent sapientiæ? Siquidem cum finis hominis sit Beatitudo, quò sapientia aucrigatur, cujus sedes in animo est, ad animorum præcipuè ornamentum, commoditates, utilitates, sermonem à natura comparatum esse liquet: ut qui essent Sapientes, ederent, qui nescirent, acciperent Sapientiam, idq; per animi notas, qui sermo sive oratio est. Ut autem ipso veritatis ore testante, felicius est dare quàm accipere: sic docere quàm discere. Quæ cum ita sint: præclarè nostrum hoc Emblema, Apertas Musarum esse fores *jubet, ac templum Musarum apertum & undique pa-*

dique patens ostendit. Quid eo innuatur obscurum non est, nempè doctrinam non esse occultandam, sed eam candidè ac sine invidiâ aliis communicandam. Sicut enim vetus & verus versus monet :

Τῆς λανθανούσης μουσικῆς οὐδεὶς λόγος :

Latentis Musicæ nullus est respectus:

quam sententiam ita prosâ profert Lucianus : οὐδὲν ὄφελος τῆς ἀποῤῥήτου καὶ ἀφανοῦς τῆς Μουσικῆς. Sed & comminationes divinæ deterrere debebant hos lividulos, quò minus talentum suum defoderent. Proinde ut Luna lumen à Sole acceptum refundit ; sic nos debemus doctrinam à Deo acceptam. Perfectio enim hominis, ut dixi, pendet à disciplina. DIXI.

GRATIARUM ACTIO,
RECITATA PER
GEORGIUM QUECCIUM,
Noribergensem.

Æterna DEI bonitas, ô gratia magni
Magna patris divûm, quantus furor undiquenostros
Circumdat fines, non ullâ parte beati
Degimus, hîc Mahometigena vexamur ab hoste,
Qui patriam assiduè Geticis circumsonat armis,
Arma illic infanda cohors horrenda minatur,
Hic ferro, igne alius furit, obvia quæque trucidant
Et deleta tui cupiunt pia dogmata verbi.
Inter tanta tamen miseræ discrimina turbæ,
Curarum ingentem clemens tua temperat æstum,
Dextra Deus : veluti tenera mollitur ab aura,
Cum canis ardentem spargit malesana calorem,
Tu nos defendis, patriam, patriosque penates,
Largiris famam, sacras quæ sparsa per artes,
Gratior est omni, per prata virentia mille
Floribus intextis, qualem ver fundit, odore.

Numine cuncta tuo vivunt, fert gramina tellus,
Arridentoculis picti nunc undiq́ue campi
Floribus, uberibus lætatur frugibus arbos.
Nec te cura premit corpus mortale juvandi
Solùm, cura animi longè tibi maxima noſtri eſt,
Præcones, ſacrata tui qui dogmata verbi
Enarrent, mittis caſta & pietate repurgent,
Sacra tuis ovibus vitæ documenta beatæ
Proponant, animæq́ue ad florida paſcua ducant,
Tu quoque honorati cœleſti lumine comples
Corda magiſtratus, ſenſusq́ue inflectis acutos,
Ut ſit juſtitiæ cuſtos legumq́ue fidelis.
Te duce, ſumme parens, ampliſſimus ordo ſenatus
Sumptibus ingenuas immenſis provehit artes,
Doctrinaq́ue viros fovet & virtute decora
Præſtantes, juvenes donis inſignibus ornat.
His pro muneribus (taceo quæ cætera mundus
Munera per totum partes funduntur in omnes)
Pro tantis, inquam, quis præmia digna rependet?
Quæ tibi dona feret? quoſnam præſtabit honores?
Nil hic anguſtis numeris incluſa valebunt
Verba, nec aſtrigerum poterunt comprendere numen.
Carmina, terrarum virtus memoranda per orbem.
It tua, tu cœlum, terras tua dextera complet.
Antiquos fama eſt ſacros tibi thure litaſſe,
Aut bove, mentis ego, potius quæ ſacra probari
Teſtaris ſacrate Deus, tibi munera promam.
Ingentes igitur toto tibi pectore grates,
Summe Deus, perago, peragant huic omnia grates,
Quæ tellus fovet alma ſinu, quos æquora piſces
Squamigeros vectant, volucresq́ue per aëra pennis
Quæ tenuem tendunt, uni tibi gloria ſummo.
Tu modo quæ larga donaſti commoda dextra,
Hæc augere velis, petimus, ſemperq́ue tueri.

Tunc

Tunc tibi cum gnato tua qui indubitata propago eſt,
Et flatu æthereo memori de pectore grates
Reddemus, nomenque tuum memorabile cunctis,
Carminibus laudum celebrabimus omne per ævum.
At tua pro meritis quisnam, venerande Senatus,
Amplificare queat verbis digniſſima facta?
Tu præclara ſacris iſthæc pallatia muſis
Magnificis extruxti opibus, ſummoque labore,
Præterea ingenuas immenſis ſumptibus artes
Provehis, & doctos nutris fidosque magiſtros,
Unde bonas purè ſanctis cum moribus artes
Pubeſcens poſſit colere & didiciſſe juventus.
Ad quod munificis illorum pectora donis
Invitas, atque eximia quoque laude coronas.
Hæc & tanta, inquam, quibus unquam laudibus æquem?
Non ego ſi totidem ora mihi natura dediſſet,
Quot nitidis oculis cinctum caput Argus habebat,
Talia pro meritis extollere carmine poſſem.
Propterea regi ſuperûm, qui cuncta gubernat,
Nocte dieque preces ardenti pectore fundam,
Ut ſua inexhauſta cuncta hæc bonitate rependat
Præſentisque bonis vitæ, te Norica virtus
Impleat, atque dies cum tandem illuxerit orbi
Ultimus, æternæ tribuat tibi regna ſalutis.

DIXI.

V. PANEGYRIS, Anni 1581.

RECTORE D.D. JOHANNE-THOMA FREIGIO, JC.to

INVITATIO AMPLISSIMI SENATUS NORIBERGENSIS,

recitata à

GEORGIO QUECCIO NORIBERGENSI.

ΟΤι μὲν πολλῆς τῆς τῶν λόγων παιδεύσεως δεῖται, ὦ ἄνδρες ἐπ' ἀρετῇ τι καὶ εὐγενείᾳ διαφέροντες, οὐκ πολλῶν μοὶ ἐλέγχων φανερόν ἐστι: μάλιστα δ' ἐκ τούτων, τῶν δειγμάτων δῆλον: πρῶτον οἶμαι, ἐκ μεγαλοπρεπῶν δαπανῶν ἐκείνων, ἃς (τὰ τοῖς λόγοις σωφρονοῦσιν συμφέροντα παρασκευάζοντες) οὐ μόνον ἐπιθυμεῖτε, ἀλλὰ καὶ δι' ἀφελούντως γλίχεσθε ἀναλίσκειν. ἔπειτα δὲ καὶ ἐκ τῆς ἐν γυμνασίῳ ὑμετέρᾳ καὶ ἐν ἀλτρεπῷ διοικήσεως, οὕτω καλῶς καὶ σωφρόνως διοικουμένῳ νῦν, ὥστε ὧν πᾶς μέσως καὶ τῶν λόγων παιδεύσεσι χρεία ἐστὶ, πάνυ ὀδενὸς ἔτι προσδεῖσθαι δοκεῖν. σοὶ τούτοις δὲ, ὅτ' ἐθελήσατε τὰς τῶν μαθητῶν ἐξετάσεις σεμνοτέρας εἶναι, τοὺς μὲν τῇ ὑμαθείᾳ τῶν ἄλλων ὑπερέχοντας οὐ μόνον εἰς ὑψηλοτέρας φύλας ἐγγεγράφοντες, ἀλλὰ καὶ δῶρα ὥσπερ ἂν εἰ βραβεῖα τοῖς πὶ πρῶτα φέρουσι διανέμοντες. τῶν γὰρ ἐφήβων τῶν μὲν τὰς πρώτας μᾶλλον ἀγαπώντων, καὶ τι προκαταλαμβάνεσθαι, καὶ τοῖς ἄλλοις ὑπολείπεσθαι αἰσχρὸν νομιζόντων: τῶν δὲ τὰ δῶρα σοὶ πλείονος ποιουμένων, εὐβούλεσθε ὑμεῖς, ὦ ἄνδρες φρονιμώτατοι, καὶ ἐπιφανεστάτην ὑμῶν τὴν πολυφροσύνην, τῶν ἀμφοτέρων ὑμῖν ἐπὶ τοῖς μαθήσεων καὶ τῶν πόνων ἐπιθυμεῖν συνιέναι, τοῖς μὲν τὴν ἀσυθὴν καὶ τὴν ὑμάθειαν αὐτῶν πρὸς τοὺς διδασκάλους αὐτῶν τῇ παρελκλυθυίᾳ ἐξετάσει ἐπιδείξαμεν ἰσημάσι καὶ δωρεὰς διανέμοντες. Οπως δὲ τὰ πάντα λαμπροτέρως καὶ μεγαλειοτέρως τὰ τοιαῦτα πλεωθείη, ταύτῃ τῇ τῶν ἡμῶν καὶ τῶν δώρων δια-

ρων διανομῇ πάντοτε δοκίμοι ὄντες τὴν ἐνδοξοτάτης γερουσίας ταύτης βουλῆς ἄνδρες εἰώθασι παρεῖναι, τῷ πανηγυρίν ταύτην τῇ παρούσῃ σφῶν κοσμῆν μηδὲν ἀπαξιῶντες, σαφῶς εἰδότες δήπου, ὅτι τὰ τῶν ἀρχόντων ἐκμιμοῦνται οἱ ὑπεξούσιοι ἤτοι γὰρ ἐν οἷς οἱ ἄρχοντες διατρίβουσι μάλιστα, ταῦτα ἀναβλέπουσι καὶ τούτων ὀρέγονται. Ἐπεὶ δὴ τῶν ἐξετάστων τῶν ἐφήβων γεγονυιῶν νῦν, ὅδε λοιπὸν ἄλλο τι τὴν τὰς ἡμᾶς καὶ ἅπασαν τῶν νεανίσκων τοῖς ἀξίοις διανέμειν: ἀπεστάλην ἐγὼ ὑπὸ μεγαλοπρεποῦς καὶ ἡγεμόνος τῶν ἄλλων διδασκάλων ἡμῶν, καλέσαι καὶ δεηθῆναι τὴν πρεσβυτάτης τῆς πόλεως ταύτης γερουσίας, καὶ πάντων τῶν βουλῆς μετεχόντων, τῇ ἡμετέρᾳ πανηγύρει καθ' ἑορτὴν τὴν παλαιὸν παρεῖναι, καὶ μεθ' ἡμῶν πολεῖν καὶ θρησκεύειν μὴ ἀπαξιῶσαι. Ἐπεὶ δ' ἂν τῇ ἡμέρᾳ τοῖς δυσὶν ἀποστόλοις Πέτρῳ τε καὶ Παύλῳ ἱερᾶ γενήσεται μέλλει ἡ πανήγυρις αὕτη, ἱκετεύοντες ἀξιοῦμεν τὴν ἐνδοξοτάτην καὶ φρονιμωτάτην γερουσίαν καθ' ἐκείνην τὴν ἡμέραν ἐν ἀλλοτρίῳ ὀφθῆναι. Τοῦτο γὰρ ἡμεῖς οὐ μόνον μέγιστον νομίζομεν εὐεργέτημα, ἀλλὰ καὶ τὸ δυνατὸν τῶν χαρίτων ἕνεκα ἅπαντα ἑτοίμως πράττειν σπουδάσομεν, ὅσα ἂν τῇ ἐνδοξοτάτῃ καὶ φρονιμωτάτῃ γερουσίᾳ ἀρέσκειν γνοιζόμεθα.

ΕΙΡΗΚΑ.

INVITATIO EJUSDEM SENATUS, RECITATA PER

BALTHASARUM DERRER,

Patricium Noribergensem.

SExtus hic annus est, amplissimi viri, nobilitate generis, & eximia prudentia præstantissimi, ex quo divis Petro & Paulo Apostolis sacro die, Senatus amplissimus, sapienti & maturo consilio, Gymnasium, & Altorfii, oppido ditioni suæ subjecto, primum aperuit: & viros clarissimos atque doctissimos, qui scholasticam juventutem erudirent, eidem præfecit: Idq; eò impensius, quò magis, sub instantem extremi judicii diem, rabie diaboli & organorum ejus, scholas, in Germania olim à majoribus religiosissimis optimè constitutas, dissipari, & vera religionis ac literarum studia in his intercidere videret. Intellexit nimirum prudentissimus Senatus, pium magistratum utriusq; tabulæ decalogi custodem esse, & subditis suis, non corporis solum, sed & animæ præsidia debere. Consilium equidem & factum Senatu tàm pru-

denti, tàmq; apud exteros omnes laudato dignissimum, & perpetua laude prosequendũ. Sed non minus laudabiliter id quoq; Senatus perfecit, ut invictissima Cæsarea Majestas, Academica Gymnasio Altorfiano privilegia con-
1590. *cederet, quæ ipsa anno superiori. Viris nobilissimis & præstantissimis quàm plurimis præsentibus, publicata sunt. Ad hæc, quia* non minor est virtus, quàm quærere, parta tueri, *prudenter à Senatu inclito constitutum est hoc etiam, ut quotannis ad Petri & Pauli, facta prius ingeniorum & doctrinæ per examen exploratione, doctiores solemniter ad superiores classes & lectiones promoverentur, & ex summa Senatus liberalitate præmia acciperent. Ideoq; elapsis diebus aliquot, generale per omnes classes examen, à Magnifico Domino Rectore, & cæteris Dominis professoribus, Viris reverendis & clarissimis institutum est, & in hoc profectus discentium exquisitissimè explorati. Cum autem hoc solum supersit, ut dicto Petri & Pauli Apostolorum die, annua etiam progressio, in publico cœtu, & præcipuè in amplissimi Senatus præsentiâ peragatur: in primis verò, qui primus Academicus actus erit, aliquibus ex præceptoribus nostris, gradus & insignia Magisterii Philosophici hoc tempore publicè tribuantur: prædicti, Magnificus Dominus Rector & Professores, præceptores nostri, debita animorum subjectione amplissimum Senatum orant, ut non tantum laudabilem hanc suam scholam, quam maximis sumtibus adhuc extruxit, & quotidie amplificat, posthac foveat & conservet: sed etiam, si per graviores Reipubl. occupationes fieri potest, his actibus publicis, ad dictum jam sæpè diem Petri & Pauli interesse, & sua præsentia celebriorem utrumq; reddere dignetur. Huic petitioni amplissimum Senatum locum daturum esse planè non dubitamus. Nam & de singulari erga studia literarum amore Senatus, & de judicio ejusdem acerrimo, ex multis argumentis optimè nobis constat, quorum utrumq; etiam apud Barbaros ei maximam peperit admirationem. Pro hac summa benevolentia nos totius Academiæ nomine, summam gratitudinem & observantiam pollicemur, orantes Deum Opt. Max. ut Ecclesiam suam, & seminaria ejus scholas, atque pios Magistratus, nutritores earundem, in sacrati sui nominis gloriam, & quàm plurimorum salutem clementer & benignè conservet. DIXI.*

ORA-

ORATIO TERTIÆ CLASSIS, RECITATA PER GEORGIUM ZOLNERUM, Bambergensem.

DAVUS sum, non Oedipus, ut ille apud Comicum ait. Itaque ad talia ænigmata respondere tàm cito non possum. Nam, ut ex Sphingis monstri illius fabulosi, ænigmate, nemo hominum, excepto Oedipo, expedire se potuit: ita mihi in hac ætate puerili tàm abstrusa tamq; obscura expedire atque exsolvere, meaq; oratione puerili declarare difficilimum est, nimirum quorum declaratio perspicua, mea opinione, vel doctiori cuipiam negocium facessere posse videatur. Verum Rector Magnifice, quamvis grave difficileq; mihi esse intelligam, cùm tuæ Magnificentiæ voluntati, tum studio & expectationi universorum satisfacere: tamen quia jussus sum, hunc suggesti scholastici locum conscendere, ut meo, meorumq; sociorum nomine verba facerem, tentabo quid præstare queam. Ut igitur statim ad rem ipsam, nulla circuitione usus, perveniam. Solcum turri & horologio id mihi innuere videtur, quod ut nemo umbram horologii progredi cernit, progressum autem quilibet animadvertit: ita juventutem, seu tempus nemo decrescere sentit, decrevisse autem nemo non cognoscit. Quæ cum ita sint, magnam omni tempore curam & multum utilemq; laborem omnis generis scriptores & doctissimi quiq; viri in eo posuere, ut, quoniam OBREPIT NON INTELLECTA SENECTUS, teneris adolescentum animis

animis persuaderent, nihil tempore prius esse neque præstantius, nihil quod fugiat celerius, nihil quod minus reduci aut revocari queat. Et hæc mea sententia rectissimè. Nam quatenus ego hac puerili ætate rem intelligo, & intelligere possum: aliarum quidem rerum possessione licet aliqua injuria excidamus: tamen vel humana diligentia atque industria intercedente, vel prosperiore deinceps fortunæ successu aspirante, non reduci modo, sed etiam uberiore sæpe cum fructu, damnum prius acceptum, compensari videmus: Sola verò temporis possessione semel amissa, nulla humana vigilantiâ vel industriâ, nulla fortunæ secundioris gratiâ, nullo auri & argenti cumulo, nullis denique. ne Cæsi quidem opibus vel pecuniis redimi aut reduci potest, quippe cum impossibile sit, diem esse sæpius, qui semel fuit. Hinc in omnium Oratorum & Poëtarum scriptis & concionibus, imò in omni sermone sapientissimorum & disertissimorum virorum innumeræ sententiæ reperiuntur, quæ de temporis ratione habenda nos commonefaciunt, cumq. plena sint antiqua monumenta talium dictorum & sententiarum, nemo tamen ex omnibus, quos ego hac ætate cognovi, vel rectius monuisse, vel utilius præcepisse mihi videtur quàm Ovidius, qui de tempore semel amisso sapienter protulit:

Nec quæ præteriit cursu revocabitur unda,
Nec quæ præteriit, hora redire potest.

Magnifica sanè sententia, & omnium hominum altis animis & sensibus reponenda, quæ præclarè ostendit, quid cùm omni juventuti, tum in artium liberalium studiis versantibus præcipuè observandum, & quomodo temporis habenda cura sit, ne temerè amittatur. Julius Cæsar Imp. interrogatus, quonam modo res suas tantas perfecisset? respondit, μηδὲν ἀναβολὴν ἄγειν, significans plerisq. in rebus gerendis tarditatem & procrastinationem odiosam, minimè esse utilem: præterquam enim quod citò pede labitur æras, *illud etiam incommodi accedit, quod (ut experientia testatur)* non bona tàm sequitur, quàm bona prima fuit; *quod & Seneca innuere voluit, cum ait: Horaq. semper præterita deterior subit. Quare quantùm ingenium omnium hominum à labore proclivius est ad inertiam atque desidiam, tantò major diligentia & cura adhibenda est, ut tempore & occasione rectè utamur, quò nihil ad perdiscendas artes ingenuas & liberis hominibus dignas, magis necessarium, nihil in multis rebus utilius esse potest.*

Quod cùm ita sit, rogatos vos Commilitones, nobilissimi charissimi (ad

vos

vos enim jam convertenda omnis oratio est) etiam atq; etiam volo, ne quicquam temporis imprudenter negligere, sed in optimarum artium & disciplinarum studio juvenilem ætatem transigere, & sine intermissione in illis excolendis exerceri velitis; quarum licet radices initiò amaræ videantur, si tamen eam amaricicm, diligenti & fideli præceptorum institutione adjuti, superaverimus & quasi excoxerimus, fructus ipsi olim melle Siculo dulciores jucundioresq; futuri sunt. Cumq; nec institutorum in docendo facilitas, nec in eruditndo methodus, nec in institutione fidelitas, nec temporis ipsa occasio desit, meritò studiorum tædium, quod sese primum spectantibus offert, à primis statim incunabulis deglutire & devorare consuescamus, id certè nobis olim maximo usui esse poterit. Tangat animos nostros artium illa compendiaria methodus, & succincta brevitas, atque rotunda perspicuitas. Ponamus ante oculos Præceptorum nostrorum erga nos in omni officio fidem atque diligentiam, & paternum amorem, qui ut nos doctrina & honestis moribus hactenus augere omni studio conati sunt, ita quoque deinceps (si nobis ipsi non defuerimus) pro sua erga nos fide & benevolentia operam suam defieri nobis nullo modo patientur. Respiciamus spem & expectationem solicitam parentum & propinquorum nostrorum, quam non nisi nostra cum ignominia fallere poterimus. Incitent tandem unumquemq; præmia & honores in Rebuspub: Principum Regumq; aulis, quæ his expectanda, qui strenuè in Musarum castris militarunt. Adhortetur denique quemq; studiorum decus, laus, atque dignitas, de qua Cicero ipsum eorum prædicans, sic ait: Nam cæteræ res neque temporum sunt, neque ætatum omnium, neque locorum. Hæc studia adolescentiam alunt, senectutem oblectant, secundas res ornant, adversis perfugium ac solatium præbent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur.

Quare Adolescentes nobilissimi, quia, ut Poëta dicit: Labitur occultè fallitque volatilis ætas, & à quodam Græco Poëta dictum sit, ἀκαιρὸν γὰρ ὁ χρόνος φεύγει, πᾶσι δὲ καλαὶς, cum fugit irrevocabile tempus, cum artium optimarum & disciplinarum ingens est usus, cum non frugifera modo, & à quibus discuntur, jucunda & grata eorum studia esse, sed ab omnibus etiam comprobari, & in laude ac gloria poni soleant, cum literarum pulchritudinem esse maximam, & ad vitam cum honestate ac dignitate degendam momenti plurimum afferre, clarissimorum & doctissimorum virorum exempla

nos doceant, meritò nos omnia hæc non tantum ut excuſcitent & invitent, ſed etiam extimulent & impellant neceſſe eſt, ad ſtudia literarum tùm amanda, tùm urgenda, & ad tempus & occaſionem & commoditatem diſcendi, hac ætate noſtra non negligendam. DIXI.

ORATIO SECUNDÆ CLASSIS, RECITATA PER GENEROSUM D. JOHANNEM-CHRISTOPHORUM à Tſchernembl, Baronem Auſtriacum.

NEc ego Sphingem domi habeo, quæ mihi hos griphos ſolvat. Etſi igitur ad tàm graves quæſtiones reſpondere nondum didici, nec Gorgias ſum, ut ex tempore de quavis re diſſerere poſſim: conabor tamen dicere, quantùm mihi ingenii tenuitas concedit. Hoc Emblemate uſum cõmendari puto, exemplo putei, qui, quò plus exhauritur, eò copioſius aquam fundit. Itaque ſive puteum illum Moſis, quem foderunt principes & paraverunt duces, ſive Hippocrenem, hoc eſt, fontem Muſarum, quem Pegaſi ungula effudit, intelligamus: uſum omnium rerum magiſtrum animadvertemus: imò artium omnium magiſtrum deprehendemus. Sic Ariſtoteli ἐν τῆς πειρείς ἀναλυτικῆς, ἐμπειρία καὶ ἰσχὺς procreatrices & parentes omnium artium habentur: & Manilius ſcitè ait:

Per varios uſus artem experientia fecit,

Exemplo

Exemplo monstrante viam; *& Virgilius:*
Ut varias usus meditando extunderet artes.

Et Isocrates rectè: Ἁπάσης γίνονται καὶ τῶν τεχνῶν καὶ τῶν ἄλλων ἁπάντων, ὁ μὲν τὰς ἐμφύονσας τοῖς καιροῖς ἀλλὰ μὲν τὰς ἐπανορθοῦντας καὶ φυλάττοντας ἀεί τι κινεῖν τῶν μὴ καλῶς ἐχόντων. *Illud enim verissimum certissimumq; est, aliud esse regulas artis explicare, aliud explicatæ artis usum exercere: & Grammaticas omnes regulas ab eo sciri posse, qui purè loqui nesciat, qui ullum Grammaticæ artis usum exprimere nesciat: idemq; in omnibus artibus fieri potest, ut qui Musicas regulas didicerit, cantare nesciat: qui Varronis & Catonis de agricultura libros cognovit, arare tamen nesciat. Deniq; ut puteus, ita quævis disciplina* MOTU CLARESCIT ET USU. *Usus enim conjunctus tanquam Lydius lapis est ad probandum quid utile sit, quid inutile. Sic Socrates, cum Delphici oraculi (quo sapientissimus erat appellatus) rationem in omnium hominum, qui sapientes haberentur, genere disquireret, opifices solos, qui brevia suarum artium perq; manus sibi tradita compendia breviter ediscerent, exemplis, exercitatione, usuq; perpetuo confirmarent: solos sapientiæ alicujus participes esse comperit. Ut igitur breviter rem tantam concludam, id quod in veteri dicto est, verissimum esse statuo, nimirum quod usus omnium artium magister sit.* DIXI.

ORATIO PRIMÆ CLASSIS, RECITATA PER PHILIPPUM ULRICUM, Noribergensem.

NIsi me animus fallit, M. D. Rector, aurei velleris hæc pictura est, de

qua Justinus lib. XLII. sic scribit: Jasonem cum perdere propter insignem periculosamq; regno suo virtutem Pelias rex cuperet, denunciata militia, in Colchos eum abire jubet, pellemq; arietis memorabilem gentibus reportare: sperans interitum viri, aut ex periculo tàm longæ navigationis, aut ex bello tàm profundæ barbariæ. Igitur Jason divulgata opinione tàm gloriosæ expeditionis, cum ad eum certatim principes juventutis totius fere orbis concurrerent, exercitum fortissimorum virorum, qui Argonautæ cognominati sunt, comparavit, & incolumem reduxit. Scripserunt & alii multi de ea re, ut Orpheus & Apollonius apud Græcos: apud Latinos, Valerius Flaccus, Pindarus oda IIII. Pythiorum, Herod. lib. I. Ovidius in Epistola Medeæ ad Jasonem, & Suidas in μήδεια. Varia autem est allegoria hujus fabulæ. Verùm ego primùm παραμαλικῶς; deinde ψυχικῶς rem declarabo. Et Suidas quidem ἐν τῷ διέρις· τὸ χρυσόμαλλον, inquit, διέρις βιβλίον ἦν διέρμασι γεγραμμένον, ἔχον ὅπως δεῖ γίνεσθαι ἀφὰ χημείας χρυσόν. Sed alii per vellus aureum, ut Philippus Melanthon libr. II. Chronicorum, venas metallicas intelligunt. Nam & hodie in illa vicinia Colchicæ, locupletes venæ perhibentur. Id ut credam facit Strabo lib. X. παρὰ τούτοις (scilicet fontibus ex Caucaso scaturientibus) λέγεται καὶ χρυσὸν καὶ φέρειν τὸς χειμάρρους, ὑποδείκνυσθαι δ' αὐτὸν τὸς βαρβάρους φάτναις καὶ πετριμμέναις ἐν μαλλωτῇς δορραῖς ἀφ' ὧν μεμυθεῦσθαι καὶ τὸ χρυσόμαλλον δέρας. Alii verò volunt Jasonem repetisse thesauros, antea à Phryxo ex Græcia in Colchidem ablatos. Ac fieri potest, ut profectionis occasio fuerit crudelitas Æetæ regis Colchorum adversus Phryxum & ejus filios, quod videtur annuere Apollonius libr. 2. Diodorus Siculus scribit, tauros ignem efflantes esse Æetæ regis custodes sic dictos ob ferociam & corporis robur. Unde & Draco videri potest princeps fuisse apud Colchos. Sementis autem designat domestica dissidia, quibus Argonautæ adjuti sunt: quæq; semper Tyrannicis imperiis incumbunt. Plura Sabellicus habet lib. V. Ennead. I. & Camerarius in Elementis rhetoricis. Ut autem hoc obiter addam, videtur hinc appellatio sumpta aurei velleris, quod germanis, das gůt den Fůß dicitur, & olim ducibus Burgundis pro insigni fuit, à Philippo Burgundionum duce, Divione institutum, & à Carolo Quinto Imperatore maternum genus à Burgundis ducente gestatum. Habeturq; summi honoris loco apud Germanos, si quis in hunc ordinem aurei velleris sit eques cooptatus. Sed hæc παραμαλικῶς dixisse sufficiat. ψυχικῶς autem Vellus aureum pulcherrimæ virtutis

virtutis & studiorum est imago, ad quæ difficilis & operosa est via, in qua multi sustinendi labores, multumq; operæ ponendum. Medium enim in quavis honesta ingenuaq; arte & exercitatione assequi difficilimũ est, quod satis in circulo mathematico cernitur & demonstratur, cujus medium (quod centrum vocant) puncto definire non cujusvis est, qui serò ac leviter literas attigit, aut, ut dicitur, primoribus labris degustavit, sed ejus, qui diu multumq; in ea arte est versatus & exercitatus. Sed virtutem, quæ est regina & princeps rerum omnium præstantissima, medium esse, nemini est obscurum. Hæc enim semper inter duo extrema, excessum videlicet ὑπερβολὴν, & defectum ἔλλειψιν, definitur. Ut fortitudo inter timiditatem & audaciam: temperantia inter ἀνοσιότητα & ἀναισθησίαν: liberalitas inter profusionem & avaritiam. Et sic de reliquis, ubi semper virtus mediũ locũ sibi vendicat, ac in medio consistit. Deinde augent quoque difficultatem virtutis turpissima vitia, quæ eam, non aliter ac Draco aurei velleris arborem, ut Emblema nostrum habet, obsident, atque labefactant. Quare multum studii adhibendum, ut ea vincantur, repellantur, & virtus, qua nihil formosius, nihil pulchrius, nihil amabilius asportetur. Nam ut ad illam arborem, è qua aureum vellus dependet, propter vigilantissimum crudelissimumq; custodem Draconem: sic etiam ad pulcherrimam virtutis arborem, propter animi & corporis nostri pravitates & vitia, quæ eam obsident, nobisq; aditum intercludunt, difficilis est accessus. Est enim obsessa imprudentiâ & insipientiâ: est obsessa injustitiâ, mendaciis, arrogantiâ, inimicitiâ, profusione & avaritiâ: obsessa est iracundiâ, lentitudine, scurrilitate, rusticitate, aliisq; vitiis quàm plurimis, quibus homines contaminati ac perditi sunt, quæq; animos inficiunt, & à mente consilioq; deducunt, ut ratio, qua nihil præstabilius Deus homini dedit, suo officio fungi non possit. His igitur vitiis est septa atque munita; quæ, si quis virtutem consequi velit, detrahere ac repellere oportet. Sicut enim nemo aureum vellus aufferre potest, nisi prius contra Draconem bestiam monstrosissimam, valentissimamq; armatus congressus fuerit, ejus venenata ac pestifera tela senserit, eam gravitate & fortitudine superârit, & tandem armis suis trucidârit: Sic nemo virtutis esse compos potest, nisi prius vitia detraxerit, & ea cum prudentia, justitia, fortitudine & temperantia commutarit. Hoc autem opus, hic labor, hic per extentum funem eundum, hic Azanæa mala subeunda. Est difficile superare tàm terribilem bestiam: difficillimum verò vitia, &

ab eisdem desciscere. Nam facilius quis hostem aliquem, quàm animum & seipsum vincit, quod exemplo multorum præstantissimorum Heroum atque ducum, qui potentissimas urbes expugnarunt, sibiq; subjecerunt, & tamen seipsos vincere, vitiisq; resistere non potuerunt, declaratur. Quò enim facilior & expeditior propter naturæ deformitatem ad vitia est via: eò difficilior & laboriosior ad virtutem, preciosissimum rerũ omnium thesaurum, est accessus. Verùm cum virtutis tanta difficultas sit, non minor etiã studiorum labor & difficultas erit. Nam ut primò de Grãmatica, quæ reliquarũ artium fundamentum est, dicã: quantus labor est, ut puer præcepta rectè intelligat, & ea, ne iterũ effluant, fideliter memoriæ mandet, ut etiã in scribendo loquendoq; diligenter exerceatur? Deinde si è scholis grãmaticis ad Rhetoricã eductus fuerit, quàm difficile est factu, ut troporum & figurarum lumina videre, & cum dignitate ac venustate agere possit? Tum si ad artem differendi pervenerit, quanto acumine opus est, ut ad res quasvis probandas firma argumenta excogitare, & excogitata non solum ordine, sed etiam momento quodam atque judicio dispensare atque disponere possit? Postea si ad studium Poëtices sese contulerit, quanta ibi est difficultas, ut verba omnium Poëtarum intelligat & elegantes versus conscribat? Tandem si suum studium in arte Physica collocarit, quàm ardui est laboris, ut naturam omnium rerum, ortum, seriem, qualitates, motus omnium corporum & specierum in natura, causas generationum, corruptionum & aliorum motuum in elementis, & aliis corporibus, quæ ex elementorum commixtione oriuntur, percipiat? In summa ad quodcunq; studium animum suum converterit, ibi omnia plena laboris & difficultatis esse intelliget. Videtis igitur, optimi auditores, quàm difficilis ad virtutem & studia sit accessus. Si enim, ut Emblema nostrũ innuit: ΔΥΣΚΟΛΑ ΤΑ ΚΑΛΑ: quæ pulchra & præclara difficilia: nihil certè virtute & studiis difficilius erit, quæ tàm præclara sunt, ut de iis dicere citius tempus quàm verba deficerent. Virtus siquidem hominem tum perfectum, tum Deo & homini acceptum reddit, summa ornamenta in nos congerit, nos à molestia avocat, animos hominum conciliat, atque ad usus suos adjungit. Studia verò, ut Cicero ait, adolescentiam alunt, senectutem oblectant, secundas res ornant, adversis perfugium & solatium præbent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiscum, peregrinantur & rusticantur. Et ut summi honoris loco habetur aureum vellus reportare: sic etiam animum ad virtutem & studia

studia literarum referre, pulchrum est atque honestum. Sed hæc de maximo, tùm virtutis tum studiorum labore & difficultate humanissimi auditores, non quantùm pro rei dignitate & excellentiâ dici & potuisset & debuisset: sed quantum temporis ratio, & brevitatis institutum nobis præscripserunt, dixisse sufficiat. DIXI.

GRATIARUM ACTIO,
RECITATA PER
JOHANNEM-THOMAM FREIGIUM, juniorem.

TSI, auditores optimi, à parente meo partes gratiarum actionis susceptæ his quinquennalibus sufficere poterant: quoniam tamen meorum condiscipulorum causa etiam hic agitur, pro nobis hanc provinciam suscipere jussus sum.

Principiò igitur Deo opt. max. gratias omnium nostrûm nomine ago habeoq́, quantas possum maximas, quòd nos omnes in studiorum nostrorum cursu salvos & incolumes huc usque conservavit, eumq́, ut deinceps hanc scholam tueri velit, oro.

Deinde verò Amplissimo Prudentissimoq́, Senatui, & Nobilissimis Scholarchis gratias ago, quod non tantùm meos condiscipulos, sed & me una cum fratre meo & parente nostro Freigio per hoc quinquennium in sua tutela habuerunt, artibus & bonis disciplinis informari, ac liberalitate sua prosequi, hisq́, præmiis affici voluerunt. Pro qua Amplissimi Senatus & Scholarcharum in nos benevolentia, gratitudinem dignam studiosis hominibus pollicemur.

Præceptoribus quoque nostris, pro studio, fide, industria in nobis erudiendis & ad virtutem formandis, etsi reipsa gratia referri à nobis non potest, animum tamen memorem & gratum promittimus.

Hospitibus deniq́, & auditoribus cæteris genere, nobilitate, authoritate præstantibus, quod sua præsentiâ Quinquennalia hæc nostra exornare, splendidioraq́, reddere dedignati non sunt, nos totos ad obsequia ipsorum consecramus de-

mus dedicamusq́, petimusq́ in universum ab omnibus, ut Laconicam brevitatem, quam temporis angustia nobis extorsit, boni consulant, eamq́ sæpius recordando longiorem efficiant: memores illius græci hemistichii: χαῖρε ἑαυτῶν ἕνεκεν. DIXI.

VI. PANEGYRIS, Anni 1582.

SUB RECTORATU D. D. EDONIS HILDERICI Theologi.

ORATIO PRIMÆ CLASSIS, RECITATA à PHILIPPO RIETER, Patricio Noribergensi.

IN ea scholæ nostræ classe, in qua ego studiorum caussa versor, scio multos esse adolescentes, qui me, ut ætate, ita ingenio, doctrinâ, memoriâ, & dicendi exercitatione longè superant: Proindeq́ id, quod mihi nunc à Magnifico Domino Rectore imponitur, majori laude & felicitate præstare potuissent: sed tamen moveor & mandato præceptorum

ptorum meorum, quibus reverenter adolescentes decet obedire, & insigni humanitate auditorum omnium ordinum, Comitum, Baronum, Nobilium, hospitum, Professorum & studiosorum adolescentum, ut tanto facilius sim passus mihi has dicendi partes imponi. Quare veniã me facilè consecuturum spero: & ne longiori exordio vobis sim molestus, è vestigio conferam me ad explicationem symboli, quod in pulcherrimo numismate præmii loco ab Amplissimo Senatu Noribergensi & Dominis Scholarchis iis datur scholasticis, qui ex suprema classe præceptorum judicio ad publicas auscultationes promoventur.

Insculptum est numismati nobis donato pulvinar, cum libro aperto & pugione. Quæ imago haud dubiè sumta est ex historia Alexandri Magni. Hic c
enim adeo dicitur delectatus lectione Homeri, ut cum cubitum se conferret, c
ejus poëma cum pugione suo cervicali subiiceret, ut cum expergisceretur (so- c
mni autem parcissimus fuit) semper ad manum haberet præstantissimum au- c
torem, cujus etiam nocturna lectione multarum virtutum præcepta & exem- c
pla cognosceret. Imaginis insculptæ usum indicat hæc sententia addita: VIR- 1612.
TUTEM DOCTRINA PARAT. *Quo symbolo Prudentissimus & Amplissimus Senatus Noribergensis sapienter nostrum ordinem scholasticum monere voluit, ut cogitaret excellentem virtutem sine acerrimo literarum studio & eximia eruditione comparari non posse. Quod verissimum esse, & ipsa ratio docet, & autoritas cùm divina tum humana comprobat, & exempla quàm plurimorum laudatissimorum principum testantur. Ad ipsam enim rationem quod attinet, quis non videt tantùm differre hominem docti* c
ab indocto quantum differt dies à nocte lux à tenebris, visus à cæcitate? Men- c
tis enim est per doctrinæ lucem monstrare voluntati ea, quæ sunt expetenda & fugienda: Voluntatis est, per virtutem ea facere, quæ præcipit mens & fugere quæ eadem prohibet. Rectè enim Poëta inquit: Quod latet ignotum est: Ignoti nulla cupido. *Qua de re plura non dicam: Amor enim virtutum, & odium vitiorum in voluntate non possunt existere sine intellectu virtutum & vitiorum in mente, hoc enim prorsus esset contra humanæ naturæ conditionem. Idem ostendit divina autoritas. Deus enim Deuter. 17. cap. per Moysen sic inquit: Describet sibi repetitionem hujus legis rex in libro, ut sit cum eo, & legat in eo cunctis diebus vitæ suæ, quo discat timere Dominum Deum suum, & observare cuncta verba legis. Posthea Josuæ cap. 1. ad Josuam dicit Dominus: Non recedet ab ore tuo liber legis hujus sed in eo die ac nocte*

meditaberis, ut custodias & facias secundum omnia, quæ in eo sunt scripta. Divina igitur autoritas testatur, actiones cùm omnium hominũ, tum maximè principum certis notitiis & præceptis regendas esse. Ideo & Sapientia apud Salomonem in proverbiis 8. cap. inquit: Per me reges regnant & judices justa decernunt. Quod si quis hac de re humanæ etiam autoritatis testimonium requirat, is hoc Platonis testimonio sit contentus, qui dicit: Eas demum respublicas fore beatas, in quibus aut reges philosopharentur aut philosophi regnarent. In quo dicto Plato sapientissimè vult cum potentia conjungi sapientiam. Rectè enim apud Græcos dicitur: Τὸ ἰσχυρὸν ἀνόητον, καὶ τὸ ἔμφρον ἀδύναμον. Id est: Robur expers est intelligentiæ, intelligentia potentiæ. Sed quanta doctrinæ & disciplinæ vis sit, in naturæ vel malis corrigendis vel bonis augendis, id maximè in exemplis doctissimorum principum cernere licet. Historiæ enim ostendunt, eos reges, principes & gubernatores, qui literarum studia coluerunt, indoctis principibus virtutis laude longè antecelluisse. Quanta enim virtus fuit in Davide rege Israëlitarum propter acerrimum sacrarum literarum studium? Idem rex si statuisset doctrinam, piam assuefactionem & disciplinam nihil prodesse ad comparandam virtutem, non tradidisset summo & eruditissimo prophetæ Nathan in disciplinam suum filium Salomonem. Cyrus primus Persarum monarcha, & optima disciplina Persica ad virtutem institutus fuit, & à sapientissimo propheta Daniele veram de Deo doctrinam didicit. Alexander Magnus, qui Persarum monarchiam ad Græcos transtulit, in omnibus Philosophiæ partibus à summo Philosopho Aristotele eruditus fuit. In Romana Monarchia, quanta eruditione præditus fuerit Cajus Julius Cæsar id ejus ostendunt commentarii sapientissimè scripti. De quibus audite, si placet judicium Ciceronis: Commentarios quosdam scripsit rerum suarum valdè quidem inquam probandos, nudi enim sunt, recti & venusti, omni ornatu orationis tanquàm veste detracta. Sed dum voluit alios habere parata, unde sumerent, qui vellent scribere historiam, ineptis gratum fortasse fecit, qui volunt illa calamistris inurere; sanos quidem homines à scribendo deterruit. De eodem scribitur, quod cum Pompeio interfecto Alexandriam venisset, more scholastici in turbâ lectiones doctorum virorum audiverit. Augustus Cæsar & literarum & literatorum hominum maximus fuit fautor. De M. Antonino Philosopho Romanorum Imperatore expressè scribit Dion, quod multum cum doctrina adjutum fuisse ad exercendam virtutem, cum inquit:

Vel Leonide Praceptore, à quo vide Plut. de Educan. pag. 609.

Ἀγαθὸς

κλεοῦς δ' ἦν, καὶ οὐδὲν περισσότερον εἶχεν: παμμέλλα δὲ καὶ ἐπὶ παιδείας ὠφελήθη. Hic etiam cum esset Imperator, egressus annum quinquagesimum accessit ad auditoria philosophorum. Constantinus Magnus tanta eruditione fuit præditus, ut ipse potuerit regere Synodum Nicenam, & in ea de summis articulis fidei inter alios Episcopos & eruditissimos viros sententias dicere. Theodosius secundus sua manu descripsit libros novi testamenti, & in eis quotidie aliquid legit, cui mos dicitur fuisse manè precationes dicere, & Psalmos canere cum conjuge & sororibus. Sed ut de aliis principibus doctis, quos alia regna habuerunt, nihil dicam: An non inter Impp. Germanicos hi clarissimi sunt, qui studia literarum coluerunt, & scholas publicas fundarunt? Quales sunt Carolus Magnus Græcarum & Latinarum literarum peritissimus, qui ἀξίωμα Imperii Romani ad Germanos transtulit: Fridericus Secundus, earundem linguarum & aliarum maximè callens, Mathematicorum, Physicorũ, & Medicorum studiorum instaurator felicissimus, & dignissimus qui summis heroibus annumeretur, qui excellentem in omni genere doctrinarum eruditionem cum virtute & gloria bellica conjunxerunt: Maximilianus, Carolus Quintus, Ferdinandus, & Maximilianus secundus, qui Imperatores omnes & ipsi excellenti bonarum artium cognitione exculti fuerunt, & viros doctos in magno precio habuerunt: Quidam etiam libros scripserunt: Ut Maximilianus primus, cujus silvam experientiarum non vulgarium citat alicubi Jacobus Spiegelius: Ut Fridericus secundus, cujus extat liber de arte venandi cum avibus, cui præscripta ab ipso verba sunt memorabilia, & vobis, ut spero, non ingrata futura, si etiam hic à me recitentur: Nos profectò, qui divina largitione populis præsidemus, generali, qua omnes homines naturaliter c
scire desiderant cupiditate: & speciali, qua gaudent aliqui utilitate proficere, ante susceptа regiminis nostri onera semper à juventute nostra quæsivimus scientiam, formam ejus indesinenter amavimus, & in odore unguentorum suorum semper aspiravimus indefessè. Post regni verò nostri curas assumtas, quamquam operosa frequenter negotiorum turba nos distrahat, & civilis sibi ratio vendicet solicitudinis nostræ partes, quidquid tamen temporis de rerum familiarium occupatione decerpimus, transire non patimur otiosum, sed totum in lectionis exercitatione gratuitè libenter expendimus, ut animæ clarius vigeat instrumentum in acquisitione scientiæ, sine qua mortalium vita non regitur liberaliter. Satis ne magnum hoc vobis, Auditores

optimi, videtur cognitionis & scientiæ studium in Imperatore? Sed brevitas temporis jam obstat, ut ne nominare quidem mihi liceat principes eos, qui in historiis clari sunt propterea, quod cum belli pacisq; artibus solidæ eruditionis laudem conjunxerunt: Qui certè in cognoscendis bonis artibus nihil temporis, nihil operæ, nihil studii posuissent, si earum cognitionem ad virtutem & gloriam comparandam nihil prodesse censuissent. Sed si, ut ante dixi, & ipsam naturæ humanæ conditionem & authoritatem cùm divinam, tum humanam, & exempla doctissimorum principum omnium temporum diligenter consideraverimus, reperiemus verissimum esse hoc symbolum: Virtutem doctrina parat. *Quare hanc sapientem commonefactionem in pulcherrimo argenteo numismate nobis propositam grato animo amplectamur, eamq; ipsô opere implere annitamur. Quo nihil gratius erit Amplissimo & Prudentissimo Senatui Noribergensi, quinullis sumtibus parcit, ut nos adolescentes ad studium literarum & virtutis excitet.* DIXI.

ORATIO SECUNDÆ CLASSIS, RECITATA à GENEROSO DOMINO BARONE GEORGIO-ERASMO à Tschernembl, Austriaco.

v. i. p. 12 es.

CUm Junioribus apud sapientes graves & eruditos viros, quales jam hic conventus multos habet, facienda sunt verba, nihil eos magis decere arbitror quàm brevitatē orationis. Quare & ego cùm

ego cùm à præceptoribus in hoc eruditissimorum virorum consessu aliquid dicere jubear, odiosam sermonis prolixitatem fugiens, statim me convertam ad qualemcunq; explicationem pulcherrimi symboli, quod ab Amplissimo Senatu Noribergensi in argenteo numismate nobis adolescentibus proponitur, qui ex secunda classe in primam promovemur.

Imago igitur, quæ in numismate nobis attributo insculpitur, hæc est: Rhinoceros cornu, quod in naribus habet, exacuit & limat ad petram. Quod hoc animal facere dicitur, cùm pugnam initurum est cum Elephante, cujus alvum, quam scit se acuto cornu penetrare posse, pugnans præcipuè petit, & in hac corporis parte elephantem vulneratum occidit. Quod si rhinoceros in pugnando ab alvo elephantis aberrat, ejus proboscide feritur, & dentib. dilaniatur. Anno Christi 1515. Albertus Dürerus Noribergensis pictor nobilissimus regi Lusitaniæ Emanuelì pictura elegantissima expressit vivum rhinocerotẽ, quem rex è Cambaria Indiæ regione acceperat. Ex illa Düreri pictura suspicor desumptam imaginem rhinocerotis, quæ in nostro numismate conspicitur. Idem Lusitaniæ rex, ut horum animalium discordiam & pugnam experiretur, ea aliquando inter se commisit: sed elephas conspectum rhinocerotem dicitur fugisse. Unde colligitur rhinocerotem animal esse animosum, & quamquam minus est elephante, tamen fiducia sui cornu cum eo audere congredi, & sæpè victorem elephantis existere. Atque hæc breviter sint nobis dicta de imagine rhinocerotis, qui se non temere committit pugnæ cum robustissimo & fortissimo hoste ineundæ, sed se ad futurum certamen exacuendo cornu ad saxum diligenter præparat, ut victoriâ potiatur. In numismate imagini rhinocerotis suum cornu ad petram acuentis addita sunt hæc verba, ex Catulli carmine desumpta: AMAT VICTORIA CURAM. Cujus symboli haud dubiè hæc est sententia: Nullam victoriam ab ullo hoste unquam reportari sine ingenti curâ, sine labore & sine aliquo periculo. Quæ sententia multis exemplis præstantissimorum regum, principum & ducum ex historia desumptis illustrari posset, si temporis brevitas eorum commemorationem admitteret. Quid enim? An recens tot præclaras victorias ab hoste bellicosissimo & sævissimo Moschovita, Stephanum Polonorũ rex sapientissimus, fortissimus & felicissimus, sine immensa cura, assiduo labore & maximo periculo reportare potuisset? Cui regi secundũ Deum immortales gratiæ debentur, quod multas Ecclesias Christi in Livonia & vicinis locis à tyrannide Moschovitica liberavit. Sed

vit. Sed prætermissis bellicis victoriis paucis attingamus scholasticam militiam. Nobis enim scholasticis de nostra militia inclytus Noribergensis Reipub. Senatus in hoc symbolo commonefactionem proponere voluit. Habet noster ordo hostes non paucos, qui nobis obstant, quo minus ad bonarum artium cognitionem & virtutis possessionē perveniamus. Quorum è numero hi quoque sunt, quos Hermolaus Barbarus Venetus, vir de studiis literarum optimè meritus, in hoc versu nominat:

Venter, pluma, Venus laudem fugienda sequenti.

Eosdem & Pythagoras in aureo suo carmine nominat, cum inquit:

Κρατεῖν δ' εἰθίζεο τῶνδε·
γαστρὸς μὲν πρώιστα, καὶ ὕπνου, καὶ ἀγυιάς τε.

Qui igitur in castris Musarum versantur, ante omnia studeant temperantiæ & sobrietati, ne à ventre, gulâ & crapulâ turpiter vincantur, ut Sardanapalus & Bonosus Imperator victi sunt. Verus enim est hic senarius: πανὸς γαστὴρ λεπτὸν ὑφαίνει νέφος. Deinde Musarum tyrones odisse debent nimium somnum, alterum illum sui ordinis hostem, ne ejus miserrima fiant mancipia. Cogitent exempla: Demosthenis primum, qui antelucanas operas fabrorum solitus est antevertere. Et item Alexandri Magni, qui minorem partem noctis somno, majorem vigiliis & meditationibus tribuere consuevit. Julianus quoque Imperator, alias malus & impius, noctes dispartitus fuit in triplicia officia: Quietis, Reipublicæ & Musarum. Quare & Plinius rectè nobis vigilium commendat, cum inquit: Vigilia in iis, in quibus animus inquies, operè pascitur. Et idem Plinius in præfatione historiæ suæ naturalis ad Imperatorem Vespasianum exclamat: Profectò vita vigilia est: ut significet, quantùm quisque temporis somno tribuat, tantùm vitæ suæ detrahere. Verissimè certè, nam & Plato ait in 7. de legibus, eum qui nimio somno deditus sit, nullius pretii hominē esse, nec plus valere mortuo: quod somnus & corpori & animo nostro & utriusque functionibus impedimentum adferat. Nec aliter Aristoteles: qui potius vigilias quàm somnum vitæ causam esse pronunciat. Τὸ ἐγρηγορέναι, inquit, ζῆν αἴτιόν ἐστιν, ὁ δὲ καθεύδειν. Ex quibus mihi videtur Ovidius suos hosce versiculos expressisse, qui in omnium ore sunt:

Stulte quid est somnus, gelidæ nisi mortis imago?
Longa quiescendi tempora fata dabunt.

Tertius

Tertius scholastici ordinis hostis est fœdus amor prohibitæ Veneris, Deum 3.
& homines gravissimè offendens. De quo hoste extant versiculi Bacchylidis veteris Poëtæ Græci, quos Philippus Melanchthon latinè sic reddidit,

Ut cùm de statua facies formosa remota est,
Non decus in toto corpore truncus habet:
Sic reliqui mores spreti sine honore jacebunt,
Ni sint ornati laude pudicitiæ.

Petronius Arbiter quoque de eo sic inquit:

Fœda est in coitu & brevis voluptas:
Et tædet Veneris statim peractæ.

Hi tres, quos dixi, hostes primum vincendi sunt tyrannibus Musarum, & postea in alios multos domesticos hostes fortiter impetus faciendus est, ut feliciter superentur, expellendæ multiplices tenebræ è nostris mentibus, ejiciendæ ex voluntatibus innumerabilia vitia, domandi multi pravi affectus in cordibus nostris, ambitionis, superbiæ, æmulationis, invidiæ, avaritiæ. Rectè Prosper inquit:

Nunquam bella bonis, nunquam certamina desunt,
Et quo cum certet mens pia semper habet.

De his tot & tantis hostibus sine curâ, sine diligentiâ sine labore, ut symbolum nobis datum nos monet, noster ordo nullas obtinebit victorias. Præparemus igitur nos magna cum curâ ad omnis generis certamina, ut necessaria eruditione, & mediocri dicendi facultate instructi, cum acerrimis adversariis veritatis, legum & honestarum artium aliquando feliciter & gloriosè pugnare, & per tales victorias Ecclesiæ Christi ac Reip. magno usui esse possimus.

DIXI.

ORATIO TERTIÆ CLASSIS, RECITATA à WILHELMO THEODORICO Marschalck ab Ebnet.

QVædam Germaniæ civitas ad Carolum Quintum Imperatorem legatum miserat, adjuncto comite adolescente pulcherrimo, primarii ejus civitatis viri filio. Cumq; legatus Imperatori suæ Reipublicæ negotium exposuisset, interrogat eum Imperator de comite adolescente, cujas esset & cujus filius? Respondit legatus, esse eum cujusdam primarii in sua Repub. viri filium & unà secum missum, ut quædam dignas memoriâ & videret & audiret. Imperator igitur hoc audiens, adolescentem colloquio dignatur, eumq; de quibusdam rebus interrogat, quas ingenuum adolescentem scire oportet, ut domum is reversus gloriari posset, se cum Imperatore esse collocutum. Sed cum adolescens piscè magis mutus esset, nec Imperatori ad interrogatoria quicquam respondere posset; Imperator legato, Tuus, inquit, comes pulchra est statua, significans pulchritudinem corporis & nobilitatem generis sine doctrina & virtute parùm prodesse hominibus. Hujus dicti Caroli Quinti Imperatoris mihi venit in mentem, cum considero in numismate hoc symbolum: NOBILITATIS VIRTUS, NON STEMMA CHARACTER. De quo symbolo, omisso longiori exordio, pauca dicam.

Numisma

Numisma, quod præmii loco munificentia inclyti Senatus Noribergensis tribuit iis scholasticis, qui ex tertia tribu in secundam evehuntur, harum rerum, ut videmus, habet imagines: Grandior aquila unguibus suis arreptum pullum tenet, cumq; rectà intueri cogit adversum solem, cujus fulgentes radios si ferre oculus potest, agnoscit eum pro legitima prole & in nido retinet, atque educat. Sin præ imbecillitate visus oculos à solis radiis avertit, pro spurio eundem habet, suaq; educatione indignum judicat, atque è nido præcipitat. Inter alias enim virtutes aquilarum etiam hæc est, quòd visu maximè c
valeant, quodq; illæsis oculis sine lachrimis, non conniventes, & ut Græci loquuntur, ἀσπαρδαμυκτὶ, fulgorem radiorum solarium aspicere possint. Ex hac aquilarum natura & virtute hæc similitudo ducitur: Ut pullo aquilino ad aquilinam nobilitatem probandam non satis est, ab aquilis generosis progeneratum esse, sed hoc etiam in eodem necessarium est, ut virtutem aquilis dignam habeat, sine qua à parentibus pro legitima sobole non agnosceretur: ita in genere humano, si quis pro verè nobili haberi velit, ei non satis est jactare nobilitatem generis majorum suorum, quod nobilitatis argumentum est levissimum: sed maximè hoc necessarium est, ut majorum suorum eximiam virtutem referat ac possideat: sine qua ne suorum quidem parentum judicio ullus verè nobilis est, nec pro nobili habendus. Quapropter imaginibus numismatis nostri hæc inscriptio rectè additur: Nobilitatis virtus, non stemma, character. *Id est, magis virtus, quàm genus nobilitatem efficit, vel potius sola virtus, non majorum sanguis veræ nobilitatis firmum est argumentum. Magnam sapientiam & utilitatem continet hoc symbolum. Primum eos, quibus generis nobilitas contigit, quæ εὐγένεια Græcis dicitur, sapienter monet, ut cum ea veræ virtutis studium conjungant. Deinde eos, qui genere ignobiles sunt, hortatur, ut per acerrimum sapientiæ ac virtutis studium veram nobilitatem sibi comparent, quam Græci philosophi ἐυδοξίαν vocant, quæ tanto τῆ εὐγενείᾳ antistat, quanto propria virtus aliena virtute nobis utilior est. Tertiò docet ignobilitatem generis hominibus novis, qui nullis* c
majorum imaginibus, sed virtute propria clari sunt facti, nihil obesse quo minus & sint & habeantur verè nobiles. Postremò significat nobilitatem generis prorsus inutilem esse iis, nec quicquam prodesse, qui mali & improbi sunt, & à virtute majorum suorum turpiter degenerant. Imò hos Aristoteles 4. de ortu animal. cap. 3. non dubitat monstra appellare. De hac postrema parte

extat elegans epigramma, gravissimi Theologi Gregorii Nazianzeni, *in quo multis rationibus demonstrat,* τὰς εὐγενεῖς δυσρώπους, *id est, nobiles malis moribus præditos frustra gloriari de nobilitate sui generis. Equibus tanti viri rationibus hic aliquas proferre operæ pretium est. Si, inquit, corpore admodum esses deformis, & tetrâ laborares graveolentiâ, ut tuum halitum oris nemo circumstantium ferre posset, & hæc mala tibi aliquis obiiceret, an prodesset tibi dicere: patrem habui formosum, patrem habui benè olentem? Item, si tibi quis obiiceret muliebrem timiditatem & mollitiem, an satisfaceres convicianti, si diceres, majores mei multas coronas Olympicas sua virtute obtinuerunt? Ita si te aliquis rudem & malum homine appellaverit, nihil te juvabit, si respondeas, majores tuos & parentes viros sapientes & bonos fuisse. Item, uter musicorum est melior, illene qui inaurata cithara optimè canit? nimirum, qui vulgari cithara optimè. Similiter, ut laudi rosæ nihil decedit, etiamsi ea ex aspero frutice nascitur, & ut spinæ vituperatio non minuitur, etiamsi ea ex tenera proveniat terra: Ita qui bonus est, licet obscuros habeat aut malos parentes, tamen meritò præferendus est ei, qui nobilissimum & optimum genus suum malis moribus dedecorat. Hæc & plura alia* Gregorius Nazianzenus *in epigrammate, in nobilem degenerem scripto, sapienter & eruditè monet.*

Quæ cùm ita se habeant, & judicia sapientum virorum magni nobis sint facienda, eaq; vera comprobent cùm historiæ, tum quotidiana experientia sæpè multumq;, ut nos ad virtutis studium excitemus, de hoc symbolo cogitemus: Nobilitatis virtus, non stemma, character. *Qui ex claris majoribus orti sumus, non confidamus eorum virtutibus & meritis, nec alios præ nobis contemnamus, sed ipsi quoque majorum nostrorum exemplis sapientiæ, pietatis & virtutis studium colamus, & benè de Repub. de Ecclesia Dei, de tota societate humana mereri studeamus, memores versuum Juvenalis:*

Tota licet veteres exornent undiq; ceræ
Atria, nobilitas sola est atque unica virtus.

Et versus Gregorii Nazianzeni, in dicto epigrammate,

Δεῖλε ἐμοὶ πᾶς σκυλες ἐλεύτερος ἔσις ἄελος.

Qui verò ex parentibus ignobilioribus minusq; laudatis procreati sumus, aut patriam minus claram habemus, aut opibus non ita magnis abundamus, aut corporis dotibus destituimur: tamen propterea non desperemus, sed tan-

sed tantò magis studio literarum, pietatis & virtutis incumbamus, ut per hæc media Deus nos pro sua immensa bonitate ita evehat, ut fiamus salutaria organa Reipublicæ & Ecclesiæ Dei. Nam Psalmus 113. bonitatem Dei his verbis celebrat: Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat? Humiliæ respicit in cœlo & terra, erigens è pulvere inopem, & de stercore erigens pauperem, ut collocet eum cum principibus, cum principibus populi sui. Quid quod etiam Ethnici obscuro loco natos, cum virtuti student, præferunt iis, qui sine propria virtute, stemmata majorum suorum tantummodo jactant? Ideo Juvenalis satyra 8. sic inquit:

Malo pater tibi sit Thersites, dummodo tu sis
Æacidæ similis, Vulcaniaque arma capessas,
Quàm te Thersitæ similem producat Achilles.

Et Ovidius: 13. Metamorph.

Nam genus & proavos, & quæ non fecimus ipsi,
Vix ea nostra puto. DIXI.

ORATIO QUARTÆ CLASSIS, RECITATA AB HIERONYMO HOLTZSCHUHER, Patricio Noribergensi.

IN eo numismate, quo Amplissimus Noribergensis Senatus nos donat, qui ex infima classe ad proximè superiorem ascendimus, hæc inscriptio legitur:

VIVITUR INGENIO. Quam inscriptionem legens, timidus ad dicendum accedo. Quid enim nos adolescentes, qui vix in hanc vitam ingressi sumus, de vita asserremus dignum auribus eruditissimorum virorum & juvenum, qui in hoc conventu conspiciuntur? Quid item præclari de ingenio, re maximè abdita minimeq; in sensus incurrente diceremus nos pueri minimè ingenioſi, qui vix de rebus quotidianis, & ante oculos positis tria verba proloqui possumus? Ego verò præ aliis adolescentibus puerili etiam quadam timiditate impedior, quo minus ea, quæ utcunque didici, proferre queam. Auget hanc meam timiditatem & ingenii mei tenuitas, & imperitia rerum, quæ cum puerili ætate conjuncta est. Sed quia Magnifico Domino Rectori modestè obtemperandum est, qui me jubet specimen aliquod edere mei in studiis profectus, pauca in medium adducam de symbolo, quod ab inclyto Senatu Noribergensi scholasticis nostri ordinis benignè attributum est. Videmus igitur nostrum hoc numisma in uno latere continere insculptum monimentum seu sepulchrum quoddam, cui species quædam hominis insistit, habens geminas in dorso alas, & geminas in manibus tubas ori admotas. Imago sepulchri haud dubiè nos monet, omnibus aliquando moriendum esse, atque idcirco omnem superbiam, arrogantiam & fastum maturè deponendum, omnia humana & terrena, quam vis splendida, tamen, utpote morti obnoxia, contemnenda, calcandaq; esse, sicut vulgares hi rythmi idem nos monent:

Cum tumulum cernis, cur non mortalia spernis?
Tali namque domo clauditur omnis homo.

Extat apud Græcos in libello epigrammatum distichon, quod de eadem re piè, & sacris literis convenienter nos commonefacit, quod tale est:

Γῆς ἐπίδην γυμνὸς, γυμνόσθ' ὑπὸ γαῖαν ἄπειμι,
Καὶ τὶ μάτην μοχθῶ, γυμνὸν ὁρῶν τὸ τέλος;

id est:

Nudus in hanc veni terram, nudusque redibo,
Quid crucier frustra? clausula nuda datur.

Species tamen quæ sepulchro insistit, monet, aliquid esse quod cum homine non moriatur, videlicet excellens ingenium, quod comprehendit eximiam doctrinam, singularem virtutem, & insignem gloriam, quæ omnia certa quadam ratione inter se cohærent ut caussæ & effectus, eademq; mortē effugiunt. Ingenium enim parit doctrinam, doctrina virtutem, virtus gloriam, gloria immor-

immortalitatem. Alæ igitur imagini additæ significant gloriam virtuti debitam, per totum orbem terrarum, & sursum in cœlum volare, nec sepulchro posse capi. Adducuntur & tubæ geminæ, ut significetur, virtutes magnorum, & de genere humano benè meritorum virorum pleno ore solere cani, & passim prædicari. Ac fieri potest, ut altera geminarum tubarum poëtas altera historicos aliosq; solutæ orationis scriptores denotet, quorum tubæ tàm sunt sonoræ, tamq; in canendo durabiles, ut ab ortu usque ad occasum, & ab occasu usque ad ortum, per omnia secula audiantur. Ac de poëtica tuba Ovidius sic inquit:

Carmine fit vivax virtus, expersque sepulchri,
Notitiam seræ posteritatis habet. *Item Horatius:*
Dignum laude virum Musa vetat mori.

Qualis & quanta sit tuba illa altera in celebrandis claris viris, quæ soluta oratione utitur, quæq; oratoria dici potest, satis ostendit epistola Ciceronis ad Lucium Luceium Quinti filium, in qua inter cætera summus orator sic inquit: Ardeo cupiditate incredibili, neque ut ego arbitror, reprehendenda, nomen ut nostrum scriptis illustretur, & celebretur tuis. Per has igitur tubas, cùm poëticam tum oratoriam, multi præstantissimi viri celebrati, immortale nomen sunt consecuti, ut non minus per bonam famam apud posteros vivere videantur, quàm olim suis ipsorum temporibus vixerunt. Commemorationem exemplorum, quæ sunt apud scriptores innumerabilia, brevitatis caussa omitto. Nec verò solum illæ personæ quæ tuba vel poëtica vel oratoria celebrantur, immortales fiunt, sed ipsæ etiam personæ, quæ hujusmodi tubis canunt, facilè inclarescunt. Non minus enim immortalis factus est Homerus, quam ipsi illi heroës, quos divino suo carmine celebravit. Eodem modo judicandum est, de omnibus bonis scriptoribus, qui vel res cognitione dignas, vel personas virtute præstantes monimentis literarum commendarunt.

Quicunq; igitur cupidus est immortalis vel nominis, vel gloriæ, (omnes autem cupidi esse debemus) hic aut præclarè agendo & vivendo materiam præbeat tubæ poëticæ & oratoriæ, aut alterutra harum tubarum discat ipse præclarè canere. Ad utrumq; comparandum, ingenium est necessarium. Sine ingenio enim nec laudabilis materia ad canendum suppeditari, nec hæ, quas dixi, tubæ præclarè possunt inflari atque usurpari. DIXI.

VII. PANEGYRIS, Anni 1583.

SUB RECTORATU D.D. JOHANNIS BUSENREUTI, Jureconsulti,

EMBLEMA PRIMÆ CURIÆ, EXPLICATUM PER

JOH: ANDREAM GEUDER, Patricium Noribergensem.



ETsi me pudor, quem mihi natura tribuit, satis commovere poterat, ne in hunc locum, qui eloquentissimis ac eruditissimis omni tempore patuit, omnino adscenderem: Viri omnium Amplissimi ac Nobilissimi Scholarchæ dignissimi ac prudentissimi: vos deniq; cæteri Auditores ac Hospites gratissimi ac ornatissimi: quia tamen à Magnifico Domino Rectore jussus sum, ut in hac Amplissimorum Virorum coronâ, specimen ingenioli mei edam: ne forte id, quod in præsenti accepi præmium indignè accepisse videar, hanc provinciam nullo modo detrectare possum. Quænam igi-

nam igitur hujus præmii sit imago: quodq; problema, dicam Auditores paucis. Sed antequam dicam, quæso obtestorq; vos, tribuatis mihi hoc beneficium, ut dum hæc summatim persequar, orationis meæ cursus, aura lenitatis ac facilitatis vestræ adjuvetur.

Naturalis historiæ scriptor Plinius refert, quod etsi serpentes hominem odio naturali & sempiterno prosequuntur, & quibuscunq; possunt modis lædunt, inficiunt, interimunt: homini tamen contra serpentes, natura venenum concesserit præsentissimum, jejuni scilicet humani oris salivam, qua serpentes ictæ, velut aquæ ferventis, contactum fugiant, quaq; si in fauces penetraverit, etiam moriantur. Hoc ut naturæ erga humanum genus singulare beneficium: ita sobrietatis & Veneris luxusq; præclarum est simulachrũ. Quid enim Venere est venenatius? quid luxu nocentius? quid immoderatâ vitâ pestilentius? hæc bonarum literarum est venenum: hæc artium & disciplinarum pernicies, hæc omnis honestæ vitæ morumq; pestis & corruptela: Hæc mentis usum pervertit: omnem humanæ vitæ dignitatem commaculat: Dei in homine sculptam imaginem debilitat: quin imò mente penitus & omnis veræ artis usura spoliat, & quasi Circes poculo in pùtidissimas bestias transformat. Quid porrò corporis robur perdit? intemperantia: quid morborum iliada gignit? intemperantia: quid denique omnium vitiorum gurges, & sentina est malorum? intemperantia. Non est, quod quis vestrùm sine exemplorum appositione lentius hæc à nobis dici miretur: vita atque factis omnium penè hominum abundè satis hoc comprobari potest. Vultis igitur exemplis priscorum populorum apud vos utamur? vultis ex antiquissimis historiis regia dignitate viros illustres, his verò vitiis infectos repetamus? Alexandrum, cui ex rebus actis & auctis Magni nomen est inditum, Alexandrum inquam, hâc luxuriâ, & immoderato voluptatum usu, eò prolapsum esse accepimus, ut optimos etiam amicos, inter quos Clitum suæ nutricis fratrem in convivio occiderit. Quò impietatis & crudelitatis insatiabilis Nero impurissimus non prosiliit? cùm vino gulæq; tam deditus esset, ut mutato nomine pro Claudius Tiberius Nero, Caldius Biberius Mero dici meruerit. Sed quid ego te Alexander, quid te Nero, extanta antiquitate repeto? quasi vero nolis magno numero non sint in omnibus provinciis nepotes, qui sua vita perditissima sibi morbos attrahant, periculis se exponant, & in mille vitæ discrimina coniiciant. Hujus ergo Veneris victrix est sobrietas. Hujus veneni antidotum

tidotum est temperantia : Horum malorum medela est vita moderata. Sobrietas enim ebrietatem pellit, ebrietate pulsa animorum perturbationes & omnis generis mala pelluntur. Quanta sit hujus virtutis præstantia, ex Græcis etiam cognosci nullo negotio potest. Hi enim insigni vocabulo σωφροσύνην nuncuparunt, dictamq; volucrunt, teste Aristotele, quasi σώζουσαν τὴν φρόνησιν, quod mentem illibatam conservet prudentiam, omniumq; virtutum officia pariat, atque tueatur. Nihil itaque per Deum immortalem honestius, nihil præclarius, nihil præstantius, diviniusq; est temperantiâ, & omnis vitæ moderatione.

Sed de problemate satis, vel etiam plura quam cogitassem. Nunc tandem, quod unum restare videtur, Deum oremus sobrietatis & autorem & fautorem, ut suo nobis Spiritu adsit, qui mentem nostram ac sensus ita regat atque gubernet, ut in tota vitâ nostrâ sobriè pieq; degamus, & hac corporis mole tandem exuti & liberati, sempiternâ cum ipso lætitiâ perfruamur. DIXI.

EMBLEMA SECUNDÆ CURIÆ, EXPLICATUM PER ILLUSTREM & Generosum D. Comitem Philippum Oetingensem.



Non minus sapienter quàm utiliter, ab hujus inclytæ Academiæ Proceribus constitutum est, Magn. Dom. Rector, ut, qui in inferioribus censibus, ingenuis artibus operam dedere, prius cùm privatim, tum publicè suæ industriæ specimen aliquod darent suis præcepto-

præceptoribus, quàm ad alias tribus transferrentur. Non ſolum igitur non cariſſem juſta inobedientiæ reprehenſione, ſed ignaviæ ſimul & negligentiæ nomine ſuſpectus fuiſſem, niſi, quod à tua Magnif. mihi mandatum eſt munus, ſuſcepiſſem. Quanquam autem non ignorem, non poſſe me ſatis commodè & politè oſtendere, qui ſit propoſiti mihi Emblematis ſenſus: ideoq; præceps fuiſſe in ſuſcipiendis hiſce dicendi partibus videri poſſim: tamen ne temeritatis vitium fugiendo in aliud gravius delabar, Emblema paucis explicabo.

Pingitur in hoc argenteo numo leo robuſtus, & vir: qui dum compedibus conſtringere leonem conatur: linteo caput ejus obvolvit: Huic picturæ hoc ſymbolum eſt additum: INGENIUM SUPERAT VIRES: *quo nihil aliud arbitror innui, quàm non tàm viribus, velocitate aut celeritate corporis res magnas geri, quàm conſilio, autoritate atque ſententia. Nam quis non perſuadeat ſibi, ea quæ ſummis difficultatibus oſtructa, obſcuritate tecta, ancipiti dubiaq; conditione involuta ſunt, acri conſilio, mentiq; acie potius perveſtiganda, enodanda, peragranda eſſe, quàm corporearum virium molem adverſus ea comparandam? Vis enim humani ingenii tanta eſt, ut quò manuum noſtrarum tela non pervenerint, eodem acutum conſilium penetret. Potentia verò conſilii expers, quoniam inconſultè & temerè agit, imprudenter & fortuito fertur, nec moram ſolum ſibi, & impedimentum in agendo infert, ſed mole ſua ruit, totaq; deſtructa vaneſcit: adeo ut rectiſſimè dixerit Q. Curtius 7. lib. de geſtis Alexandri, conſilio non impetu opus eſt. Et Pericles judicabat, magis decere Imperatorem conſilio & aſtu, quàm gladio multoq; ſanguine fuſo, potiri victoria. Compertum enim habebat, nihil non difficultatibus circumſeptum, anguſtiis circumvallatum eſſe: ideoq; non tam in copias, magnasq; vires, quàm in acrem mentis induſtriam ad agendum intentam, ſpem eſſe defigendam. Hujus veſtigia perſecutus eſt Tarquinius junior, qui tum demum nullo negotio civitates à bellorum ducibus vinci poſſe cenſebat, ſi è medio primates patrum prudentia pollentes, ſublati eſſent. Sic Cicerone teſte, Homerus non Ajacem, non Achillem, ſed Ulyſſem appellavit πολύτροπον, quod extrema belli Trojani conſilio & prudentiâ proſecutus eſſet. Unde liquet veriſſimum eſſe, quod noſtrum ſymbolum ait:* Ingenium ſuperat vires. *Harum enim firmitas parit fiduciam: qua nonnulli nixi, non rarò in periculum ac diſcrimen adducti ſunt. Nam Pompeio in Theſſalico prælio (ut ait Florus) nihil magis exitio fuit, quàm ipſa exercitus magnitudo:*

M *In ma-*

In magnâ scilicet virium fiduciâ magnis viribus accingitur fortuna (ut inquit ille.) Non igitur potentiâ, non fastu bellicoso, non vi tumultuosâ: sed vigilanti animo, sed acuto consilio, sed prudenti & cauta mente ad negotia tractanda accedendum, res difficiles aggrediendæ, adoriendæ, conficiendæ sunt.

A3. Quæ cum ita sint, par est, ut, qui parum cauti & providi, aliquando tamen alios gubernaturi sunt, illis se adjungant, qui sui ingenii aciem, longo rerum usu, ad bona deligenda, & reiicienda contraria exacuerunt: hos, inquam, sectentur puerorum prætextatorum more, qui olim Romæ cum patribus Senatoribus boni exempli causa, in senatum ventitabant, ut eos quibus præfecti fuerint, prudentiâ feliciter regant, non evertant temeritate: ut denique civitas seu Respub. non in animum, sed vivum corpus sit. Civitas enim sine consilio est corpus sine animo. DIXI.

EMBLEMA TERTIÆ CURIÆ, EXPLICATUM PER JOACHIMUM à Wernstet.



QVemadmodum antehac nihil unquam magis in votis habueram quàm ut à toto studiosorum grege, non tàm statutis Academicis, quàm fidelissimis præceptorum nostrorum monitis studiosè satis fiat: sic nunc quoque illud summæ mihi esset jucunditati, si tua jussa exequi liceret, atq; ad problema mihi propositum suaviter & ornatè daretur respondendi facultas. Sed cum hanc mihi demandatam provinciam ingenii

ingenii mei vires longè exuperare videam, neque ea me sermonis venustate mentisq; acumine instructum esse noverim, ut quasvis quæstiones abstrusas indagare, verbisq; politis dilucidas reddere possim, difficillimum sanè esse judicavi, hunc ipsum publici suggesti locum conscendere, atque meo meorumq; commilitonum nomine in celeberrimo virorum clarissimorum consessu progressus nostri specimen proferre. Licet autem hoc arduum atque difficile mihi fuerit visum: volui tamen hoc potius obire munus, tuæq; voluntati morem gerere, quàm detrectando temerarii & ingrati hominis notam contrahere. Spero etiam fore, ut ego quàm brevissimè, & quidem pro ætatis meæ ratione symbolum hoc explicans, non mirori, quàm cæteri à vobis omnibus & singulis præsentibus audiar benevolentiâ.

Figura hujusce congiarij nostri exhibet nobis globum quendam incendiarium, qui pro materia sua, qua constat, sulphure videlic. & nitro atq; pulvere tormentario, in aquâ supernatans lucetes edit flammas. Qui licet interdum procellis aquæ prematur, atque ita submergatur, ut flammæ prorsus videantur extinctæ, omniq; spectantibus spes aliquando emergendi sit adempta, subito tamen illæsas ex undis exurgit, suarumq; flammarum fulgorem non minus quàm antea coruscantem magna cum admiratione profert. Atque hic globus etsi millies supprimatur, semper tamen emergit, nulloq; modo potest opprimi, neque flamma ejus ulla ratione suffocari, quàm diu flagrandi materia non penitus sit absumta. Hoc Emblema rectissimè, quatenus ego quidem puerili ætate rem intelligo, veritatis dignitatem & præstantiam mihi videtur innuere. Ut enim globus nunquam potest opprimi, licet interdum prematur: sic etiam veritas non prorsus obliteratur, neq; splendor ejus extinguitur, quamvis nonnunquam pessimis & caliginosissimis obruatur & obscuretur mendacij nubibus: Ea siquidem semper ita solent extenuari & evanescere, ut veritatis radij integrè queant refulgere. Unde etiam pulchrè & verè admodum Sophocles dixisse perhibetur: nullum mendacium senescere: Et Theophrastus: Ex calumnia & invidia conflatum mendacium ad exiguum tempus durare, & paulatim flaccescere atque interire. Proinde ex repentino & præcipiti mendacij interitu luce clarius est, quàm solida sit veritatis constantia, ut videlicet nullo unquam tempore, quantumvis aliquandiu obscurata, penitus possit aboleri, sed relucere semper ac revelari soleat, non secus, ac sol omnium totius mundi luminum moderator ac princeps, tametsi fuerit aliquantulum

obumbratus aut tenebris obductus, perpetuò tamen obfuscari non potest: sed quasvis nubes tenebricosas tandem dispellit, suos clarissimos radios spargit, atque hoc amplissimum mundi amphitheatrum illustrat. Videant nunc ij, qui veritatem temerè solent oppugnare, eamq; omnibus quibus possunt viribus conantur opprimere, an non irritam & inanem sumant operam? an non cum larvis (quod dici solet) luctentur? an non Deo bellum velut Gigantes inferant? Cum veritatis tanta sit vis, ut præstantissima hæc, & admiranda cœli & terræ machina potius peritura sit, quàm veritas possit exterminari. Hujus rei exempla, quorum aliquot myriades nobis, si id agere vellemus, historiæ suppeditarent, omnia brevitati serviens, ut etiam post me dicturo tempus supersit, prætereo, unico saltem prius commemorato. Puto omnibus constare, laudabilem & memoriâ dignissimam Josephi veritatem (cujus vita uberius descripta erit è sacra historia Geneseos petenda) varijs jam mendacijs oppressam, admirabili tandem Dei ter opt. max. consilio manifestatam fuisse. Licet fratres ejus parenti mœstissimo impietatis suæ factum occultare, eidemq; veste sanguine conspersa exhibenda, filium à feris dilaniatum esse, persuadere conati sint: Licet etiam sceleratissima Potiphari uxor Josephum veracissimum & castissimum pudicitiæ violatæ accusare non dubitarit: Horum tamen conatus steriles fuerunt & irriti. Quapropter ne prolixior sim, Studiosi Adolescentes, nostrum erit, qui jam ex insigni Reipub. Noribergensis liberalitate his præmijs honorificè donamur, ut quotiescunque symbolum illud intuemur, de veritate alacriter, constanter & syncerè tuenda & propaganda sedulò cogitemus.

DIXI.

EMBLEMA QUARTÆ CURIÆ, EXPLICATUM PER GENEROSUM D. HEINRICUM, BARONEM à Tschernembl.



AT hoc quidem certè est è pumice aquam petere: à me adulescentulo ac in literis tyrone ejus argumenti explicationem poscere: quod vel maturis ætate, ac benè exercitatis viris facessat negotium. Verùm quia constat, hic non tam artem à me requiri: quàm obedientiam: age annitar & ego meo loco, ne peccem in ea parte, in quæ peccanti, venia dari non potest. Video hic navim, in fluctibus jactatam: video columbam volantem cum ramo oleagino: video denique oleam in littore eminentem. Ex diluvij historia sumtæ sunt, ni fallor, hæ icones. In hujus historia (quam sæpè equidem tacitus admiror) maximarum rerum inesse mysteria, certum est: sive ad spiritualis illius vitæ rationes eam referas (quia Ecclesia Christi in hoc sæculo vivere incipit: fruitura illâ cum Deo in æternitate) sive externæ vitæ rationes spectes. Ego qui de spiritualibus illis & abstrusis, non satis possum vel cogitare, vel loqui, in eo resistam, quod est facilius. Navis ista in fluctibus jactata, Ecclesia est: cùm universa, tum pars ejus quælibet: Respublica scilicet Deo serviens: Schola pia: Oeconomia honesta. Nam totius & partis hic quidem est una eademq; ratio. Columba civem Ecclesiæ refert: Olea pacis signũ est: quæ hic in ipso littore maris locata, id notat, quod

res est: dat Deus, etsi sæviente mari & fluctu, aliquid tranquillitatis: quemadmodum oleam illam, de qua ramum suum decerpsit columba Noæ, in universali illa rerum omnium internecione, vel conservavit, vel certè novam repentè produxit: Ita scilicet hodiè etiam conceàt pijs aliqua halcyonia in sævissima hyeme: ac velut in Medeæ sinu, columbulæ suæ nidulum suspendit, ac defendit. Cujus columbæ hoc debet esse studium, ut cùm cætera operetur, quæ in avis hujus natura pinguntur, tum discendo & agendo, ea quæ sunt pia, sancta, honesta: (quæ verè sunt ramus oleæ, ac virgula divina: omnibus turbis hujus vitæ componendis idonea) His ergo discendis agendisq; ut prodesse studeat tota vita sua, optimè de se meritæ nutriculæ: atque ita ramum oleæ ad naviculam Noæ, nutricii sui, deferat. Nusquam ô commilitones, nusquam apparet, in hoc nostro numismate corvus: is dico corvus, qui ab Noæ nutricio emissus, libero mox volatu auferebatur: oblitus sui nutricii: oblitus arcæ illius, in qua fuerat conservatus: in qua fortasse etiam invitus, toto illo anno, fuerat detentus: Perinde ut solent barbara ingenia, scholas & disciplinam omnem odisse ac detestari. Absint ô commilitones, à mentibus nostris mores isti, & ἀσωτία ista corvina: simus semper memores naviculæ nostræ, in qua benignè alimur ac fovemur: eiq; studeamus tota vita, quæ debemus θρεπτήρια reddere. Hoc si agerent, si huc incumberent à primis annis mortales: rectè constaturum erat id, quod habet brabei nostri ἐπιγραφὴ: PAX AUREA SÆCLI: ut scilicet & Ecclesiæ (quæ est Νῶε κιβωτὸς vel potius Christi cymba) & Reipublicæ illud sartum tectum esset, quod hodie in rebus humanis nihil esse videtur, nisi inane nomen, Pax & concordia & tranquillitas: *absuturæ verò erant lites, malæ, & turbæ infelices, quibus hodie inter se colliditur orbis terrarum. Sed ut, quid alij agant, præstare nos non possumus: ita illud nobis, ô commilitones, omnibus & singulis convenit, ut nobis semper hanc legem dicamus, ut Ecclesiæ, ut Patriæ, ut Reipub. ut Scholæ in cujus sinum, tanquam navim, recepti sumus: hujus inquam veluti parentis atque altricis nostræ, paci atque incolumitati ut pro virili nostra, ita uti jam monui, consulamus: Et cum talis nutricula omnibus nobis hoc tempore sit Noribergensis Respublica, cùm alijs rebus, tum eo ipso, quod tàm constanter, tàm benignè hanc Academiam, hanc navim nostram fovet: Nos officij nostri memores semper ad illius honorem atque commoda nos adjungamus: & cùm alijs rebus quibus possumus, tum precibus pijs semper ei salutem ac faustitatem omnem à Deo æterno optimo maximo, exoptemus.* DIXI.

VIII. PANEGYRIS, Anni 1584.

SUB RECTORATU D.D. NICOLAI TAURELLI MEDICI.

ORATIO PRIMÆ CLASSIS, RECITATA à CAROLO SCHEURL, Noriberg.



QUum à dicendo, Auditores, pueritiam meam revocare solet, rerum insciția & pudor ingenuus, qui maximè ornat hanc ætatem: tum in hac publica actione, ita me multa perturbant, ut quantùm leges, tuaq; autoritas M. D. Rector spei mihi afferunt, ad explicationem hujus Emblematis suscipiendam, tantùm timoris rei difficultas incutiat.

Primum dico de Emblemate explicationeq; ejus, quod ipsum etsi satis laudatum, majus tamen mihi dicendi onus impositum sentio, quàm in humeris meis cohærere possit. Deinde id Emblema, cujus animal non dicam à me, sed vix unquam in Germania visum est, cogor illustrare. Accedit ut rationis, quæ huic

quæ huic reclamat firmitate, & classicorum autorum, in hujus descriptione dissensione perturber. Perturbat me Auditores etiam illud, quod tamen cum vos penitus recognovi, timere desino. Res enim temerarium est, sed vestrâ patientiâ fit æquissimum. Nam puerum dicere apud Mag. Nobiliss. Clariss. & doctissimos viros, quorum auditor esse debebat, si per se ipsum consideretis, nefarium est: pueros enim in consessu seniorum & doctiorum tacere decet. Sed vestra Auditores præstans singularisq; benevolentia hunc mihi metum minuit. Non enim tàm timeo, quid me deceat, quâ intelligo, quid de me cæterisq; meis commilitonibus expectetis. Moveor etiam loci ipsius magnificentia, quòd ego classicus auditor, & in hoc genere nunquam exercitatus, hoc Emblema quod a nullo unquam inventi tractatum, illustrare cogor. Dico enim in tanto conventu & frequentia literatorum virorum, in quo nihil nisi ceretum & eruditum proferri debet. Hæc me cura, hæc difficultas circumstat. Quare quoniam actio maximè debilitatur loco & rei perplexitate, vestrum est Auditores quid ego puer in hac actionis difficultate præstare possim, ad limatum prudentiæ vestræ judicium vocare, quo facilius tum æquitas vestra, tum consuetæ audiendi benevolentia minuat hanc perturbationem meam.

Primum autem de Basilisco quæ gravissimis certissimisq; monimentis testata, dicam: deinde de Emblemate pauca subjiciam.

Ad Basiliscum quod attinet, quem nonnulli quod rex serpentum sit, regulum vocant, nomine notius, quàm visu animal est: & varietas scriptorum, quòd plurima de hac fabulosa narrârunt, historiam in dubium incertumq; vocavit.

Galenus lib. 10. de med. simpl. Basiliscum se nunquam vidisse fatetur: & P. Ægineta lib. 5. c. 20. scribit: hanc quæstionem rarò oculis hominum occurrere, & propterea in hujus curatione nihil se expertum. Quid ergo, in rerũ natura Basiliscum esse negabimus? Historia temporum reclamat, oppositaq; Medicorum huic malo remedia contrarium ostendunt. Nicander enim in Theriacis hujus meminit. Erasistratus, ut Dioscor. l. 6. c. 38. notat, signa hujus morsus notat, & auxilia præscribit, ut & Galenus & Aëtius. Solinus c. 40. scribit: Pergamenses magnam pecuniæ summam pro Basilici cadavere numerasse, quod reticulo aureo suspensum in Apollinis æde locarunt, ne vel aranea intexerent, nec alites involarent. Plinius lib. 8. c. 2. in solitudinibus Africæ inhabitare scripsit, in Cyrenaica potissimum provincia. Scaliger exerc. 246. d. 4. scribit:

Leone:

Leone Pontifice maximo ad ædem Luciæ sub fornice stabulatum Basiliscum: c
cujus afflatu magna lue affecta Roma fuerit, eumq; illius precibus extinctum. c
Mercurialis lib. 1, c. 21. de venenis, se apud Imperatorem Maximilianum Ba-
siliſci cadaver vidisse affirmat, quod in thesauris sit servatum. Esse igitur
constat: qui autem esse dixerunt, tanta sunt in varietate & dissensione con-
stituti, ut quò me vertam, nesciam: in hoc tamen summi conveniunt auctó-
res, Quod Basiliscus sit serpens duodecim non amplius digitorum sive trium c
palmarum longitudine, ut Plinio placet: Solino verò penè ad semipedem lon- c
gitudinis est: corpore flavo, è nigredine in cinereum vergente, capite acutissi- c
mo, in quo tres habeat eminentias, maculis subalbidis insignitas, ad diade- c
matis formam: Vel, ut Solinus loquitur, alba quasi mitrula lineatus caput: c
oculos habet rubentes: non ut reliqui serpentes corpus impellit, sed dum pro-
greditur, anteriorem corporis partem in altum tollit & erectus incedit, & in
eundo posteriori tantum parte adjuvatur. Huic error pedes affinxit. Hunc ex cc
antiqui galli ovo invitam venire qui dicunt, licet tota ferè Europa falsa hac
opinione imbuta sit, non solum cum ratione naturali pugnant, verum plus
quàm res & veritas concedat, dicunt: ut Albertus Magnus demonstrabit, &
ob id Nicander quoque nullam hujus generationis mentionem facit. Miror
itaque doctissimum alioquin Lemnium eò dementiæ venisse, ut nugas has ra-
tionibus suffulcire conatus fuerit. Non enim alium quàm reliqui serpentes
ortum habet. Serpentum verò omnium venenatissimus. Solo enim halitu,
urit, corrumpit, & interficit obvia quæq: Ita ut Lucanus lib. 9. scribat, per
telum aut baculum, quo quis hunc serpentem lædat, ad manum usque decur-
rere virus.

Quid prodest miseri Basiliscus cuspide Mauri
Transactus? velox currit per tela venenum,
Invaditque manum.

Addunt alii, si Basiliscus equum tangat, non solum equum sed eum qui c
insidet mori. Nec hominis tantum, vel aliorum animantium exitio datus est: c
sed terræ quoque ipsius quam polluit & exurit: rumpit quoque saxa. Deniq;
extinguit herbas, necat arbores, ipsas etiam corrumpit auras, ut aërem nulla
alitum impunè transvolet infectum spiritu pestilenti. Sibilum ejus serpentes
alia perhorrescunt, & ex eo de præsentia ipsius certiores, etiam pastum, in quo
versantur, fugiunt, eiq; locum relinquunt: ut Lucanus testatur:

Sibilaque offundens cunctas terrentia pestes,
Ante venena nocens, latè sibi submovet omne
Vulgus, & in vacua regnat Basiliscus arena.

Sic in Diana templo Basiliſci corium appenſum fuiſſe ſcribunt, propter quod nulla hirundo introvolare auderet. Quicquid morſu ejus occiditur, non attingit fera, non attrectat ales: ſi quid guſtat, ſtatim moritur: atque ita ne defuncto quidem vis deeſt. Ex dictis peſtem hujus maximam eſſe videmus, minus tamen perniciosam quàm vulgus credit. Licet enim Gal. l. de theriaca ſcribat, Basiliſcum oculorum radio & ſibilo ſimplici, eos, qui audiunt vel vident interficere: non poſſum tamen ut credam adduci. Si enim vel emittendo vel recipiendo veneno ſuo videntes, vel à ſe viſos interficit, à quo potuit id literis mandari? mortui certè non loquuntur. Credibilius ergò, vel è morſu, vel venenato ipſius halitu mortuos.

Signa quæ ejus ictum ſequuntur ſunt: Primum totius corporis inflammatio, idq; ob vehementem calorem, per omnes venas & arterias ſparſum: ita ut caro etiam corrumpatur, putreſcat, & fruſtulatim decidat. Secundò quod Eraſiſtratus notavit, plaga ſubaureo tingitur colore, ob ſanguinem mutatum in flavam bilem tenuiore parte putreſcente.

Tertio Aëtio lib. 3. c. 33. teſte, pilorum defluvium ſequitur. Nam veneni qualitas intra cutem & carnem radices pilorum exedit.

Ad hujus morſum Eraſiſtratus, ut Dioſc. l. 6. c. 40. autor eſt, caſtorii drachmam in vino potam, & papaveris ſuccum exhibuit. Aëtius verò propter veneni vehementiam & repentinam virium ſolutionem, nullum medicinæ locum relinqui affirmat.

Tanto monſtro muſtelarum virus exitio eſt, quod illic homines inferunt cavernis, in quibus delitescunt. Uſus hujus beſtiæ nullus reperitur, niſi quod Plinius lib. 29. c. 24. ſcribit, Magos ſanguinem ejus miris laudibus celebrare. Nam tribuunt ei ſucceſſus petitionum à poteſtatibus & à Diis etiam precum, morborum remedia, veneficiorum amuleta.

Quæ ſit natura & hiſtoria beſtiæ in noſtro numo depictæ, audiviſtis: jam paucis etiam quid inſcriptio, quæ talis eſt: IMPROBITAS SUI IPSIUS POENA: ſibi velit, mecum conſiderate.

Quid vitiis ſeu improbitate in hominum ſocietate perniciosius? nam licet in terra bonorum conſortio deſerta habitet: (nam vitia nullo virtutum

conſinio

confinio aut commercio mixta) tamen tanquam serpens è latibulis emergit, caputq; attollit, cuncta percursat, ut quàm longè datur virus suum ejaculari possit. Per oculos & aures venenosam suam qualitatem immittit, imò per extremos corporis artus ad cor vitæ fontem repit, illudq; ad omne bonum inutile reddit. Nam ut ignis aridam materiam totam absumit, præsertim si ventus accedat, qui flammam excitet & deducat: ita vitium si hominem invaserit, omnia pervadit viscera, spiritibus malignis ipsum accendentibus. Qui omnes conatus bonos infringunt, virtutes fugant, hominemq; ita infatuant, ut divino destitutus auxilio æternæ mortis sævitiam effugere non possit. Flexibiles enim homines quamcunque in partem ducuntur ab improbitate: eoq; obsequii continuatione perveniunt, donec illius moribus vivant. Adeo vitium & igne est, & ferro violentius.

Signa tanti mali sunt pietatis fuga, mendaciorum & falsorum dogmatum cupiditas: bonorum odium, conjuratio malorum: virtutum eversio, voluptatum studia: lucis & veritatis expulsio, tenebrarum amor.

Et nisi quis initio statim occurrat, de hominis salute actum est. Nam quod meritò suspicere homo debebat, id tanti mali perversio attendere non patitur. Sed ut acerbitas dentibus stuporem infert, & fumus oculorum visum hebetat: ita improbitas & malitia maximum sibi ipsi infert damnum. Rectè igitur Epictetus monet: κόλαζε τὸ πάθος, ἵνα μὴ σὺ τοῦτο ἄλλους κολάσῃς. Coërce affectus, ne ipsis des pœnas.

Invisa autem nobis fiunt vitia, cum ratione perspicimus, quæ damna ea dent, quam adferant turpitudinem. Deinde rationes sunt subducendæ eorum, quæ à contraria virtute eveniunt, bonorum.

Usus hujus mali nullus est nisi ad maleficia & voluptates. Quæ melius est tacere, quàm vel leviter attingere. Nihil enim pulchri à turpitudine expectandum.

Hunc igitur Basiliscum commilitones optimi fugite, & quicunque virtutem bonorum patriam intuemini: terram vitijs squalidam prætervehite: auresq; vestras ad hujus serpentis sibilum firmiore quàm Ulysses spissamento claudite: Quia non ex uno scopulo, sed ex omni terrarum parte circumsonat: Suo tamen malo ut Basiliscus tandem perit, seq; ipsum conficit. Nam ut vetustas effictas species & expressas imagines conficit & consumit: ita nihil ex improbitate ad posteros, nisi infamia, nominisq; ruina redit. DIXI.

ORATIO SECUNDÆ CLASSIS, RECITATA AB ANTONIO à SIGERSHOFEN.



PRudenter certè virtus vitio opponitur. Nam contraria contrariis optimè illustrantur. Optandum ergò, ut me aliquis doctior, virtutis studium suis propriis coloribus adumbrare jussus esset. Agnosco enim quantum ad hoc præstandum mihi desit. Attamen onus hoc laboris & officii, à M.T. mihi impositum, feram ut potero, parendum namque legibus: Spero Auditores consideraturos, non tam quid aures ipsorum expectent, quàm quid viribus meis conveniat. Virtus post funera vivit.

Emblema nostrum: VIRTUS POST FATA SUPERSTES: quod quid cum Rosa commune habeat, attendite. Rosa per se mollis, odore & colore suavis, & hinc Plutarcho l. 3. Sympos. q. 1. ὀδμῆς ἀφίησι, quòd largum odoris effluvium emittat, dicta: è spinosa tamen nascitur stirpe, & mordacibus aculeis horrenti. Ita etiam virtus, qua nihil elegantius, nihil suavius, nihil præstantius, nascitur quidem in corrupto & vitioso hominis corde: sed tamen ipsa per se nec lædit, nec vulnerat conscientiam, sed multò magis hominem eximiè ornat, & omnibus jucundum reddit. Aspera quidem est, & acclivis ad eam via, ut nemo eam absq; multo sudore & labore sibi comparare possit. Quis enim unquam dormiens tropheum statuit? quis indulgens deliciis & tibiarum concentui, continentiæ coronis redimitus est? nullus sine cursu meruit brabejum. Labores gignunt gloriam, & certamina coronas acquirunt. Ut

runt. Ut tamen omnia alia, quæ pulcherrima sunt, maximeq; necessaria, pernicioſiſſima evadunt, niſi quis rectè utatur: Ita cautè virtutis ratio ingredienda nihilq; temerè ſuſcipiendum: ne idem nobis quod Satyro dicatur, qui cum ignem è cœlis in terram deportatum primùm vidiſſet, complecti eum voluit & exoſculari: heus, inquit Prometheus, ni caves hirce, profectò dolebit tibi mentum.

Roſa deinde inter omnes flores, ut facilè principem obtinet locum, omnibus ætatibus gratiſſima eſt, juxta illud Anacreontis:

ῥόδον ὦ Φέρεσθον ἄνθος,
ῥόδον ἁβρὸν μέλημα.
ῥόδα καὶ θεοῖσι πρέπει.

Hoc eſt, interprete Henrico Stephano:

„ Roſa honor decusque florum,
„ Roſa cura amorque veris,
„ Roſa cœlitum voluptas.

Ita etiam virtus corporis & fortunæ bonis longè præferenda. Nam omnibus ætatibus, ſenibus & juvenibus, viris & mulieribus, omni loco & tempore convenientiſſima. Et quicquid ſupra & infra terram eſt auri, ſi Platoni credimus, cum hac cõparari non meretur. Nam, ut Chryſippus ſcripſit, ſecundùm ſolam virtutem licet feliciter vivere, reliquis nihil ad nos pertinentibus.

Tum, ut roſarum aqua cutis delet maculas, illamq; ab omni turpitudinis notâ liberat, oculorum fluxiones ſedat: ſolia autem contuſa libidini & inflammationibus reſiſtunt: Ita virtus contra vitiorum impetus arx eſt munitiſſima: omnes animi nævos tollit, libidinis flammas extinguit, impudicos oculos dejicit, impuros ſermones reprimit, omniq; aditu vitia cuncta intercludit. Ut enim improbitas ſtudia honeſtatis excitata dejicit, dejecta exanimat, exanimata funditus extirpat: ita virtus ejusdem ſtudia erigit, exanimata recreat, dilapſa colligit.

Præterea ut roſa, quod Plinius notavit, ſiccis locis quàm humidis odoratior eſt: ita etiam virtus in temperatis & ſobrijs, non in temulentis, & perpetuò madidis cordibus odorem ſuum fundit.

Roſa reciſione & uſtione proficit floremq; melius profert: relicta verò excreſcit & ſilveſcit. Sæpius ergò transferenda: ſic enim pulchriorem effundi affirmant Theophraſtus & Plinius. Ita etiam virtus afflictione & cruce, inedia &

edia & siti incrementum sumit, veroq; nitet colore. Nam secunda felicem, adversa verò magnam probant virtutem. Eiq; nil tàm utile est, quàm ad usum secundorum per adversa venisse.

Rosarum aliæ citius, aliæ seriùs florent: & si autumnus prolixior, denuo rosas erumpere, experientia testatur. Ita & virtus in prima, media & senili floret ætate. Nam quemadmodum Ægyptus alendis augendisq; seminibus gloriata est, ut nihil imbribus cæloq; debere videatur: ita virtus propriâ semper felicitate perfusa, nullo alio externorum bonorum egens omnem ætatis sterilitatem arcet.

Tandem rosa non solum viridis, sed arida & mortua quasi summè utiles, variosq; de se producit effectus. Nam aqua stillaticia cor roborat, spiritus reparat, calida clementer refrigerat. Succus alvum lenit & subducit. Desiccatæ verò rosæ, cor, hepar, ventriculum, renes, & alia viscera debilia, confirmant: dolores mitigant: fluxiones & sanguinem sistunt: sudores reprimunt. Rhodomeli vulneribus, ulceribus, eruptionibus, (adstringit enim & siccat) utilissimum. Oleum calores omnes sedat, inflammationes prohibet. Ut autem rosa nihil fugacius, & tamen marcida & demortua maximos de se fundit fructus: ita hominis vita caduca quidem & momentanea, virtus tamen nunquam morti succumbit, sed perpetuò virescit. Ut Euripides canit: ἃ δ' ἀρετὴ ἢ κἂν θάνῃ τις, οὐκ ἀπόλυται, Ζῇ δ' οὐκέτ' ὄντος σώματος.

Virtus autem etsi moriatur quis, non interit: sed vivit corpore non amplius existente. Hæc summis æquat infimos: suosq; cultores cælo dicat. Nam vita defunctis æternam apud posteros conciliat gloriam. Dum facta laude digna in hominum conspectum lucemq; profert: exempla plurima imitanda relinquit: posterisq; honestatis lucem accendit.

Theophrastus ἑκατοντάφυλλον sive centifoliam rosam, circa Philippos exire refert. At virtus infinitas de se parit utilitates. Cultores enim majores, & clariores, quibus contingit, efficit: & reliqua cuncta bona huic cedunt. Utq; parva & exilia sydera validiorum exortus obscurat: sic virtutis adventu, omnium fortuna & corporis bonorum dignitas inumbratur. Ergo

„ petite hinc juvenesque senesque
„ Finem animo certum, miserisque viatica canis,

& ere-

& erectis cum Antisthene statuis & trophæis: unicam immortalitatis censuram, virtutem statuite. Virtutis namq; laurea nullo temporis intervallo amittit viriditatem, sed dignæ gloriæ perpetuaq; laude floreſcit quotidie magis. Huic nulla flamma, nulla aquarum inundatio, nulla senectus, nihil invidi nocere possunt. Primum ergo, nomen, ut Plato sapienter monuit, parate, tum perennitatis vobis non deerunt monimenta. DIXI.

ORATIO TERTIÆ CLASSIS, RECITATA à LAZARO HALLER, Patric. Noriberg.



IN congiario noſtro Auditores ornatiſſimi, ardeam cum falcone expreſſam videmus, infeſtis unguibus & roſtris acerrimè inter ſe depugnantes, & ex immani ſuo furore hoſtiq; proſternendi atque interimendi cupiditate, hoc lucri reportantes, quòd mutuis tandem ictibus atque vulneribus confecti, ambo exanimes concidunt, & communi exitio acerbitatis atque immanitatis ſuæ pœnas luunt: pariterq; necant, pariterq; necantur, ut ait bonus in primis poëta Guntherus: vel ut de piſcibus ſuis Oppianus: ἀλλήλους ὀλέκουσιν ἀμειλίκτοισι φόνοισι. Additur his inſcriptio iſta: NULLA SALUS BELLO. Quo quidem Emblemate omnibus perſpicuum eſt, bellorum nobis tum fœditatem & turpitudinem, tum etiam, qui perpetuò ex illis enaſci conſueverunt, fructus, ob oculos poni: & ab eorum ſtudio, ceu rei non minus peſtiferæ & noxiæ quàm ſceleratæ & impiæ, omnes

omnes sanæ mentis homines revocari. De quorum utroque, de bellorum, inquam, turpitudine & indignitate, tum de tristissimis illis, quibus ea miseros mortales afficere solent malis & calamitatibus, uti mihi paullò quidem explicatius, quàm fieri tamen poterit brevissimè disserenti, aures benevolas præbeatis, reverenter & majorem in modum vos rogo.

Primum ergò, si unamquamq; rem, tantò plus in se continere sceleris atq; turpitudinis, tantoq; hominis præstantia indigniorem esse arbitramur, quantò longius à natura illius ijsq;, quas à Deo opt. max. accepit, vivendi legibus, abhorret: bellum profectò, in rerum omni ratione & modo exsecrandarum, summoq; ob id studio & contentione fugiendarum numero veluti principatum quendam intelligemus obtinere. Si enim corporis humani, omniumq; adeò partium illius rationem, formam atque fabricam oculis animoq; perlustrare voluerimus, protinus intelligemus ipsam naturam omnium parentem, homini ad pugnandi quidem, & immanium belluarum in morem decertandi usum nihil; ad pacem verò, amicitiamq; cum alijs colendam, omne organorum & adjumentorum genus abundè suppeditasse: atque ita ipsa corporum nostrorum figura, quasi sonora voce testari voluisse videtur, hominem à belligerandi quidem vesania quàm longissimè remotum: amicitiæ verò colendæ, salutisq;, tum suæ, tum aliorum quoque procurandæ studio totum dicatum, consecratumq; voluisse: adeo ut, quo majore quisque belligerandi teneatur studio, eò magis à naturæ suæ conditionibus recessisse, magisq; ad ferarum bestiarum diritatem & truculentiam degenerasse videatur.

Ubi verò jam ad egregios scilicet fructus illos, quos detestabilis illa bellorum rabies proferre solet, oculos convertimus, nihil verius in illam quadrare deprehendemus, quàm quod de commentitio illo monstro suo poëta extulit:

Tristius haud illis monstrum nec sævior ulla
Pestis, & ira Deûm stygiis sese extulit undis.

Ita enim profectò res habet ut dico. Quantum pax omnibus, quas homini novisse datum est, felicitatibus, omnibusq; victorijs & triumphis antecellit: tantùm etiam omnes omnium generum, tàm publicas quàm privatas calamitates una belli miseria superat: ut nulla earum sit, quin felicitatis cujusdam instar obtinere videatur, si cum hac malorum & miseriarum quasi lerna comparetur. Pestis enim contagium (ut in uno saltem exemplorum spectemus) quamvis ipsum quoque luctu omnia complere, domos, urbes, integras

Pestis.

regiones

regiones funestas desolatasq; reddere negari non possit: illius tamen, vel in loca mali illius expertia aliquantulum secedendo, vel etiam medicorum, remediorumq; salutarium opem utendo, devitandæ facultas aliqua conceditur: aut, si maximè in præsidiis istis nihil auxilij contra malum illud nobis relictum esset, corporibus certè nostris solis illud minatur, animis verò, perindè ut & bonis atque facultatibus nostris nihil ab illo periculi est; in leges quoque inq; disciplinam publicam nihil ipsi juris conceditur; Religio denique, juventutis mores & institutio, virginum atque matronarum decus & pudicitia, extra omnem periculi illius aleam sunt: Bellorum verò ubi primum ingruit tempestas, quicquid pestilentiæ calamitas reliquum fecit, uno quasi ictu, sævissimi fulminis in modum prosternit: moribus non minorem, atque utinam non multo majorem, quàm corporibus perniciem affert: omnes leges, omnia jura, omnem vitæ honestatem conculcat: divina humanaq; nullo discrimine habet: sacra prophanaq; omnia miscet: & (quod omnem mali sensum exsuperat) parentes pios sexumq; imbecilliorem ea sufferre cogit, quorum vel à commemoratione sola piorum hominum refugit animus. Ut ne addam ad hæc agrorum depopulationes, villarum conflagrationes, agriculturæ neglectionem, minimè fallacia futuræ famis προγνωστικὰ, quæ, ut certissimi bellorum comites sunt, ita multo etiam tristiorem & miserabiliorem superstitum quàm Martis impetu peremptorum conditionem faciunt. Ad extremum verò, interfectorum cadaveribus repletæ viæ, undantes cruore campi, tincta sanguine humano flumina, quis tam ferreus est, cui dirâ ac funestâ sui recordatione pectus non effodiant? Atque utinam saltem hujus solummodo vitæ spaciis, tàm tetra hæc circumscripta forent mala, nec post infelicem illam, in medio alios contrucidandi, aliaq; innumera per summum scelus patrandi ardore vitæ profusionem, miserrimas animas infandis, nulloq; fine terminandis cruciatibus & supplicijs objicerent: Cujus tamen rei, heu nimia in militari hominum genere oblivio est: ut mirum sit, quantum vulgo risum hominis illius moveat simplicitas, qui, ut aliquam ejus rei rationem habeant, suadere illis conetur. Dicat verò hic aliquis, victis tantummodò hæc tam atrocia, victoribus verò omnia evenire æquiora & lætiora. Nequiora, opinor, dicere te putasti & improbiora: ea enim ferè illi hominum generi lætitiam pariunt, quam equidem plarumq; semper contingere victoribus fatendum sanè est: ut videlicet, quantò quis ex acie felicior, tantò etiam discedat nequior & improbior,

Bellum.

ac ad omne immanitatis, libidinis similiumq; flagitiorum perpetrandum genus audacior atque efferatior. Ut maximè autem careant victoriæ multæ vitijs istis: Quanam verò sponsione tibi illam certò promissam esse dices? quasi verò omnis belli Mars communis non sit, aut unquã minus quàm in bellis fortuna respondeat, ac non sæpenumero salubriter destinata ratione omni potentior fortuna discutere soleat. Quid quod illorum quoque malorum, quibus sibi affeciſſe hostes suos videntur, minimè expertes esse victores ipsi consueverunt? numquid enim non vetustas modo, sed nostra etiam parentumq; nostrorum memoria exemplorum plena non est, quæ sibyllinum illud comprobent oraculum:

Κλαύσει ὁ νικηθείς, ὁ δ' ἦ νικήσας ὀπόλωλε. hoc est:

Flet victus; sed victorem mors atra peremit.

quæ adducere nisi instituta id prohiberet brevitas, non magni fortè laboris foret. Quamvis verò non omne bellorum genus promiscuè damnatum velim: tamen unam divinæ gloriæ, & Ecclesiæ tranquillitatis propugnationem sufficientem & idoneam illorum non tàm inferendorum, quàm propulsandorum causſam esse debere statuo. Temerè enim, & præter eas, quas modo dixi, causſas, sub jurium nescio quorum prætextu cuiquam homini nato bellum inferre, tantum abest, ut pium & Christianissimi legibus conveniens esse putem, ut ne quidem simili armorum tumultu atque apparatu propulsare & vindicare illud fas esse ducam, ubi declinandi illius, vel de jure nostro aliquatenus cedendo, vel bolum aliquem hosti objiciendo facultas aliqua conceditur. Quomodo à laudatissimis quibusdam Rebuspub. vel iniquam pacem justissimo bello præferentibus, non minore sua cum laude, quàm subditorum salute & prosperitate factum esse accepimus.

Quare si tributam nobis ab ipsa rerum natura dignitatem & decus tueri, si contrà summum dedecus & infamiam, ob turpissimam à creationis nostræ lege degenerationem, effugere, si item morum perniciem, facultatum pestem si denique corporum atque animorum præsentissimum exitium à nostris nostrorumq; capitibus depellere cupimus: age non modo omnes conatus, consiliaq; nostra togæ & pacis, non verò belli & armorum socia esse velimus: sed etiam celebrandum Deum pacis & tranquillitatis omnis, omnisq; inde efflorescentis prosperitatis benignissimum datorem ex intimo cordis affectu veneremur, ut concessam adhuc dulcissimæ patriæ nostræ pacis felicitatem in perpetuum

petuum ſtabilire ac tueri, & verò turbatores illius omnes propter ſanctiſſimi c
nominis ſui gloriam potenter refrænare & compeſcere: & denique c

Noſtrorum oblitus ſcelerum, meritiſque furoris
in vicinorum quoque regnorum, ſub hujuſmodi miſeriarum mole graviſſimè c
preſſorum finibus,

Aurea ſublato pacis dare ſecula bello,
clementiſſimè dignetur. DIXI.

ORATIO QUARTÆ CLASSIS, RECITATA à PAULO ERNESTO, Noriberg.



BRabeum noſtrum, Humaniſſ. Auditores, ab una quidem anterioris faciei parte lucernam accenſam, & candelabro impoſitam, lumenq; ſuum pro quantitatis ſuæ modo circumquaque ſpargentem præfert: ad latus verò illius, Solis, lætiſſimo aſpectu jubar ſuum explicantis, luminisq; ſui radios in omnes partes longè lateq; diffundentis, ijsq; ſparſum à lucerna lumen veluti offuſcantis effigiem repræſentat: hoc addito Elogio: COELESTI LUMINE VINCOR. Candelæ ſive lucernæ hujus lumen, duarum rerũ ſignificationem includit, quarũ una, rationis ſive mentis humanæ lumen eſt. Altera verò luminis hujus perfectio, Philoſophia omniaq; humanitatis & mundanæ ſapientiæ ſtudia: quibus duobus (ſi unum illud de quo brevi poſt ſequetur, excipias) ſub univerſo cæli

complexu nihil datum est homini præstantius aut divinius. Etenim quidnam aliud perhiberi possit ratio (ut de priore prius agamus) quàm ipsius divinæ sapientiæ in nos transfusus radius atque igniculus quidam? quàm ipsamet illa celebrandi Dei in prima nostri creatione nobis impressa effigies atque imago? in qua, ut omnis naturæ nostræ supra cæteras animatas præstantia atque eminentia fundata est, ita etiam per unam illam ad Dei summi opificis similitudinem, ceu verissima & germana illius soboles: quàm quidem in exilio hoc nostro fieri potest, proximè accedimus: quæq; adeo ex homine quasi Deum quendam terrenum efficit, qui, quale Deus ipse in tota rerum universitate, tale ipse quoque hic in terris, creatarumq; rerum ordine quasi regnum obtineat. Philosophiam verò & artium honestissimarum studia, quis nescit, homines eos, qui earum sibi comparârunt notitiam, tantum quidem supra cæterorum mortalium dignitatem evehere, quantum illi antea mentis & rationis beneficio omne animantium genus excellebant? Quantò enim ager aliquis diligenti agricolarum subactus atque excultus cura, lætissimaq; optimarum frugum copia cultorem subinde suum ditans atque exhilarans, altero aliquo, frugibus horrea non usque adeo distendente potior est: quantò lux tenebris venerabilior: quantò item cicuratus aliquis & ad officia obsequiaq; omnis generis insessori præstanda condocefactus equus, indomito atque inerti aliquo cespitatore generosior & melior habetur: quantò denique cujuslibet rei perfectio, illâ quæ longiusculo etiam ab eò intervallo abest, altiorem, dignitatis gradum, meritissimo jure obtinere censetur: tantò profectò Philosophiæ artiumq; laudandarum studiis exculta ratio communem cæterorum hominum rationem, hujus veluti pretiosissimæ purpuræ tinctura non imbutam dignitate præstantiaq; superabit. Philosophiam enim illam animi culturam, vitæ lucem, ingenij domituram, ferociæ, ut & cæterorum animi morborum expultricem, summam denique hominis (quæ quidem in hac vita contingere ipsi potest) perfectionem esse, nemo qui non planè hospes in ea fuerit, negârit. Hoc verò, tàm illustre atque amabile licet, candelæ hujus lumen, solis ex adversâ parte è thalamo suo (ut Prophetæ vocabulo utar) procedentis fulgor mirum in modum diluit atque dissipat: adeo, ut lucidissimarum stellarum, ante naturalis hujusce exortum solis, amabili specie passim in cœli fornice scintillantium, exorto verò eo, paulatim ex oculis sese subducentium more, nullum penè indicium relinquat sui. Qui quidem sol aliud nihil quàm ipsam æterni Dei

sapientiam

ſapientiam, in ſacrarum literarum tabulis (quantum quidem noſtra intererat) expreſſam atque revelatam nobis ſignificat: in cujus ſenſibus intelligentiaq; vera inveſtiganda, ſanæ ac piè eruditæ Theologiæ occupatus eſt labor. Theologiæ inquam, ſi ſplendorem externum honorum ac præmiorum mundanorum amplitudinem excipias, omnium haud dubiè facultatum & ſcientiarum (pace illarum dixerim) reginæ ac dominæ. Neque enim quisquam ſcientiam eam hoc à me nomine appellari indignabitur, quæ Dei nobis cognitionem tradit, hoc eſt, omnes omnis ſcientiæ & ſapientiæ fontes atque theſauros aperit: quæ ad veram & ſynceram, nullaq; ægritudinis aut moleſtiæ permiſtione contaminatam, nullis item exigui anguſtiq; temporis limitibus circumſcriptam, ſed cæleſtem ac ſempiternam beatitudinem, nobis lucem præfert. Cæteræ quidem ingenij humani ſagacitate ac ſolertia inventæ ſcientiæ, ut de naturæ fortè rerum, ortus, interitusq; earum cauſſis, de mirandis corporum cæleſtium motibus, de regnorum publicarumq; rerum conſtitutionibus, earumq; gubernandi ratione multa præclarè ac divinè nos doceant: de Deo tamen, paternaq; illius erga humanum genus affectione, aut omninò ſilent, aut certè obſcuram quandam duntaxat illius umbram, horrore magis & formidine mortalium animos concutientem, quàm amore Dei, ſalutariq; erga illum fiducia eos perfundentem, tradunt. In felicitatis verò humanæ deſcriptione, ultra hanc vitam non aſcendunt, id eſt, ejusmodi quandam felicitatem nobis vel tradunt, vel promittunt, quæ ſi cum cæleſti illa in comparationem veniat, cujusvis rei potius, quàm felicitatis vocabulum mereri videatur. Multa me omittere brevitas cogit, quæ, ſi me perſequi res pateretur, aptiſſimè demonſtratura eſſent, in ſacris ſcripturis, Theologiæ ſacræ ad interpretandum propoſitis, rerum omnium cognitione dignarum florem, in cæteris verò humanitus inventis artibus & ſcientiis, meras earundem faces & σκύβαλα, ſecundùm Apoſtolum, contineri.

Neque illorum vel errori vel ignaviæ feneſtram hæc aperire debet oratio, qui ita demum pulchrè ſibi inſtituere rationes videntur, ſi omni philoſophiæ & rationis ſanæ, itemq; liberalium doctrinarum luce ſpreta contemtaq;, ceu equi & muli, contra expreſſum divinarum literarum interdictum, ac manibus ſimul & pedibus (quod ajunt) illotis, in ſacratiſſima Theologiæ myſteria tractanda irruunt: qui ſanè perinde faciunt, ac ſi lanam fortè, nullis antea vel lotionibus idoneis mundatam, vel cæteris illis ex artis ſulloniæ præſcripto

infectionibus subactam præparatamq́, pretiosissimo statim purpuræ colore, irrito atque inani labore, tingere conentur. Sicuti enim solis splendor, hominis ex opaco & profundo aliquo specu in locum aliquem solaribus radijs illustratum prodeuntis oculos, tantùm abest, ut quicquam juvet, ut potius occæcet magis, visumq́, eorum obtundat: quippe qui crassæ tantummodo assueti caligini, nec modico prius diei lumine perfusi erant: ita profectò cœlestis hujus ignis, à vero Prometheo, Christo Domino, *in terras allati majestas, hominem nulla prius humaniorum disciplinarum imbutum luce, crassis tamen atque impolitis eam sensibus suis comprehendere conantem obruet citius, quàm quicquam veræ ac solidæ sui intelligentiæ ipsi communicabit. Neque enim si beatis Apostolis, earum, de quibus agimus, disciplinarum ferè expertibus, certa quasi extra ordinem, sacrorum mysteriorum concessa fuit scientia, idcirco nostro quoque ævo, cessante atque sublato jam post illustratam satis Evangelicæ doctrinæ veritatem, miraculorum usu, nobis quoque idem privilegium debemus polliceri. Hoc enim qui ausit, non modo stolidam κακοζηλίαν suam prodat (non minus, quàm si vel mortuos in vitam revocare, vel morbos humana ope incurabiles, verbo solo curare instituat) sed etiam plerorumq́, sanctissimorum Ecclesiæ patrum exemplo atque auctoritati adversetur, qui multo inimiciorem Deo & veritati superbam ignorantiam, quàm piam & modestam artium laudandarum scientiam judicarunt. Quorum vestigijs nos quoque, si sapimus, insistentes, ad eruendos divinorum oraculorum sensus, artium disciplinarumq́, liberalium subsidia, veluti corticem quendam, ad tranandum divinæ sapientiæ abyssum nobis comparemus: donec confecto tandem veluti natationis hujus nostræ labore, in optatissimum cœlestis beatitudinis portum delati, ipsum justitiæ solem* Christum Dominum *avidissimis animorum nostrorum ulnis amplexi, sacratissimaq́, sapientiæ & divinitatis ipsius luce perfusi, æternorum præmiorum gaudijs per omnes seculorum æternitates perfruamur.*

DIXI.

IX. PANEGYRIS, Anni 1585.

SUB RECTORATU D. M. JOHANNIS PRÆTORII, MATHEMATICI.

ORATIO PRIMÆ CLASSIS, RECITATA à JOHANNE KAUFMANNO, Noriberg.



QUam turpis atque exitiosa sit effrenatæ libidinis intemperantia, docet imago affabrè in nostris congiarijs expressa: in qua duæ viperæ venereo complexu implicatæ: & verò fœmella maris caput morsu præcidens, conspicitur: cum hoc Emblemate: MENTIS VENUS IMPROBA CLADES. De viperis Plinius lib. 10. cap. 62. Viperæ (inquit) mas caput inserit in os, quod illa abrodit voluptatis dulcedine. Sed hac de re nunc quidem dicendi locus non est. Emblema potiùs nostrum aspiciamus & attendamus: quo edocemur, nihil flagitiosius, nilq; nocentius esse, quàm impuras fœdasq; corporum libidines: easq; idcirco non aliter ac pestiferum ve-

rum venenum cavendas ac fugiendas. Quemadmodum enim vipera maris caput ore complexa, morsu truncat: sic venerea libido corpus labefactat, omneq; animi robur & lumen extinguit. Nam & omnes nervos, omnia membra, omnesq; sensus, & imprimis cerebrum debilitat: facitq; „ut subtilissimi spiritus, quibus vitalis vis maximè inest, exhalent ac dissipentur: & verò „ingenium, atque in primis memoriam eruditionis thesaurum graviter ladit & imminuit: ut non solum Physicorum consensus, sed ipsa quoque experientia testatur. Verùm non solum sanitatem affligit, & corporis atque animi vires solvit atque disperdit: sed etiam fortunas & facultates exhaurit & pessundat: & persæpe homines libidinosos in extrema pericula, summasq; miserias & calamitates præcipitat. Quot passim adolescentes fœdissimis morbis, qui honestè ne nominari quidem possunt, miserè conficiuntur; fœdeq; intereunt? Quàm multi in ganeis & lustris in extrema vitæ pericula incidunt? & ferro sæpenumerò subito è medio tolluntur? Quot amatores à lupa deglubuntur? Quot philtris in rabiem & exitium aguntur? ut interim taceam de re familiari, cujus naufragium multi non minus turpi amore, quàm luxu & alea faciunt. Ad hæc libidinis turpitudo etiam famæ & existimationi nocet, eiq; sempiternas maculas inurit. Quæ enim infamia possit esse major, quod dedecus gravius, quàm non tantum honestis laudatisq; viris, sed etiam ipsi Deo castissimo & sanctissimo numini invisum & odiosum esse? Tantum enim abest, ut Deus approbet libidines, ut gravissimis etiam pœnis eas persequatur atque coërceat. Apertissima enim illa sacrarum literarum vox est: Scortatores & adulteros Deus judicabit. Et certè, quæ libidinum sint præmia, omnium ætatum historiæ satis superq; testantur. Quam aliam ob causam mundus aquarum inundatione deletus: itemq; Sodoma & vicinæ urbes, sulphureo imbre cœlitus immisso, exustæ fuerunt, quàm ob vagas tetrasq; libidines? Nonne duodecim principes (ut Numerorum 25. cap. legitur) ob incæstas libidines suspensi, & circiter 24000. hominum cæsa & trucidata sunt? An non tota fere Benjaminea tribus (ut ex Judicum historia constat) ob nefaria stupra extirpata atq; deleta est? Quis vel mediocriter rerum humanarum peritus ignoret, sceleratas libidines mutationi Imperiorum, eversioni populorum, vastationi agrorum, conflagrationi civitatum, & infinitis privatorum cædibus occasionem præbuisse? Quid regnum Trojanum olim florentissimum evertit? libido. Quid Thebis exitio fuit? Oedipi libido. Quid Rempub. Romanam

aliasq;

aliasq; complures & nationes & civitates turbavit, labefactavit, dissipavit? libido. Quænam etiam nunc plerorumq; malorum & calamitatum origo existit? Nefaria libido. Hæ nimirum turpissimarum libidinum pœnæ sunt: hic incontinentiæ finis: hæc ultionis exempla: quæ certè tanta sunt, ut nos ab impuris atque obscœnis cupiditatibus ad castitatis & pudicitiæ studium meritò excitare atque inflammare debeant. Verùm fallaces, insidiosas, oculisq; jucundas turpium voluptatum tendiculas haud difficulter animadvertet & evitabit, quicunque ab ineunte ætate verecundiæ operam navârit, seq; totum puris honestisq; cogitationibus & sermonibus & actionibus dediderit. Nam, ut Cicero ait: verecundia virtutum omnium custos est, dedecus fugiens laudemq; maximè consequens.

Quæ cum ita sint, Auditores optimi, constetq; inter omnes, nihil nec tetrius, nec fœdius, nec nocentius, nec Deo laudatissimisq; viris odiosius esse libidinis intemperantia: contraq; nil præclarius, nil pulchrius, nil melius, nil Deo bonisq; viris acceptius esse castitate & pudicitia, pro viribus sanè eniti ac elaborare debemus, ut illam tanquam capitalem pestem, omniumq; flagitiorum lernam detestemur ac fugiamus: hanc autem veluti salutare remedium, omniumq; virtutum limpidissimum fontem expetamus & sequamur: admoniti Emblemate nostro: Mentis Venus improba clades. *DIXI.*



P ORA-

ORATIO SECUNDÆ CLASSIS, RECITATA à GEORGIO LINDNER, Noriberg.

IN numiſmate noſtro, Auditores Nobiliſſimi & Præſtantiſſimi, Narciſſi in lymphâ ſe contemplantis imago cernitur, cum adjuncto hoc Emblemate: STULTUS AMOR NOSTRI. Narciſſum autem amnis Cephiſi & Nymphæ Liriopes filium fuiſſe ex Ovidio liquet, qui lib. 3. Metamorphoſeon ad hunc modum canit:

„ Prima fide vocisque ratæ tentamina ſumpſit
„ Cærula Liriope: quam quondam flumine curvo
„ Implicuit, clauſæque ſuis Cephiſus in undis
„ Vim tulit, enixa eſt utero pulcherrima pleno
„ Infantem Nymphe, jam tum qui poſſet amari:
„ Narciſſumque vocat, de quo conſultus, an eſſet
„ Tempora maturæ viſurus longa ſenectæ,
„ Fatidicus vates, *ſi ſe non noverit*, inquit.

Fabulantur enim Poëtæ, Narciſſum ad fontem puriſſimum labore venationis fatigatum veniſſe, ſuamq; imaginem in fonte inſpexiſſe. Amore autem ſui ipſius captum, cum nullam potiundæ talis formæ ſibi ſpem reliquam intelligeret, ſui ipſius deſiderio contabuiſſe, ac deorum miſericordiâ in florem ſui nominis converſum fuiſſe. Qua fabulâ quid aliud veteres ſapientes monere voluerunt, quàm ne nimis maturè, & ante tempus ſapere incipiamus, neve

nos aut

nos aut nostra animis amemus atque admiremur? Quod quidem vitium Graeci Φιλαυτίαν nominant, qui morbus, ut pernicioſiſſimus eſt, ita in omni ætate odioſus, tum verò in adoleſcentia prorſus intolerabilis. Hinc enim fit, ut, quorum animos hæc peſtis occuparit, ut ut alioquin ingenia ſint, in medio tamen ſtudiorum curſu corrumpantur, ac velut in herba enecentur, dum ſibi jam animis placentes tantâ ambitione turgent, ut nulli amplius præceptores, nulli propemodum libri, aut ſcriptores præ faſtidio & contemtu tàm emunctæ naris judicio ſatisfaciant. Quod quidem malum, quanta damna Eccleſiis & Reipubl. afferat, experientia teſtatur: in primis ſi autoritate publica ſupercilium illud arrogans munitum fuerit & ſtabilitum. Refert Ælianus tigridem uſque adeo Φιλόπαιδον animal eſſe, ut ad naves uſque proſequatur venatores, eosq; cogat catulos interceptos abjicere. At longè atrocius & infeſtius noſtri illi naſuti, pro ſuis erroribus depugnant, quos in prima ætate ſpretis & abjectis fidelium præceptorum placitis imbiberunt: Hinc digladiationes illæ omnibus temporibus in omni artium & facultatum genere tantas diſſenſiones pepererunt, ut quod de Cyclopibus olim dicebatur, ὐδεὶς οὐδὲν ὐδένα ἀχεῖ. Galeni certe teſtimonio peſtis hæc nuſquam immedicabilior eſt, quàm in dogmatibus, quorum perſuaſione ſemel ſumus imbuti. Sic enim graviſſimus ille ſcriptor: ὅτως ἄρα, inquit, συσπαστικόν τι κακὸν ἔστιν αἱ περὶ τὰς αἱρέσεις φιλονεικία, καὶ δυσκινητότερον ἐν τοῖς μάλιστα, καὶ ψυχῆς ἀπάσης δυσιατώτερον. Hoc eſt: Adeo de ſectis contentio malum eſt, ut ægrè excutiatur, & cum primis ineluibile, denique quavis ſcabie ſit inſanabilius. Quæ quidem diſſidia vel maximè alit ſcribendi illud cacoëthes, quod paſſim hodiè ſcripturiente hoc ſeculo laboratur, adeò, ut quicquid inter pocula, in itineribus, pene in ſomnis fortè in mentem venit, continuò exeat, neceſſe ſit, propterea quod ſingula noſtra cogitata atque opinata pro ſingulis haberi velimus oraculis. Longè alia ratio veterum fuit, qui non niſi ſobriè cogitata, & craſtini diei judicio limata, nonumq; in annum preſſa, in publicum emiſêre. Sic Iſocrates Panegyricum ſuum integrum decennium componendo conſumpſit. Sic Plato dialogos ſuos ad octuageſimum uſque ætatis annum recognovit & refinxit. Sic denique Demoſthenes ſculpta ſe dicturum potius, ſi poſſet, quàm ſcripta profeſſus eſt. Quid quod infelices illi ſcioli plerumq; in congreſſibus & colloquiis doctorum virorum arrogantiam ſuam indoctiſſimè ſimul & ſtolidiſſimè produnt? Id quod Chriſtophoro Cardinali Eboracenſi, ut indoctiſſimo, ita ambitioſiſſimo

accidisse legimus. Is enim, cum Reginaldo Polo Cardinale & Thoma Moro præsentibus aliquando versum Homericum adducere laboraret, quem memoriâ sibi excidisse diceret: Morus ad Reginaldum conversus ὦδέν πω ἔιπω, *inquit. Tum Christophorus: Et ipse hic est, dixit: verùm exciderat. Hinc igitur patet, quàm verè Plato malum illud* φιλαυτίας *omnium malorum fontem esse dixerit, tàm nimirum olim detestabile, ut Aristotele teste, hæc* φιλαύτης *probrosa appellatio, ceu proverbialis olim jactata fuerit, quando homines sui supra modum amantes à multitudine malè audivisse scribit, quippe qui fœdo infamiæ cognomine vocati fuerunt* φίλαυτοι.

Quod cum ita sit, commilitones optimi, vitium illud teterrimum, quod Emblemate nostro taxari intelligimus, totis animis aversemur, neque nobis ipsis nimium blandientes, pennas, ut ajunt, ultra nidum extendamus: sed errata nostra, sicubi inpingimus, nobis ostendi, eaque redargui & corrigi patiamur, ut sic assuefacti, tantò felicius aliquando Dei gloriam propagare, Ecclesiæ & Reipublicæ salutem provehere, patriæ commodis inservire, parentibus denique nostris & præceptoribus pro fideli institutione debitas gratias persolvere possimus. DIXI.

ORATIO TERTIÆ CLASSIS, RECITATA à JOHANNE-JACOBO PÔMER, Patric. Norib.



IN nostro brabeo; *Auditores Humanissimi, manus maturo flosculo admota, ac velut ad decerpendũ parata, cernitur. Estq; ei adjunctum Emblema:*

TOLLE

TOLLE MORAS. *Quo, ut puto, adolescentes admonentur, ut discendi occasionem & commoditatem avidè & alacriter amplectantur atque usurpent. Nam si oblatam temerè negligent, aut prætermittent: ablatam frustra requirent, ac desiderabunt. Quemadmodum enim flosculus nisi maturè decerpatur, flaccescit ac decidit: sic opportunitas, nisi tempestivè, veluti manu prehendatur, subitò prætervolat, nec ulla unquam ratione revocari potest. Id quod etiam poëtæ per quàm ingeniosè nobis ob oculos constituerunt. Finxerunt enim occasionem esse Deam, rotæ volubili, motuq; incitatissimo huc illucq; sese versanti insistentem: pedibus alatã · anteriore capitis parte pilosam, ideoq; prehensu facilem: occipitio calvam, dextraq; manu in tergum reflexa novaculam tenentem: quam è vestigio comitetur puer, mœsto ac turbulento vultu: cui nomen* μετάνοια. *Varro* μετάμελον *vocat, eumq; Pœnitentiæ filium facit. Quo figmento occasionis, vis atque natura egregiè effingitur & exprimitur. Nam rota volubilis, varietatem illius & inconstantiam: talaria, subitam conversionem multa commoda secum auferentem significant. Capilli deinde anteriores, & apprehensuris sese quasi porrigentes, indicio sunt, datam occasionem nullâ interpositâ morâ arripiendam & retinendam esse: quippe quæ semel elapsa deinceps nunquam capi possit: id quod calvitio quoque indicatur. Novacula denique innuit, opportunitatem prætermissam, nec retrahi, nec retardari posse: utpote quæ cultro suo acutissimo omnis generis moras & impedimenta resecet atque dimoveat. Hæc pulcherrima imago adolescentibus semper ob oculos esse debet, ad colendum virtutis doctrinæq; studium, ne aliquando frustra ingemiscant, illudq; Poëtæ exoptent:*

O mihi præteritos referat si Jupiter annos? (test.

Nam id quidem fieri nequit, nec quæ præteriit hora redire po-

Multis molesta est pecuniæ jactura ipsorum culpâ amissæ: at multò molestior atq; acerbior est temporis malè transacti recordatio. Itaq; prudenter Poëta:

„ Utendum *(inquit)* est ætate, cito pede labitur ætas,

„ Nec bona tam sequitur quàm bona prima fuit.

Quod si agricolæ arationis & sationis tempus diligenter observant, agrosq; suos multo labore ac sudore colunt, ut exoptata messe recreentur: quantò magis adolescẽtes florentissimam ætatis suæ partem attendere, beneq; collocare, & animum doctrinâ, linguam eloquentiâ, vitam virtute excolere decet, ut uberes aliquando & salutares industriæ suæ fructus demetere atq; per-

cipere queant? Hæc namque ætas ad virtutes literasq́ cognoscendas percipiendasq́ inprimis est idonea, tum propter ingenii, animi & corporis vigorem: tum quia nullis ferè curis & solicitudinibus (nisi quas ipsa sibi temeritate sua accersit) distringitur, & nullis, aut certè exiguis negociis distinetur: nec deniq́ue reliquis studiorum adjumentis (modo ipsa sibi ne desit) facilè deficitur.

Quapropter commilitones suavissimi, etiam atque etiam providendum atque annitendum nobis est, ut floseculos adhuc vigentes carpamus, hoc est, discendi occasionem divino munere nobis oblatam ne negligamus, sed obviis (quod ajunt) ulnis eam amplectamur: & omne tempus ætatis nostræ florentis, omne ocium, omnemq́ vitam ingenii in virtutibus sapientiaq́ studiis consumamus, dum aliquando illucescat illa dies, quo parentibus & patriæ ornamento & emolumento esse possimus. DIXI.

ORATIO QUARTÆ CLASSIS, RECITATA AB ERNESTO à MÜNSTER.



CVm Sylla certamen sacrum equestre puerorum, quod Trojam nominant, esset editurus, contractis nobilibus pueris duos eorum duces designavit, quorum pueri alterum matris causa acceperunt (nam Metellæ erat uxoris Syllæ filius) alterum non admiserunt, quamvis Pompeij fratris filius esset, Sextus nomine, neque exercere se sub eo, neque sequi eum sustinuerunt. Percunctante Sylla, quem vellent:

lent: omnes alta voce Catonem postulaverunt, submittensq; se ipse Sextus, Catoni id decus, ut præstantiori, concessit. Ita nimirum Mag. D. Rector, ipse quoque Catonem aliquem ex meis contribulibus vellem elegisses, qui provinciam hanc majori cum dexteritate & industria, quàm ego minimè omnium ad hanc rem idoneus, in hac Nobilissimorum & Amplissimorum Virorum coronâ sustinere potuisset. Sic enim accidisset, ut quia in hisce solennitatibus ad gloriam splendoremq; omnia revocanda sunt, & huic festivitati major amplitudo & dignitas conciliata fuisset, & auditores jucundiorem ex hoc nostro quasi literario certamine voluptatem percepissent. Sed quia ætas mea non fert, ut Magnificentiæ tuæ intempestivè reluctando negotium ulterius facessam, Spartam hanc lubens in me recipio: quam si, ut par fuerit, ornare non potero, spero tamen fore, ut ipsa brevitate oratiunculam meam præstantissimæ huic coronæ sim commendaturus.

Intuenti autem mihi brabeum nostrum, navis in eo expressa occurrit cum inscriptione: ARS REGULA VITÆ. Quo quid tacitè significetur, ex præceptoribus meis aliquando intellexisse videor. Ut enim Navis tempestatum procellis fluctuumq; agitatione jactata, naufragio proxima est, nisi Navarchi cujusdam periti arte regatur, inq; tranquillum portum subducatur: Sic vita nostra tot tantisq; difficultatibus objecta, incerta hinc inde fluctuat, si non ingenium literarum studiis excultum viam nobis & semitam quà sit eundum, præmonstret. Sunt enim studia in utraq; fortuna, planè, quod Græco proverbio dicitur, Myrtili clypeus, qui cum esset ingentis animi miles, cumq; ad maritimam quandam expeditionem navigasset, submersa fortè navi, clypeo suo innixus in tutum portum delatus est: Sic literarum studia, nusquam non opportuna, nusquam non jucunda sunt, quibus non modo ab adversariorum telis & hominum injuriis tuti sumus, & tanquam oppositio clypeo munimur, sed & eorum ministerio usque è mediis vitæ hujus fluctibus ad tranquillum otij portum recipimur. Plato vitam nostram περιπλημίαν luxù nominat, & peregrinationem, in qua, ut Pindarus ait, nisi Deus initium monstraverit, ἀκλεὴς δὴ κέλευθος ἔρεῖν τὸ πρόκειμενον, hoc est, perdifficilis est semita ad inveniendum id quod est propositum. Quemadmodum enim qui rectam viam nescit, ubi, ut fit, in plures una diffinditur, hæret anxius, nec singulas audet eligere, nec universas probare: Sic cui non est veri stabile judicium, quod bonis artibus acquiritur, per omnes ætatis gradus dubius pen-

bius pendet, nec quo se vertat, quid approbet, quidve repudiet, certo secum constituere potest. Verè igitur, quod Cicero inquit, studia adolescentiam alunt: senectutem oblectant: secundas res ornant: adversis perfugium ac solatium præbent: delectant domi: non impediunt foris: pernoctant nobiscum: peregrinantur: rusticantur.

Quamobrem, commilitones optimi, tota mente in hanc curam & cogitationem incumbamus, ut quantum alij tribuunt intempestivis convivijs, quantum aleæ, quantum pilæ: tantum nos ad studia continuanda sumamus. Sic enim fiet, ut inter periculosissimas vitæ hujus agitationes & incommoda fluctuantes, naufragium tamen evitemus, tandemq; ad exoptatum studiorum nostrorum portum, magna cum parentum & propinquorum voluptate quàm felicissimè deferamur.

DIXI.

X. PA-

X. PANEGYRIS, Anni 1586.

SUB RECTORATU D. D. EDONIS HILDERICI, THEOLOGI.

ORATIO PRIMÆ CLASSIS, RECITATA à JOHANNE-CHRISTOPHORO â Tauffkirchen.



Sapientissimus philosophus Plato, cum ejus amicus Antisthenes vir doctissimus in schola aliquando orationem justo longiorem habuisset, ignoras, ei dixit, orationis mensuram & modum esse, non eum, qui dicit, sed eos, qui audiunt. Voluit nimirum innuere, oratores ad auditores potius, quàm ad se ipsos respicere debere. Cum itaque & ego sciam, omnibus sapientibus orationis prolixitatem molestam esse, utar quanta possum brevitate, nec abutar patientiâ & humanitate summorum virorum, qui hanc scholasticam solennitatem suâ præsentiâ ornare voluerunt. Itaque ad rem ipsam mox accedens, Magnifici Domini Rectoris mandato reverenter obtemperabo.

Symbolum igitur noſtrum eſt tale: Noctua conſpicitur inſidens coronæ. Intra coronam conſpicitur freni imago. His adduntur iſta verba: VIGILIIS ET MODERATIONE. Cum autem avis noctua, quam Græci γλαῦκα vocant, nocturno tempore vigilet, canat, volet & venetur, & quo majores ſunt tenebræ noctis, hoc clarius videat, atque eadem avis ſit ſacra ſapientiſſimæ Deæ Minervæ, arbitror ab Ampliſſim. Dominis Schoiarchis hanc avem nobis, ut ſymbolum vigiliarum proponi. Præterea, cum apud veteres laudabilium certaminum victores uſitatum fuerit coronari, procul dubio corona argenteo noſtro numo inſculpta, ſymbolum eſt cujusdam victoriæ: frenum verò quod intra coronam conſpicitur, imago eſt moderationis, cum indomiti equi freno regantur, atque in gyrum ducantur. Arbitror igitur per hæc ſymbola ſignificari, ad omnia bona comparanda & conſervanda, atque ad omnia mala cavenda ac declinanda, vigiliis & moderatione nobis omninò utendum eſſe. Nulla enim eſt vitæ humanæ pars, in qua hujus commonefactionis neceſſarius uſus non conſpiciatur. Sapientiſſimus rex Salomon Proverb. 6. & 24. affirmat, in œconomia paupertatem comitem eſſe ſomnolentiæ, cum inquit: Uſque quò piger jacebis? Quando ſurges de ſomno tuo? pauxillum ſomniorum, pauxillum dormitationum, pauxillum complicationis manuum ad dormiendum. Et veniet quaſi viator egeſtas tua, & penuria tua, ſicut vir armatus. Hæc Salomon: quibus docet patresfamilias vigilantes eſſe debere, ſi rem familiarem augere, paupertatem verò declinare cupiant. Sed quia noctua dicitur ſacra Sapientiæ antiſtiti Minervæ, alijs hominum generibus omiſſis, breviter attingam in præſentia eas commonefactiones, quæ ad nos, qui in bonarum artium & ſapientiæ ſtudijs verſamur, propriè pertinent. Certiſſimum eſt ſine magnis vigilijs, ſine aſſiduis laboribus, ſine ſudoribus atque exercitationibus nullas artes liberales, nullasq; virtutes morales comparari, & conſervari poſſe. Quantis vigilijs ſummo Oratori Demoſtheni ſua conſtitit eloquentia? Somni fuerat parcus, Lycei, ut de Orpheo canit Caſſius Parmenſis. Quantæ fuerunt vigiliæ philoſophi Cleanthis & Ariſtophanis Grammatici? Nam ſi quid valde eſt elaboratum, id proverbialiter ad lucernam Cleanthis & Ariſtophanis dicitur factum eſſe. Et Demoſthenis enthymemata dicebantur ἐλυχνίων ὄζειν, id eſt, lucernam redolere, propter lucubrationes in ijs excogitandis conſumptas. Utiliter igitur ordo ſcholaſticus per certas imagines in oculos incurrentes monetur, ut artium bonarum cognitionem, &

nem, & virtutum possessionem per maximam vigilantiam sibi comparandam, atque assidua exercitatione conservandam statuat, sicut & veterum & recentium quorundam bonorum autorum dicta monent. Apud Aristophanem in Nebulis Socrates Strepsiaden ad philosophiæ studium adhortans ait: ὕπνος δ' ἀπέστω γλυκύθυμος ὀμμάτων: *Id est: Dulcis somnus absit ab oculis. Ac noti sunt pueris hi vulgares versiculi:*

Non jacet in molli veneranda scientia lecto,
Ipsa sed assiduo parta labore venit.

Ac Siracides cap. 6. adolescentibus præcipit, ut manè ad præceptores audiendos accedant, cum inquit: Ἐὰν ἴδῃς ἄνδρα συνετὸν, ὄρθριζε πρὸς αὐτὸν, καὶ βαθμὸς τῶν θυρῶν αὐτοῦ σκοτιβάτω ὁ πούς σου, *Id est, si videris virum sapientem, manè accedas ad eum, & gradus ostiorum ejus conterat pes tuus. Dixi breviter de vigilijs, quas scholasticus ordo perferre jubetur; dicam brevius de moderatione. Veteris poëtæ Lini est versus non indignus memoriâ:* ἡ ἐπιθυμία ἡνιοχεῖ μαργοῖσι χαλινοῖς. *Id est: Concupiscentia aurigatur laxis habenis. Cum concupiscentia agit aurigam, non ratio, tum laxæ habenæ & freni conceduntur cupiditatibus & indomitis affectibus. Monemur igitur imagine freni, ut freno rationis appetitus nostros regamus & moderemur, ut ipse Dominus Genes. 4. ad Cain inquit: Appetitus tuus sit sub te, & tu domineris ei. Freno igitur rationis moderandus est appetitus cibi & potus, cum Christus dicat: Cavete ne corda vestra graventur crapulâ & ebrietate. Freno rationis moderandus somnus, sicut Paulus inquit, 1. Thess. 5. Vigilemus & sobrij simus. Freno rationis & cogitatione divini judicij moderandæ libidines. Levit. 18. Omnis anima quæ fecerit has abominationes, eradicabitur. Et Socrates inquit:* Δεῖ ὥσπερ σειρῆνας τὰς ἡδονὰς παρελθεῖν τὸν σπεύδοντα τῷ ἀρετῷ ἰδεῖν ὥσπερ καλλίδα. *Id est, voluptates tanquam Sirenes effugiendæ sunt ei, qui ad virtutis velut patriæ conspectum contendit. Nisi enim hos & similes malos affectus adolescentes ratione cohercere & moderari discant, nunquam ad solidæ eruditionis, & veræ virtutis laudem pervenient: nunquam earundem optatam coronam adipiscentur.*

Utiliter igitur in proposito symbolo Adolescentes bonarum artium studiosi monentur, ut moderatione cùm in affectibus regendis, tum in omnibus alijs vitæ partibus utantur, memores dicti Aristotelis: Ἀνδρειότης ἐναι μοι δοκεῖ ὁ τῶν ἐπιθυμιῶν ἢ τῶν πολεμίων κρατῶν. Καὶ γὰρ χαλεπώτερον ἐστὶ τὸ

ἑαυτὸν νικῆσαι. *Quod reliquum est, pro his & similibus commonefactionibus, quas Amplissimi Domini Scholarchæ nobis adolescentibus proponunt, eorum Amplitudini immortales agimus gratias. Nos harum commonefactionum erimus memores, ijsq; quantum erit in nobis, per totam vitam, reverenter obtemperare conabimur.* DIXI.

ORATIO SECUNDÆ CLASSIS, RECITATA à JOHANNE-JACOBO PÔMER, Patricio Noribergensi.



IN hoc numismate, quod Amplissimi Domini Scholarchæ Academiæ Altorphianæ discipulis secundæ classis præmij loco dederunt, conspicitur figura alitis, quæ uni pedi insistit, & altero erecto lapillum sustinet. Omnino statuo hanc imaginem alitis de Grue intelligendam esse. Nam Plinius lib. 10. cap. 23. de gruibus expressè sic inquit: Excubias habent nocturnis temporibus, lapillum pede sustinentes, qui laxatus somno, & decidens indiligentiam coarguat. Ex quo dicto intelligimus, grues hoc labore sustinendi lapillum occupatas facilius pellere somnum, & cum somno victæ obdormiscunt, lapsu strepituq; lapilli iterum à somno excitari ad vigilandum. Quam diligentiam & vigilantiam eas natura docuit. Unde in numismate huic imagini alitis hæc verba adduntur: OFFICIUM NATURA DOCET. *Etsi autem hoc symbolum gruis utile est omnibus hominibus*

minibus, in quocunque vitæ genere versentur, ut sese de diligentia & vigilantia & moderando somno in omnibus operibus sui officij admoneant: tamen nunc tantùm breviter ostendam, quàm utile sit nobis scholasticis, ut hoc symbolum gruis aspiciamus, & nos de imitanda gruum vigilantiâ subindè admoneamus. Ut enim hoc faciamus, id per donationem hujus præmij, Amplissimi Domini Scholarchæ non obscurè nobis præcipere videntur. Quorum præcepto, ut modestius pareamus, & ut præmium eorum tanto sit nobis gratius, duo in hac oratiuncula præstare conabor. Primum recitabo pauca de natura gruum, ut melius intelligamus quænam ea sint, quæ eas natura docet. Deinde afferam etiam pauca exempla magnorum virorum, qui sibi admirabilem doctrinæ & virtutis copiam per eximiam vigilantiam & singularem moderationem somni compararunt. Hæc dum breviter præsto, amanter & reverenter peto, ut benignè audiar.

Hæc igitur sunt, quæ de natura earum breviter affero: Primum grues dicuntur valdè amantes societatis. Non enim separatim aut seorsim sed simul in magno numero & agmine volant gregatim & pascuntur. Deinde accuratè etiam inter se quendam politicum ordinem observant. Nam cum de profectione suscipienda quodam modo inter se consenserunt, eligunt ducem, quem in volando omnes sequantur. Tum & hoc est signum prudentiæ earum, quod altè volent, ut tantò longius possint prospicere & pericula declinare. Conspicitur præterea in ijs non parvus amor cujusdam justitiæ & æquitatis. Cum enim illæ grues, quæ in volando sequuntur, sua colla & capita in tergo prævolantium reponant, atque ita in volando nonnihil adjuventur, aut releventur: tandem etiam dux, diu prævolando defatigatus, revolat, ut suum collum & caput in tergo alicujus prævolantis reponat: & quæ ducem proximè sequitur, ea duci succedit, ut ejus onus, seu gravamen aliquandiu ferat. Idem onus subeunt etiam ordine ceteræ grues, si id diuturnitas volatus earum requirat. Cumque grex earum sine acclamatione & voce sonora in volando contineri non possit, servant ipsæ hac in parte etiam vices, ne omnes simul acclamare necesse habeant. Nec prætereunda est in hac brevi commemoratione fortitudo & virtus quædam bellica gruum. Multum enim negotij facessunt pygmæis, eosque in quadam Indiæ regione infestant, qui sine bello eas ex ea regione salubri & semper vernante depellere non possunt. Qua de re legatur Plinius lib. 7. cap. 2. Postremò grues

1. 2. 3. 4. 5. 6. 7.

inter se hoc quoque gravamen per vices sustinent, ut alia nocturnis temporibus vigilent, uni pedi insistentes, altero lapillum sustinentes: alia verò dormiant, capite sub alam condito, alternis pedibus insistentes. Ex his quæ breviter recitavi de natura gruum, facilè potest colligi, in illis esse multarum virtutum simulacra. Sed nunc satis est, si diligentiam & vigilantiam earum studiosè consideremus, & sedulò imitari conemur.

Nunc, quod secundo loco promisi, recitabo pauca exempla magnorum virorum, qui per lucubrationes atque exercitationes nocturnas, maximam
1. *doctrinæ, sapientiæ & virtutis laudem sunt consecuti. Demosthenes summus orator, quanta vigilantiâ, somniq; moderatione ad eloquentiæ laudem comparandam sit usus, inde facilè colligitur, quod ejus enthymemata dicta sint olere lucernam, & quod ipse dictus sit plus olei quàm vini consumsisse. Fuit enim Demosthenes abstemius, & ὑδροπότης, qui etiam ad lucernulam illam suam in extrema sua senecta exercebatur. Deinde quanta diligentia & vi-*
2. *gilantia fuerit Aristophanis Grammatici in persequendis studiis suis, etiam per nocturna tempora, ostendit proverbium: Aristophanis lucerna. Idem col-*
3. *ligitur de philosopho Cleanthe ex proverbio: Cleanthis lucerna. Nam qui*
3. ὑδροπότης. *horum virorum lucubrationes imitantur, hi proverbialiter ad Aristophanis & Cleanthis lucernam lucubrare dicuntur. Postremò legimus fictilem lucer-*
4. *nulam Epicteti philosophi post mortem ejusdem, maximo precio, videlicet tribus drachmarum millibus venditam fuisse. Unde colligimus hunc virum ob acerrima studia nocturna, ad tantam doctrinæ & sapientiæ opinionem & admirationem apud omnes pervenisse, ut qui vel lucernam ejus possideret, beatus & tanti Philosophi imitator futurus crederetur. Plura exempla diligentiæ & vigilantiæ magnorum virorum brevitatis caussa non affero. Hæc quæ modo attuli symbolo gruis adjungamus, eaque ad solidam eruditionem nobis comparandam, qua possumus imitatione, exprimamus, præsertim cum scia-*
5. *mus, non tantum studiosis literarum seu scholasticis, sed etiam omnibus alijs hominibus, quocunq; in vitæ genere versentur, sive magno sive parvo, hanc vigilantiam & somni moderationem necessariam esse. Nam qui principes & gubernatores Reipublicæ, qui belli duces, & milites, somno dediti, suum offi-*
6. *cium laudabiliter facere possunt? Homerus inquit: ἀ χρὴ παννύχιον ἔνδειν*
7. *βουληφόρον ἄνδρα, ᾧ λαοί τ' ἐπιτετράφαται, τόσα μέμηλε, Id est, non opor-*
8. *tet per totam noctem dormire virum Reipublicæ consulentem, cui tot populi*

& tanta

& tanta negotia concredita sunt. Et Plato in principe maximè requirit vigilantiam, cum in quodam legum libro sic dicat, καθεύδων γὰρ οὐδεὶς οὐδένος ἄξιος, Id est: Dormiens enim nullus, (scilicet princeps) est aliquo precio dignus. Quod quidem egregiè observavit Alexander Magnus, qui etiam noctes ad officia tripartita dividebat: Quietis, Reipubl. & Musarum. Solebat autem ne somno diutius fortè indulgeret, ænea concha suppositâ, brachio extra cubile protento pilam tenere argenteam, ut cum nervorum rigorem sopor laxassèt infusus, gestaminis lapsi tinnitus somnum abrumperet. Ut de ipso Ammianus Marcellinus testatur lib. 16. Ubi Julianum Imperatorem cum eodem conferens, ait etiam multò fortius idem præstitisse, nam absque instrumento tali pilæ & pelvis, quoties voluerit evigilasse: & nocte dimidiata semper exurgentem Mercurio occultè supplicasse, ut à quo motum mentis suscitari persuasum habuerit. Quantò nos ad veri Dei cultum & venerationem æquius est, manè stratis nostris excitari, cum ille Apostata tàm vigilans fuerit in falso & commentitio suo numine adorando? Quam quidem ad rem religiosissimus & sapientissimus rex David suo exemplo nobis præivit: qui, ut multa in Psalmis ejus loca ostendunt, de nocte ad divinas laudes decantandas consurgere & hymnis suis auroræ exortum prævenire solebat. Sic de Friderico Ænobarbo testantur historici, hunc Imperatorem in more habuisse

„ primo lucis in ortu
„ Ad matutinos divinæ laudis honores
„ Strenua neglecto protollere membra cubili,
„ Omnibus in castris pingues efflantibus auras
„ Et matutinæ pressis torpore quietis.

Sic enim scribit ejus præco laudum Guntherus, poëta suæ ætatis princeps, lib. 9. Ligurini. Deinde nec agricolæ nec opifices, nec mercatores, nec ulli œconomi somno nimium indulgentes paupertatem effugere possunt, multò minus divites fieri. Ideo Salomon Proverb. 20. sapienter inquit: Noli diligere somnum, ne te egestas opprimat: Aperi oculos & saturaberis panibus. Hæc sunt, quæ pro mei ingenij tenuitate ad explicandum propositum symbolum de excubijs grues afferre potui, quæ ut omnes quotquot adsint, boni consulant, ex animo precor.

DIXI.

ORA-

ORATIO TERTIÆ CLASSIS, RECITATA à DANIELE à CORALECK, Bohemo.

vide S. p. 76.

SVnt in tertia classe inter meos jucundissimos commilitones non pauci adolescentes, qui me & ingenii acumine, & eruditionis copiâ, & memoriæ felicitate, & orationis suavitate longè superant, quibus hæ dicendi partes rectius quàm mihi à præceptoribus potuissent commendari. Sed quia Magnifico Rectori, & reliquis Dominis præceptoribus ita visum est, ut ego in hac corona eruditissimorum virorum, atque ingeniosissimorum adolescentum audirer, eorum paterno mandato modestè parebo, sive ab eis judicio hic honor mihi sit delatus, sive benevolentiâ, sive quod magis credo, favore quodam patriæ meæ dulcissimæ Bohemiæ. Sed ne exordij prolixitate huic splendidissimo auditorio sim molestus, ad explicationem symboli propositi propero.

Aristoteles, Plinius, aliiq; non contemnendi autores scribunt, mustelam, quæ Græcis est γαλὴ, herbam rutam comedere, antequam pugnam ineat cum serpente naturali suo hoste, eumq; victum & occisum devoret. Odorem enim rutæ esse infestum serpenti, & simul esse remedium ad depellendum venenum devorati serpentis, atque ita mustelam non temerè ad periculosum certamen accedere, sed se ad id prius magnâ curâ præparare. Genus igitur animalis, cujus imaginem insculptam habet hoc argenteum præmium, quo ab Amplis. Dominis Scholarchis discipuli tertiæ classis honorantur ac donantur, puto esse mustelam: id verò, quod hoc animal ore tenet ac comedit, esse ramulum

ramulum rutæ, præsertim cum his imaginibus hæc verba asscribantur, AMAT VICTORIA CURAM. Hujus igitur numismatis & imaginibus & verbis Amplissimi Domini Scholarchæ pro sua summa prudentia totum cœtum scholasticum monere volunt, sine curâ & vigilantiâ, sine laboribus & sudoribus, sine molestiis & difficultatibus nemini mortalium gloriosam victoriam contingere. Nam etsi Deus principalis caussa est omnium victoriarum, ut Proverb. 21. dicitur: Equus paratur ad diem belli, sed à Domino est victoria: tamen idem ad victoriam comparandam etiam vult humanam diligentiam accedere, ut antiqui poëtæ Æschyli dictum testatur: Fortuna Fabert.

ἀλλ' ὅταν

Σπεύδῃ τις αὐτὸς, καὶ θεὸς συνάπτεται.

Sed cum aliquis ipse festinavert, etiam Deus simul manus admovet. Ejusdem poëtæ est & hoc:

Φιλεῖ δὲ τῷ κάμνοντι συσπεύδειν θεός.

Solet autem unà cum eo qui laborat festinare Deus. Ut alia exempla quæ sunt innumerabilia omittam, quantis vigilijs, quantis laboribus & periculis victorias adeptus est Alexander Magnus? de quo Q. Curtius lib. 4. sic inquit: Sed nec somnum capere, nec quietem pati poterat. Modò è jugo montis aciem in dextrum Persarum cornu dimittere agitabat, modo rectâ fronte concurrere hosti, interdum hæsitare, an potius lævum torqueret agmen. Ibidem ipse Alexander ad ducem suum Parmenionem inquit: Credis ne me prius somnum capere posse, quàm exonerarim animum solicitudine quæ quietem morabatur? Sed omissis his victorijs bellicis, & cruentis, quæ nudis victoribus sine summa cura contingunt, dicamus breviter de victorijs philosophicis seu scholasticis. Nam & nostrum genus vitæ militia est quædam, in qua nemo sine cura, sine vigilantiâ sine laboribus, victoriam adipiscetur. Occupant mentes humanas maximæ tenebræ, innumerabilesq; errores illam tanquàm hostes obsident. Hæ ingentes tenebræ, hi errores ejici non possunt, neque notitiæ & scientiæ introduci sine maximis vigilijs & studijs. Quis enim unquam unam, vel de minoribus disciplinis sine labore didicit? Quis sine acerrimo studio è sermone hostes barbarismos, & solœcismos ejicit sibiq; proprietatem & puritatem orationis comparat? Quis sine maxima exercitatione tenebras ἀσυλλογίστους ex animo suo expellit, in eoq; lumen rectè ratiocinandi accendit? Quis sine summis laboribus abjecta puerili infantia, vel

R medio.

mediocrem dicendi facultatem potest comparare? Jam, ut reliquas liberales artes taceam, quarum finis præcipuus est actio, quantum malarum inclinationum, cupiditatum & vitiorum hæret in animis humanis? Quàm multi pravi affectus occupant humana corda? Quis verum odium horum multiplicium vitiorum, & ardentem amorem contrariarum virtutum induere sine perpetua vigilantia potest? Certè seipsum vincere longè difficilius est, quàm superare externos hostes. Nam Alexander Magnus armis quàm plurimas gentes domare potuit: hostes domesticos, qui animum ejus possidebant, vincere non potuit, sed ab eis victus est turpissimè, eorumq; mancipium fuit miserrimum. Intemperantiæ enim, libidinibus, iræ & superbiæ inhonestissimè succubuit. Quare Proverb. cap. 16. sapientissimus rex Salomon rectè inquit: Melior est tardus ad iram, quàm fortis, & qui dominatur spiritui, quàm qui capit civitatem. Quod dictum etiam ad alias pravas animorum cupiditates transferri potest.

Quoties igitur jucundissimi commilitones, hoc argenteum numisma in manus sumemus, in eoq; expressam imaginem mustelæ cum ruta aspiciemus, & verba addita Amat victoria curam, *legemus: toties ab hujus donativi auctoribus, viris sapientissimis, nos moneri cogitemus, ut nos omni genere philosophicorum armorum præparemus, atque instruamus ad sustinenda quotidiana certamina cum densissimis mentium tenebris, cum indomitis animorum cupiditatibus, cum pravis cordium affectibus, ut cum his domesticis hostibus fortiter pugnantes superiores evadamus, & optatam victoriam cum laude obtineamus.*

DIXI.

ORA-

ORATIO QUARTÆ CLASSIS, RECITATA à CHRISTOPHORO HERDESIANO, Noribergensi.



NOs adolescentes qui ex quarta classe, ad superiorem transferimur, spectamus cum voluptate atque admiratione imagines cervi & serpentis, insculptas argenteo numismati, quod nobis ad puerilia nostra studia excitanda Amplissimi Domini Scholarchæ liberaliter donarunt. Imaginibus legimus hæc verba addita: NULLIS FRAUS TUTA LATEBRIS. Non est dubiũ, quin gravissimã de moribus admonitionem contineant hæ imagines, & ipsum hemistichiũ, Nullis fraus tuta latebris. De hoc igitur symbolo jussu Magnif. Domini Rectoris in hoc splendidissimo atque ornatissimo consessu summorum virorum, præceptorum, hospitum & commilitonum, pauca afferam, & quidem vulgaria. Namætas puerilis, ingenium inexercitatum, infirma memoria, mihi obstant, quo minus multa, & eruditorum auribus digna afferre queam.

Cervus, secundum Plinium, animal est valde simplex, & omnium rerum miraculo stupens, in tantùm, ut equo aut bucula propius accedente, hominem juxtà venantem non cernat: aut si cernit, arcum ipsum sagittasq; miretur, atque in hac admiratione rerum oblatarum, propriam salutem quodammodo negligat. Habet tamen idem animal in hac simplicitate suam

prudentiam. Nam ita assuefieri potest, ut sermonem hominum intelligat, ut in historiis proditur, & suorum morborum & periculorum novit & quærit idoneum remedia & auxilia.

Contra verò serpens animal est callidissimum, sicut notum est ex historiâ lapsus primorum parentum. Et Christus ipse serpentum calliditatem celebrat, cum inquit: Estote simplices ut columbæ, & callidi ut serpentes. Jam inter cervum feram simplicem, & serpentem animal callidissimum, nativum & implacabile est quoddam odium, sicut ex diametro secum pugnant simplicitas & calliditas, salubritas & venenum. Fit ex hoc nativo odio, ut cervus, cum id naturali instinctu opus esse sentit, serpentem magnâ curâ venetur. Nam cum cervus sentit vel obscurationem visus, vel abundantiam humorum, vel infirmitatem quandam ex senectute, vel morsum vermium, qui in ventre suo nascuntur, & ad fauces ascendunt: intelligit se ex his malis liberari posse esu venenati serpentis. Itaque non quiescit, sed circumcurrit, quærés serpentem. Cujus vestigia cum videt, per ea lætus ducitur ad latebras serpentis: ad quas cum pervenit, spiritu narium ex cubili suo extrahit serpentem, eumq; frustra secum pugnantem dilacerat ac devorat, esuq; ejus suis malis medetur:

A 3

Atque ita simplicitas fit victrix calliditatis,
Naturæque venenatæ natura salubris.

Ex hoc igitur mutuo cervorum & serpentum odio & pugna procul dubio sumtæ sunt imagines numismati nostro impressæ, quas explicant verba addita: Nullis fraus tuta latebris. *Quo dicto monemur, ut ab ineunte ætate nos ad simplicem veritatem assuefaciamus, ab omni fraude proximo noxia abstineamus, cum certò sciamus, Deum & videre fraudem, etiamsi infinitis latebris occultetur, & eam in lucem protractam tandem severè punire: juxta dicta: Cernit Deus omnia vindex. Et Psal. 57. Utiq; est Deus, judicans homines in terra. Et Psal. 61. Tu reddis unicuiq; juxta opera sua. DIXI.*

PANE-

XI. PANEGYRIS, ANNI 1587.

SUB RECTORATU D. JOHANNIS BUSENREUT, J.V.D.

ORATIO PRIMÆ CLASSIS, RECITATA à MICHAELE PICCARTO, Noribergensi.



QVanquam & mihi rem tàm arduam atq; difficilem Rector Magnifice mandaveris, ut ob ingenij doctrinæq; meæ tenuitatem satis commodè à me explicari non queat: tamen ne autoritati tuæ refragari videar: quid de illa sentiam, quàm brevissimè licebit dicere, conabor. Rogo Auditores, ut, qui cum autoritate adsunt, bonâ cum veniâ etiam me audiant: qui verò condiscipuli mei sunt, eam mihi hoc tempore benevolentiam præstent, quam ijs, qui ante me dixerunt, alijs temporibus præstiterunt: quamq; à me sibi exhiberi volent, cum in hunc locum ad dicendum aliquando pervenerint. In brabeo ad explicandum mihi tributo, expres-

sa est imago serpentis, caudam ori sic inserentis, ut circulum repræsentet. Huic adjuncta est corona varijs floribus & fructibus exornata. In ejus ambitu inscriptum est hoc Emblema: IN SE CONTEXTA RECURRIT. *Quod attinet ad serpentem: Hieroglyphici ejus imagine annum pingere solebant. Testis est Horapollo libr. 1. de sacris Ægyptiorum literis. Sol enim, qui anni mensura est, à primo puncto arietis per reliqua signa progressus, ad idem punctum redit: ac priore anno confecto novum inchoat. Hinc apud Latinos annus (ut Grammatici docent) quasi annulus dictus est: quod in se redeat. Unde & illud:*

Annus.

Quique in se sua per vestigia volvitur annus. *Ab Homero* ἐνιαυτὸς ὁμῶς *appellatur, quasi* ἰὼν εἰς ἑαυτόν. *Id est, revolutis vicibus in se incurrens. Deinde hanc causam addunt, quod quemadmodum anguis tacitè proserpit absq; strepitu: ita annus quoque tacitè, & nobis vix animadvertentibus, præterlabitur. Unde illud Poëtæ:*

Tempora labuntur tacitisque senescimus annis.

Item: Labitur occultè fallitque volubilis ætas,

Et nihil est annis velocius. *Consimili ratione, corona quoque intexti floscul, fruges fructusq;, annum ejusq; partes, continua quadam ac perpetua successione copulatas, notat atque designat. Nam ut Poëta canit:*

Ver placidum vario nectit de flore coronas,
Spicea serta gerit calidissima solibus æstas,
Temporaque autumni cingunt tua Bacche racemis,
Tristis hiems montes niveo velamine vestit.

Verùm hoc Emblema non ad annum duntaxat, quem Sol metitur, verum etiam ad res quasvis corporatas, scitè referri & accommodari potest. Etenim si oculis sublatis mundum æthereum contempleris, non Solis tantum, sed reliquarum etiam stellarum atque adeo totius cœli, certas statasq; conversiones animadvertes: atque idcirco, ut Solaris, sic Lunaris, Mercurialis, Venereus, Martius, Dialis, Saturnius, stelliferi orbis annus, non ineptè appellari possit. Si deinde oculis dejectis, hunc telluris globum contueamur: nonne ubiq; miras vicissitudines, commutationesq; notare ac deprehendere licet? nihil fidum, firmum ac stabile permanet: omnia sunt mutationibus obnoxia. Et qualia Plato in Timæo scripsit, semper fieri esse nunquam. Habet hoc materia illa, unde res omnes constant, quam veluti magnam rerum matrem, cæ-

lestis vis

leſtis vis ad continuos partus excitat. Inde quatuor illa corporũ elementa ſurſum ac deorſum cõmeant, & conſtanti viciſſitudine generantur & generant. Inde omnis generis animantes, homines, quadrupedes, aves, piſces, ſtirpes, metalla, cæteraq; res, quas benigniſſima terra ex ſeſe fundit. Quarũ omniũ certæ veluti ætates ſunt conſtitutæ, ut naſcantur, adoleſcant, conſeneſcant, tandemq; certis temporum intervallis intereant. Maria in terras, terræq; viciſſim in maria commutantur.

„ Vidi ego quod fuerat quondam ſolidiſſima tellus
„ Eſſe fretum: vidi factas ex æquore terras.

Hinc aridi alvei, quæ flumina fuerant: hinc perennes fluvij, quæ culta fuerunt aratæq; terræ. Hinc quemadmodum annus in quatuor partes naturali viciſſitudine diſtinctus eſt: ita univerſus mundus elementaris ſuas quoque hiemes & æſtates habet: quarum illæ aquarum inundationes & colluviones efficiant: hæ verò contra ſuſcitent exuſtiones, & incendia terrarum. Sic quoque primus ille generis humani propagator Adamus (ut Joſephus in antiquitatum libris teſtatur) prædixerat duplicem labem terrarum, vaſtitatemq; venturam: alteram inundationibus aquarum: alteram ignium, flammarumq; ardoribus. Quod idem ſacris literis teſtatum conſignatumq; eſt. Rectè igitur ac ſummatim Ovidius hanc rerum naturalium viciſſitudinem perſtringit ac concludit, ad hunc modum:

„ Nec ſpecies ſua cuique manet, rerumq; novatrix
„ Ex aliis alias reddit natura figuras,
„ Nec perit in toto quicquam, mihi credite, mundo:
„ Sed variat, faciemque novat: naſciq́ue vocatur,
„ Incipere eſſe aliud, quàm quod fuit ante moriq́ue,
„ Deſinere illud idem, cum ſint huc forſitan illa,
„ Hæc tranſlata illuc, ſumma tamen omnia conſtant.

Neque verò ad res naturales tantùm hæc conditio pertinet: ſed hominum quoque opera attingit, mores, conſuetudines, leges, artes, linguas, aliasq; res cunctas: quæ ab arte naturam imitante, ortum duxerunt: Cum oriantur aliæ: aliæ verò occidant: quæq; modo floruerunt, nunc obſoleſcant: atque adeo quarum admirabilis eſt ἀναχύκλωσις, ut Polybij verbo utar.

Hinc rectè Cornelius Tacitus ſcripſit, rebus cunctis ineſſe quendam velut orbem: quemadmodum temporum vices: ita morum verti. Quin etiam

imperia

imperia & Respublicæ suas habent periodos, ut divinus philosophus Plato & naturæ genius Aristoteles testantur.

Quemadmodum enim hominum corpora alia externa vi deijciuntur & pervertuntur: alia intestina humorum dissensione intereunt: alia naturali confecta senio contabescunt: Ita Rerumpub. aliæ hostilibus armis afflictæ concidunt: aliæ domestico seditionis morbo consumuntur: aliæ vetustatis vitio dilabuntur. Id quod tum aliæ multæ, tum inprimis Athenienſium & Romanorum Respublicæ olim florentissimæ testantur.

Quæ cum se ita habeant, nemo est, qui non intelligat atque perspiciat, omnibus rebus corporatis vicissitudinem, id est, metamorphosin quandam, vicissim recurrentem inesse. Cæterum isthæc omnium corporatarum conversio ac vicissitudo rerum non temerè ac fortuitò evenit: sed divino numine regitur: Et quamdiu æterna mens, quæ sola immobilis est, illam consistere volet, conservatur. Itaque in numismate nostro, manus serpentem & coronam complexa inest: qua summi opificis vis præpotens & infinita providentia, res universas, summas & imas, longè lateq; fovens atq; gubernans significatur.

Hæc habui Auditores optimi, quæ ad Emblematis nostri explicationem succurrebant. Quo cum admoneamur, non modò singulorum hominum, sed universi hominum generis, itemq; cæli & terrarum certos interitus & occasus, ratis temporum spaciis definitos esse: Omninò nobis elaborandum est, ut prudenter justè, fortiter, moderateq; vivamus: donec tandem accitu summi, maximiq; Principis, ex hac mortali miseraq; vita evocati, ad cœlestium animorum cœtum aggregemur, atque corona contexta sempiternis q; seculorum ætatibus in se recurrente donemur.

DIXI.

ORA-

ORATIO SECUNDÆ CLASSIS, RECITATA à JOHANNE WELSER, Patric. Noriberg.

IN voluntate & jussu Magnifici Domini Rectoris penitus acquiescere, legibus cum jubeamur omnes: meum etiam est illius nequaquam detrectare imperium. Ordine igitur jussus dicere, cum ea, quam ætas hæc mea fert, cogitatione & modestia quod sentio in medium proferam, certa spe fretus probatum iri hanc meam obedientiam, & conatum tenuem bonis omnibus. Quibus utique constat, in universum hujus, quam nunc ago ætatis, cogitationem exquisitam esse nullam. In altera numismatis nostri facie expressa continetur imago ciconiæ, quæ ex pastu reversa corpus in aëre librans, insidentis nido pulli rostro hianti serpentem indit: cum hac ἀντιχαφῇ, PIETAS TUTISSIMA VIRTUS. Habet hæc avis ex testimonio gravissimorum scriptorum, multarum virtutum in se simulacra plurima. Castitatis namque amantissimam in violantem conjugij leges severissimè animadvertere exemplis probat ex veteribus Ælianus: ex neotericis Aventinus & alij. Quod nidos eosdem repetant, & stato tempore abeant atque revertantur, certo constantiæ signo, asserit Plinius. Vitæ verò innocentiam tantùm honoris conciliasse olim in Thessalia ciconijs scribit idem Plinius, ut eadem pœna in eum qui hominem & qui ciconiam interfecisset, fuerit constituta. Quid dicam de gratitudine in hospites suos? quid de parentum in sobolem amore, cura & prospectione? quorum insignia exempla

recenſet Ælianus, libro de animalib. 8. Atqui horum aliqua cum alijs volucribus ciconiæ forſan habent communia: aliqua unius autoris ſuffulta teſtimonio, vel fabuloſa vel ſaltem toti ciconiarum generi minus propria videri poſſunt. De pietate in parentes audiamus; quæ in hac ave veteribus eò uſque placuiſſe ſcribitur, ut in ſceptris regiis juſtitiæ ſymbolum ciconia ſculpi ſolita fuerit. Hanc pietatem Ariſtophanes in avibus his verbis protulit.

Αλλ' ἔστιν ἡμῖν τοῖσιν ὄρνισιν νόμος
Παλαιὸς ἐν τοῖς τῶν πελαργῶν κύρβεσιν·
Ἐπὴν ὁ πατὴρ ὁ τοῦ πελαργοῦ ἐκτετηκυῖας
Πάντας ποιήσῃ τοὺς πελαργιδέας τρέφων,
Δεῖ τοὺς νεοττοὺς τὸν πατέρα πάλιν τρέφειν.

Rei veritatem, non tantum à prophanis dependere, ſed linguæ ſanctæ affirmant approbari etymo: quæ, ut audio, ciconiam Chaſidhah appellat, à pietate, & eximia in parentes miſericordia, ut quæ ſenio confectis, infantiæ ſuæ vices rependens θρεπτήρια exhibeat, non nutricatione & defenſione ſola, ſed etiam ſubvolatum geſtione in propriis humeris. Græci eam, quam de nobis optimè meritis tempeſtivè referimus gratiam, ἐκ ἀντιπελαργίας voce per ſimilitudinem à ciconiis, quæ ipſis ſunt πέλαργοι, ſumta, expreſſerunt: actum ipſum ἀντιπελαργεῖν nominantes. Et quis, quod jam dixi, in controverſiam vocabit, unanimi conſenſu à veraciſſimis rerum naturalium ſcriptoribus conſignatum, ab Ampliſſimis & Clariſſimis Dominis Scholarchis, noſtris nutritiis, ad cogitandum propoſitum? Hi commonefacturi de officio noſtro nos ætatis paulò provectioris, Pietatem nobis ante oculos ponunt, quæ eſt ſecundum Cornelium Severum tutiſſima virtus. Et verè tutiſſima virtus, quæ ut reliquarum virtutum genitrix, in ſacris literis ſeveriſſimè mandata, ſola promiſſiones habet, tàm præſentis quàm futuri ſeculi. Et propter eventus feliciſſimos, in toto terrarum orbe, maximè una prædicatur. Hæc eſt illa pietas, quæ Philonomum & Calliam, adoleſcentes coætaneos ſervavit tum, cum uterque relictis omnibus opibus parentes ſuos effetos humeris aſportarunt illeſi, cedentibus flaminis, ex Ætna monte eruptione facta, omnia loca complentibus. Hæc eſt illa virtus, cui Pop. Romanus templum pietatis exſtruxit, quod miraculo quodam, puerpera ignobilis matrem fame necandam propriis uberibus alere fuerat deprehenſa. Hæc eſt virtus, cujus violatores, non ciconiæ ſed cuculi apud omnes populos pro infamibus, ſceleratis, execrandis ſemper habiti fuere.

Cimon.

fuere. Quod ipsum exemplis Chaami, Noë patri illudentis : Oreſtis Clytemneſtram matrem, Neronis matrem & præceptorem Senecam interficientis: Catilinæ patriam convellentis : & infinitis alijs non difficulter probari poſſet. Ad pietatem igitur virtutem tutiſſimam invitamur, in ciconiis inter beſtias maximè adumbratam, illarum ſimiles ut ſimus, caſtitate, conſtantiâ, vitæ innocentiâ & juſtitia : quæ ſub uno pietatis *vocabulo comprehenduntur. Nulla in homine ætas facilius voluptatum & libidinum illecebris & lenociniis capitur, quàm hæc noſtra à pubertate proxima. Sed nec ulla viciſſim tanta ſentit corporis, animi, vitæ & fortunarum detrimenta ac jacturas, quanta voluptates fœdas ſectantium conditio. At quid Deum ipſum mentem caſtam & in puritatis amantes ſapientiæ ſuæ effundent. m dona, gravius offendit, quàm morum pravitas & vitæ turpitudo ? Non tam ſumus apes : non tam fœtor columbas, quàm animus libidinoſus Deum fugat.*

Ab omni igitur ſcurrilitate alieni, ô mci commilitones, ciconiarum imitatores facti : munditiâ, probitate, pudore, & temperantiâ, quibus univerſis adoleſcentum mores contineri dìdicimus, nihil amabilius, nihil pulchrius arbitrabimur. Ut autem intra verecundiæ metas adoleſcentibus nobis conſiſtendum eſt : ita quod in ciconiis umbra virtutis, prædicari audimus: conſtantiæ laudem non modo affectabimus, ſed mordicus arreptam, fideliter retinendo tuebimur. Quod ſuo fit tempore, ſuo loco, juſto ordine, nec intempeſtivè, turbulenter, confuſè, laudem meretur, nunquam infrugiferum, nunquam moleſtum. Tantum enim abeſt, ut qui ita agit cuiquam offundat moleſtiam, ut dediſſe potius, quàm beneficium accepiſſe ab omnibus judicetur. Verum ad hæc accedat, neceſſe eſt, Pietas tutiſſima virtus, *quæ* σεργὴ φυσικὴ *ſtimulos ſubiiciente, in hoc tota incumbat, ut in noſtros omninò tales non videri ſed eſſe velimus : quales noſtros quandoque in nos futuros ſperamus, erga nos verò dum gigneremur, noſtros fuiſſe proprio ſcimus teſtimonio. Quantum amoris, quantum reverentiæ debeamus patriæ & parentibus, ingenuæ mentes facilè vident, profitentur libenter. Patria certè divinum quoddam naſcentibus nobis præbuit hoſpitium : in quo florentibus pietatis ſinceræ exercitiis, honeſtiſſimarum legum conſtitutionibus, laudatiſſimis in omni diſciplinarum genere ſtudiis, in pace & rerum ſummâ tranquillitate viveremus, educaremur, aleremur. Maximis beneficiis devincti ſumus iis, à quibus homines procreati & enutriti vivere cæpimus, quiq; innumerabiles caſus, pericula, tædia atq; mo-*

legias mostras causa sustinuerunt. His etiam qui, ut rectè, ut honestè vivamus, impensè curant, deq; nostra salute & incremento, noctes atque dies soliciti sunt, parem cum parentibus deberi gratiam Alexander ille Magnus affirmabat, utrisq; vero parem referri posse Aristoteles negabat. Hinc, quid singulis debeamus, quoties in nostro numismate ciconiam intuebimur (intuebimur autem quotidie) piè & diligenter cogitabimus, & pietati in omnes studebimus. Sed in primis erga Amplissimum Senatum Noricum, & Dominos Scholarchas, Dominos nostros benignissimos, qui non fictâ sed vivâ imagine Ecclesiæ matri senescenti suis humeris exceptæ grata simul præstant ἀντιμισθήματα: & simul pullos suos, id est, scholas, & præcipuè hanc Academiam Altorphinam, assidua pietate fovent & mirificè tuentur. In universum verò nos omnes cavebimus, ne in nos meritò illud Theocriteum dici possit: ἰὼ ἰὼ κάρις ἰς τί πεδήρτω. θρέψαι ἐ λυκιδεῖς, θρέψαι κύνας ὥς τυ φάγωλι. DIXI.

ORATIO TERTIÆ CLASSIS, RECITATA AB ELIA BOHEMO, Noribergensi.



Vide quid exigas, Magnifice Domine Rector, & à quo? atque ita vide, ne aquam è pumice postulare videare. Idem enim ego, quod commilito meus excusationis loco attulit, afferre commodè possum. Sculpturam ac Emblema numismatis hujus (quod nos pridiani Musarum tyrunculi congiarij nomine beneficio D D. Amplissimorum Scholarcharum à te accepimus) enodare me jubes. Atque hoc est ab asino lanam, à me explicationem symboli istius poscere. Putas me in sacris Ægyptiorum scho-

rum scholis Hieroglyphicis imbutum esse literis? minimè verò. Existimas me Apollinis mentem tenere? nullatenus. Proinde Davus sum, non Oedipus, atque gryphis & ænigmatibus hujuscemodi minimè lacessendus. Quid igitur faciam? Donativum hoc, insigne sedulitatis atque diligentiæ meæ testimonium abiiciam? non faciam. Quin potius mysterij hujus divinationem, diligentiâ quanta potero aggrediar: ut si non vatem, Saulum inter vates saltem egisse videar. Video congium angustissimo præditum osculo (liceat mihi hanc vocem pace Grammaticorum in germana ipsius significatione ponere) Video aquam ex ipso, non impetu ruentem, sed modicè stillantem, cùm tamen liquoris plenissimum sit. Video herbulæ nunc primum natæ, tenerrimos flosculos huic leni stillicidio, ne ardore Phœbi, quem eminus radios suos huc projectantem conspicio, marcescant atque in nihilum reducantur, subjectos. Video denique circulum, quo hæc omnia includuntur, è majusculis literularum notis concinnatum. Quarum, nisi me lumina fallunt, sententia hæc est: ADDE PARUM PARVO. *Quis mihi jam acumen mentis ad hæc penitus perspicienda suppeditabit? quis ingenium atque judicium ad hæc rectè enucleanda sufficiet? Certè ducis hic maximè indigeo: Tentemus tamen: audentes quippe adjuvat ipse Deus. Libet hic paulum cornicari, rhetoricari inquam, atque per ὕστερον πρότερον ab extremo initium facere. Inscriptionem, inquam, aggrediplacet, atque in hunc modum complere.*

Adde parum parvo, parvo superadde pusillum:
Fiet & hoc magnum, sic crescit copia rerum.

Nihil minus sanè, non rectè collineavi. Quid si sic:

Adde parum parvo, quàm plurima confer in unum,
E parvo tandem magnus acervus erit.

Nequicquam: nondum scopum attigi. Quid si sic.

Adde parum parvo: teneras non obrue mentes:
Parva doce parvum, pro modulo ingenii.

Videor me jam rem acu tetigisse atque verum sententiæ sensum elicuisse? ipse quidem certè affirmare non possum: Quintiliano tamen duce hac in parte usus sum: Sic enim ille: (qui sanè locus non solum hoc Emblema, sed & picturam ipsius ad unguem enodare videtur.) Sicut vascula, inquit, angusti orificii, superfusam humoris copiam, respuunt & effundunt: sensim autem paulatimq; influentem & instillatum liquorem recipiunt, receptumq;

fideliter continent : Ita animi puerorum anguſti, & majorum adhuc incapaces, nimia doctrinarum præceptionumq; copia fatigantur & obruuntur : paucis autem & brevibus præceptis ſenſim paulatimq; implentur. Hactenus Fabius. Invertamus jam licet hanc clariſſimi oratoris ſimilitudinem, atque ad hoc noſtrum accommodemus negotium. Planta nuperrimè enata, quæque demum germen ſuum emittit, ſi largifluo imbre irrigetur, aut nimio ab hortulano ſuffundatur humore, celerrimè certè intermorietur : Terra namq; copioſo humore diffluens radicem deſerit, unde planta primum germinans, ſucco & fulcro externo ſimul deſtituta, ante ætatem concidit : At ſi eadem leni & exiguo modicè humectetur liquore, ſubinde irrigata atq; vivificata, in altiſſimum excreſcet fruticem, ad ſummam deveniet perfectionem. Ita profectò comparatum eſt, cum animis puerorum: ſi enim pari ac non abſimili in inſtillandis animis eorum præceptis, utatur præceptor ratione, nonne parum parvo ac tenello ingenio addendo id efficiet, ut cum ingenii & ætatis vigore eruditio atque prudentia vigeat, atque magis magisq; roboretur? Et quemadmodum herba nunc primum nata, aſſiduis ſolis fervoribus uſta, nec ullo latice vivida reddita, è veſtigio flacceſcit atq; interit : ſic adoleſcens turpi atque ignavo ocio æſtuans torpeſcens q; omnem vim ingenij, totam mentis aciem, univerſum animi vigorem, intra breve tempus ſenſim deficere, miſerrimè extingui, fœdiſſimè enecari ſentiet. D I X I.

ORATIO QUARTÆ CLASSIS, RECITATA à JOHANNE-CHRISTOPHORO ÖLHAFEN, Norib.



Grave

GRave est admodum & perdifficile R. Magn. quod demandatur mihi: mihi inquam, adulescentulo rerum adhuc imperito, inq; Musarum castra vix ingresso. Hujusmodi enim antiquorum præclara inventa, ut Emblemata & alta ingeniosè excogitata dextrè explicare, & quò decet rectè accommodare, non est cujusvis: sed eorum tantum, qui & ingenio valent, & rerum usu in vita sunt instructi. Verum ne petitioni Magnificentiæ tuæ ad me delatæ adversari ineptè videar: adferam paucis ea ex suggestione aliorum non prorsus contemnenda, qui in mentem veniunt. Quod dum facio, benignè me audiri reverenter peto. In numismate nostro adamas conspicitur ignis flammæ ardenti impositus: sed integer, illæsus atque inviolatus. Mallei item duo, desuper ictum minantes, & per vices quasi eundem iterantes, cum epigrammate: PERFER ET OBDURA. Quæ pictura procul dubio haud temerè conficta, si divinare licet, hoc potissimum innuere videtur: Quod ut adamas lapis omnium pretiosissimus, nec igni, nec ferro, nec ulli violentiæ cedit, nisi sanguis hircinus recens adhuc & calidus adhibeatur, quo tandem mirando modo frangi atque attenuari paulatim scribitur, autore Plinio: Ita ingenium humanum, præcellens quidem, ac multiplici rerum cognitione ab opifice initio instructum, per lapsum demum adeo stupidum, distortum, indomitum, atque intractabile evasit: ut nisi doctrina & institutionis liberalioris quasi succo, ejusq; vi admirabili, per præceptores tanquam malleos, novo operi subinde instantes, recens adhuc subigatur, dometur & comprimatur, haud unquam mitescat, vel ad frugem aliquam perveniat: sed quod dolendum, in deterius potius quotidie vergat ac prolabatur. Quæ de re, cùm in sacris, tum prophanis literis, extant permulta, quæ hujus mali magnitudinem, contumaciam nimirum & duritiem ingenijs nostris innatam, vehementissimè deplorant.

Verum cum in hoc ipso morbo, propemodum insanabili curando mira prudentia, tolerantia & constantia requiratur, ut & ipsa inscriptio notat: Perfer & obdura: facilè inde animadverti potest, quantum onus sustineant ij, qui ingenijs pueribus adeò depravatis, corruptis, & infinitis ignorantiæ tenebris immersis, denuo instaurandis, excitandis, & illustrandis incumbunt. Quas item difficultates & molestias experiri atque exhaurire necesse sit eos, qui doctrinæ & disciplinæ succum instillari sibi, eoq; interveniente immutari, atque ita à feritate, ad humanitatem traduci volunt & cupiunt.

Non

Non enim hæc ingeniorum nostrorum palingenesia ita se habet, ut uno quasi momento & sine ullo negotio statim absolvatur & perficiatur, quemadmodum aliàs vasa inania, infundibulorum beneficio ad summum citra moram, adimplentur: sed longius exposcit temporis spacium, industriam & laborem, ut felix & salutaris tandem existat. Ac licet non habeam, quod dicam de ijs, quæ institutoribus permultum facessunt negotij, mirificeq; eos exercent: de quibus etiam quotidiè conqueruntur, ut de ingeniorum nostrorum pravitate, supore, tarditate, cum quibus omnibus pijs, tanquàm cum hostibus immanissimis, perpetuò conflictandum est, ut aliquo saltem modo, hoc genus mali tollant atque emendent: Hoc tamen affirmare non dubito, multis in hac militia constitutis, labores, vigilias & difficultates obvias videri planè adamantinas, invictas atq; inexpugnabiles. Unde non rarò consequitur, ut hanc omnium præclarissimam, maximeq; necessariam, & utilem ingenij sui culturam negligant & respuant, eaque prorsus deserta, ad alia ingenuis hominibus indigna, desperabundi se convertant. Sed malè, imò turpissimè: ipsius Emblematis nostri judicio, quod dicit: Perfer & obdura. *Constantia hic firmoq; animi proposito opus est ei, qui velit emergere, & amissum ingenij decus cum laude recuperare. Nullus hic mollitiei aut desidiæ locus: quod & Poëta Horatius venustè exprimit, dicens:*

„ Qui cupit optatam studiis contingere metam.
„ Multa tulit fecitque puer, sudavit & alsit.
„ Abstinuit Venere & Baccho, qui Pythia cantat.

Verum quidem est, offerri multa, novis literarum tyronibus satis molesta & aspera: Quæ tamen omnia ita sunt comparata, ut si accedat animi æquitas, studij alacritas, & docentis dexteritas, facilè vinci & superari queant. Non itaque statim desperemus, aut fugam abjectis armis meditemur, sed substistamus potius fortiter, & constanter pugnemus, spe nimirum victoriæ tandem obtinendæ: imitantes malè affectos, qui sæpe sanitatis, tanquam omnium pretiosissimi boni, recuperandæ caussa, pharmaca etiam amarulentiora à medicis porrecta assumere non recusant. Socrates ipse hac in parte non parum difficultatis sensit, utpotè qui naturâ tardus & stupidus fuit: nihilominus tamen per assiduitatem studij & laboris diligentiam ingenium ejus ita subactum, compressum atque edomitum fuit, ut sapientissimus etiam oraculi testimonio evaderet. Sic de alijs compluribus scribitur, quos brevitatis caussa omit-

omitto. Hoc itaque statuamus, omnia adhibitâ curâ animiq; contentione sedula, absolvi atque perfici: studio & labore indefesso, nihil non obtineri, nec quemquam repertum unquam fuisse, qui absq; aliquo conatu, præclarum quid sit assecutus, maximè in studijs, quæ ingenijs nostris refingendis destinata sunt, quorum radices ut dicitur, amaræ, fructus verò dulces. Quod dum Proceres academici optimè intelligunt, non modo per præceptores laborantes & sudantes nobiscum agunt, ut in cepto & laborioso studiorum curriculo subinde pergamus, nec ullo nos pacto ab instituto dimoveri patiamur; verum ipsi quoq; pro sua singulari prudentia per ipsa Emblemata, officii nos tacitè commonent, ad diligentem ingenij morumq; cultum capessendum, paternè excitant, ad laborum tolerantiam & perpessionem, præmiis quoque propositis, atque alijs benevolentiæ signis augustissimis, discentes nos invitant: Haud dubiè cogitantes, non satis esse bene cepisse, sed & perseverantiâ opus esse, ut habet numismatis Περιγραφή: Perfer & obdura.

Quæ cum ita se habeant, & omnia ad pietatis & literaturæ propagationem ac conservationem, in primis verò ad ingeniorum nostrorum accuratam informationem faciant, decet nos hæc & alia, quibus extremo hujus actus loco dicetur, gratis animis agnoscere. Et quia nobis potissimum scribitur & metitur, omni studio ac conatu eò contendere debemus, ut ipsorum monitis paternis obsequamur, ocium omnium vitiorum fontem fugiamus, labores ad ingenij eruditionem susceptos urgeamus, ne nobis ipsi defuisse aliquando videamur: aut malè utendo hoc insigni & pretioso bono, ad ingenij culturam & virtutis studium præclarè comparato, alijs improbè nocuisse perhibeamur: præsertim cum rebus necessarijs abundè instructi simus. Quibus certè omnibus, si rectè & legitimè utamur, nihil est, quod inclyto Senatui Noricæ Reipublicæ atque ipsis Dominis Scholarchis, Viris Amplissimis, nobisq; summè colendis accidere possit gratius. Horum expectationi de schola & nobis hic studiorum gratia commorantibus conceptæ satisfacere, horum voluntati obtemperare, nosq; totos ad eandem accommodare, hisce denique placere, maximè æquum, pium & laudabile est, juxta illud, quod in versu dicitur;

Principibus placuisse viris, non ultima laus est.

DIXI.

GRATIARUM ACTIO, RECITATA à MARCO CHRISTOphoro GUGEL, Noriberg.

NIsi patientia vestra atque humanitas tanta esset, Amplissimi Domini Scholarchæ, Dignissime Domine Procancellarie, Prudentissimi Senatores, Clarissimi Domini Doctores & Professores: nisi, inquam, patientia vestra, tanta esset, quanta multis jam annis ab omnibus, qui ex hoc loco dixerunt, perspecta fuit ac celebrata, Vererer sanè cum tanta pueritia, hujus loci autoritatem contingere, & in vestrum dicendi caussa conspectum venire ornatissimum. At quia ipse in hoc actu, vestram perspexi virtutem, animumq; cognovi attentissimum: ita me confirmo, ut non dubitem etiam ea, quæ à Magnifico Domino Rectore mihi imposita sunt, in vestra fide religioneq; deponere. Ille enim pro ea, qua hoc tempore valet, autoritate mihi demandavit; ut pro laudibili hujus Academiæ consuetudine vobis omnibus & singulis, nomine totius Scholæ, gratias agerem, non tantùm pro honorifica hac vestra præsentiâ, sed etiam fide, amore ac beneficentiâ, qua multis annis hanc vestram Academiam complexi estis, & adhuc complectimini quotidie. Quod licet me omnibus modis vobis debere fatear, & fatear libenter, quia tamen ob beneficiorum vestrorum magnitudinem, id grave mihi futurum prævideo, Vos oro atque obtestor, ut me hac in parte pro vestra patientia benignè sublevetis, meq; pauca de vestris in hanc adolescentiam promeritis, ad scholasticos hosce, verba facere patiamini. Non enim Vos immodica orationis longitudine detinebo, sed operam dabo, ut paucis utrumq; intelligant adolescentes, cum quanta à vobis accipiant beneficia quotidie, tum quanta ab illis requiratur erga Vos observantia meritorumq; grata memoria.

Quid igitur est adolescentes optimi, quo beneficia hujus Magistratus, vel satis à nobis agnosci, vel commemorari posse existimem? Equidem quò me vertam nescio: unde incipiam, aut ubi desinam, vix habeo.

Tanta Dominorum Scholarcharum in vos extat beneficiorum multitudo & copia, ut difficilius sit hujus orationis exitum invenire, quàm principium. Non enim fieri potest, non potest, inquam, fieri, ut ea, quæ tot annis, tot sumptibus,

sumptibus, tot curis, in hanc scholam collata sunt, & adhuc conferuntur quotidie, uno momento, una hora, uno die percenseri possint omnia Aristoteles *quidem, in libris Rhetoricis autumat, omnia beneficia, quæ in nos proficiscuntur ab alijs, vel pertinere ad vitæ salutem, vel ad divitias comparandas, vel ad ejusmodi bonum, cujus omnino difficilis sit acquisitio. Quam sententiam si ad Scholarchas conferre libet, nihil sanè erit ex tribus, quod non tribuatur Vobis cumulatissimè.*

Etenim quid est, quod ad vitam nostram tuendam conservandamq; majus contingere possit beneficium, quàm literarum communicatio? quàm virtutis doctrinæq; in vos propagatio? sine qua nec Respub. stare, nec Ecclesia gubernari, nec societas hominum conjungi potest. Quis enim quæso leges conderet? quis jura præscriberet? aut quis de virtutibus, de officijs, de Deo, Deiq; numine nos doceret? nisi literarum essent cultores, nisi sapientiæ Magistri, & naturæ indagatores diligentissimi, sine quibus nec vitam servari, nec rectè institui posse, manifestius opinor est, quàm ut demonstrari operæ pretium videatur. Imò quod majus est, nec vita ipsa absque doctrina vita rectè dici aut nominari potest. Id quod vel summus Philosophus affirmare non dubitavit, cum interrogatus esset, quid doctus ab indocto differret: præclarè sanè ac pru- c
denter respondit, quod vivus à mortuo. Vitam scilicet absq; doctrina nec suа- c
vem, nec beatam esse posse innuens: sed morti potius quàm vitæ similem esse ducendam.

Quid ergo? inquies, Nemo nisi literatus vivit? cæteriq; omnes, qui ea, quam tu prædicas doctrina destituti sunt, videntur tibi mortui? Equidem non nego, plurimos vivere, etiam non literatos, non doctos, non eruditos, neque vivere eos tantum dico, sed etiam ad honores & dignitates sæpe evehi amplissimas: Veruntamen eos, absque aliorum doctrina, unquam vel rectè vivere, vel ad honores ascendere potuisse, id sanè pernego. Si enim nunquam vel à parentibus suis, vel ab alijs, qui ea, quam disputo, doctrina antecelluerunt, à pueris essent imbuti ac educati, quid putas ipsorum vitam distare à beluina aut cyclopica victitandi ratione? Nemo profectò nascitur prudens, nemo gignitur doctus, nemo à parentibus in hanc lucem editur sapiens, sed opus est disciplinâ, educatione doctrinaq; elementis. Quæsi non à teneris nobis instillentur annis, non vivere tantum nihil juvat, sed nunquam natum fuisse præstabilius censetur. Quamobrem nullum sanè majus in mundo nobis

præstari posse videtur τὸ σωτηρίας beneficium, quàm liberalis institutio, quàm disciplinæ conservatio, doctrinæq; communio. Quæ cum etiam in hac schola, beneficio Senatus Amplissimi Norici, auxilio Amplissimorum Dominorum Scholarcharum, fidelitate præceptorum, in omni prope disciplinarum genere, vobis impertiantur quotidie: quis obsecro, eos non vitæ vestræ propugnatores existimet? quis non parentum loco eos honorandos arbitretur? Illi certè nos parvos in hanc lucem procrearunt; Hi nos doctrina magnos efficere student. Illi nos rudes, barbaros, ac planè elingues prodiderunt; Hi nos doctrinâ expolire, moribus informare, eloquentiâ facundos reddere laborant; hi nos nobilitate literarum ac rerum peritiâ illustres & claros efficere conantur. Quæ si considerare volumus: quemadmodum nos considerare omninò decet, quis est obsecro? qui non cum Alexandro Magno fateatur atque exclamet, se plus debere his vitæ ducibus, quàm vel suis parentibus, quoniam ab illis τὸ εἶναι, ut simus, accepimus: ab his verò τὸ εὖ εἶναι, ut benè simus, assequimur quotidie.

Quod si verò quis esset Adolescentes, quem natura ita barbarum ac ingratum finxisset, ut hæc parva æstimaret, magisq; ad alterum genus, quod in fortunis augendis ab Aristotele proponitur, aspiraret, is sic statuat velim: nihil vobis etiam in hoc genere denegari à Scholarchis Amplissimis. Quæ enim quæso fortunæ, quæ opes aut possessiones, non proficiscuntur ex literarum studijs? Nonne ex his sequuntur honores, divitiæ, dignitates, Magistratus amplissimi? Quid Plato? quid Aristoteles? quid Theophrastus? cæteriq; philosophi, non assecuti leguntur, apud sui temporis homines præstantissimos? Quid Demosthenes, Lysias, Æschines, oratores apud Græcos non adepti sunt liberalissimè? Isocrates pro una oratione à Nicocle Rege centum talenta accepisse legitur. Oppianus pro uno quoque suorum de Venatione, Piscatu & Aucupio pœmatum versu, singulos aureos stateres dono accepit ab Imperatore Antonino, ut summa ad aureorum duas myriades ascenderit. Quid Cato, Gracchus, Lelius, Galba, Antonius, Cicero, non obtinuerunt apud Romanos? nonne facultatibus abundarunt? nonne gloriâ apud omnes populos viguerunt? nonne ex obscuris plerique facti sunt clarissimi & locupletissimi? At quid ego exempla longinqua commemoro? Intuemini quæso eos, quos plures videtis præsentes viros clarissimos. Intuemini Professores vestros, qui profecto nunquam ad tantum honoris fastigium ascendissent, nisi literarum studia coluissent, nisi virtutem amassent plurimum, nisi artes & disciplinas perdidicissent

didicissent constanti animo. Quid igitur putatis de vobis ipsis futurum, si diligenter studueritis, si præceptores vestros diligenter colueritis, si virtutes literarumq; studia magni feceritis. Nonne post paucos annos hic conspicietur in aulis principum, ille in comitijs populi, hic in senatu, ille in consessu virorũ prudentium, hic in suggestu, ille in lyceo, hic in foro, ille in cathedra fulgebit clarissimus? Quæ omnia, dum vobis contingere possunt, per hunc Magistratum, per hosce Scholarchas, quis dubitabit, eos non quotidie in vos ea largiri, per quæ, & acquiri possint facultates & amplificari copiosissimè?

Neque verò necessarium duco Adolescentes, ut de tertio beneficiorum genere differam pluribus: quod in ijs positum videtur rebus, quarum haud facilis est acquisitio. Quid enim difficilius, quàm veritatis ac sanæ doctrinæ communicatio? quid rarius, quàm fidelis literarum institutio? Testantur superiora tempora, quanta difficultas, quanta barbaries fuerit in tradendis artibus, ubi omnia ita fædè, inquinatè ac sordidè fuerunt tradita, ut jam uno anno, plus addiscere liceat adolescentibus, quàm olim tota Olympiade, ut jam sæpè plus sciat puer septennis quàm olim senex grandævus. Quorsum igitur ista, Adolescentes? quorsum recitantur tàm copiosè? nimirum ut intelligatis, quantum vicissim à vobis requiratur pro tantis meritis. Quibus licet nunquam satis respondere possimus factis, tamen inprimis requiritur gratus animus, grata memoria, grata observantia. Immane vitium est, ac cum scelere conjunctum, ingratitudo. Monstrosum animal est ac dirum portentum, homo ingratus, qui non solum mortalibus est molestus, sed ipsi Deo odiosus. Nihil est, quod Deus magis aversetur, quod magis puniat, quàm ingratum animum, beneficiorumq; oblivionem. Testantur id sacræ literæ, omnium gentium historiæ, testatur etiam nostra experientia. Quid enim putatis adolescentes, aliud fuisse causæ, quamobrem Deus superioribus annis, tot nobis ex Senatu Norico eripuerit Scholarchas, viros literatissimos, Scholæq; hujus patronos summos, quàm multorum nefandam ingratitudinem. Quamobrem Adolescentes expergiscimini tandem, excutite veternum ingratum, excitate animos vestros alacres, agnoscite beneficia, quæ in vos cumulantur indies, amplectimini Senatum, reveremini Scholarchas, colite præceptores, obsecundate legibus, & quod maximum est, consurgite ad preces, vestraq; ex animo sic meis vota jungite.

Tibi æterne Deus, *Pater* Domini nostri Jesu Christi, *peccavimus,*

tibi ingrati fuimus, tibi pœnas æternas debemus. At quia tu pro immensa tua misericordia, non solum conservas nos adolescentes ingratos: sed das etiam Magistratum clementissimum, das Doctores, das Professores, das præceptores classium, qui sunt vitæ nostræ duces, qui erudiant nos in omnibus artibus, qui prohibeant à cunctis vitijs: Tibi uno omnes ore gratias agimus immortales, pro immensa tua hac clementia, teq; rogamus supplices, ut foveas hunc Magistratum, conserves Scholarchas, gubernes Doctores, ut in vera tui agnitione, non solum nos, sed etiam post nos nati erudiri possint, per Dominum Jesum *Filium tuum, Amen.*

Vobis autem Amplissimi Domini Scholarchæ, Dignissime Domine Procancellarie, quibus secundùm Deum non minus debemus, quàm parentibus nostris: cæteriq; qui ex Senatu adestis, Viri Prudentissimi, Generosi Barones, Nobiles, & quotquot in hac corona adestis, Viri religione, doctrina, virtute excellentissimi: vobis inquam, gratias agimus omnes, quod non solum honorifica præsentia hunc actum scholasticum decorastis benevoli, sed etiam vestra autoritate & amplitudine exornastis plurimum. Rogamus vos Dominos Scholarchas, cæterosq; Academiæ patronos, ut hanc scholam nunquam deserere velitis, sed vestra ope, consilio, prudentiâ, animiq; magnitudine, eam munire fortissimè, ab omni ruina & interitu vindicare sedulò, leges à vobis latas, promulgatas, sanctissimeq; juratas, acriter propugnare, hancq; juventutem in vestram fidem, clientelam ac patrocinium, suscipere clementer. Hæc vestra erit laus, hæc vestra trophæa, hæc ornamenta Reipublicæ vestræ pulcherrima, hæc seges erit sempiternæ vestræ gloriæ. Si hæc seminaria Ecclesiæ Reiq; publ. fovebitis, quemadmodum fovistis hactenus paternè: habebitis semper Prætores fortissimos, gravissimos Consules, prudentissimos Senatores, verbi Dei præcones peritissimos, & civitatem optimam, & sempiternam gloriam apud exteros. A nobis autem omnem reverentiam, pietatem studium, animumq; gratissimum: Et quod maximum est, à Deo ipso expectabitis æterna præmia, æternam salutem, vitæq; immortalitatis beatitudinem. D I X I.

XII. PANEGYRIS, Anni 1588.

SUB RECTORE D.D. PHILIPPO SCHERBIO, MEDICO.

ORATIO QUARTÆ CLASSIS, RECITATA à PHILIPPO CAMERARIO, Patricio Noribergensi.



VT FILIOLI adhuc balbutientes, libenter audiuntur à patribus, suntq; eorum etiam ipsi errores eis voluptati: sic spero, Patres Amplissimi, meam quoque infantiam vobis, si non jucundam, at non tamen planè ingratam fore. Puto igitur & libro & circini circumductione, studiorum nostrorum labores nobis ob oculos proponi. Liber clausus aperiendus est, reconditaq; doctrina labore inde eruenda: non expectandum semper, dum alij nobis præmansum cibum in os ingerant. Nam & gallinas ajunt melius pasci, si grana ipsa è terra eruant, aut hinc inde dispensa quæritent, quàm si copiosè eis proiiciantur. Quod idem diligens etiam & solers

& solers circini circumductio nobis confirmat. Nam alter pes circini immobili centro ita infigitur, ut perpetuò ei hæreat, loco nunquam moveatur: quæ est maxima laus laborum & constantiæ in rebus honestis: alter verò pes circumactione in se ipsum, ut principium medium & finis sint idem. Hæc ad laborum assiduitatem & revolutionem pertinent. Labores enim debent esse concatenati ac circulares, & ut est in veteri tragœdia, labor laborem affert. Id quod eleganter quoque manus è cœlesti corpore protensa nobis subiicit. Corporum enim illorum sempiternus & perennis motus significat perpetuam quoque nostram in laboribus subeundis agitationem. Non enim nobis modò quiescendum, modò ad alia decurrendum, sed usque & usque mens in honestis laboribus motu circulari versanda est.

Gratulor igitur mihi ex hoc loco nunc primum balbutienti ejusmodi argumentum oblatum esse, cujus imagine & recordatione, studiosi adolescentes, Ignaviã nobis valde dulsemdissimus fugere, & ad vigilantiam, assiduitatem, attentionemq; animi axacuimur. Scribunt hoc docti viri, quatuor omnino esse quibus impediamur plerumq; à magnarum præclararumq; rerum adeptione. Vel enim judicio labimur, idq; dupliciter, in fine, & in ijs quæ ad finem pertinent: vel constantiam perseverantiamque non retinemus, sed cum ad ea, quæ bona sunt, initio animum adjecimus, & eas ingressi sumus vias, quæ quò tendimus ferant, postea tamen aut difficultate rerum deterriti, aut levitate quadam distracti, convertimus aliò, & ignaviæ nos damus: vel denique, cum & verè judicavimus, & satis constanter in eo quod constituimus, pertendimus: virium tamen imbecillitate & inopia consequi ea quæ volumus non possumus. Cum verò abundè nobis suppetant præsidia, quibus judicium excolatur, ac magistri constituti: qui consilijs præceptisq; optima nobis itinera commonstrent; virium quoque satis plerisq; natura tribuerit: unum illud nobis cavendum, ne quod Ciceronis filio dicunt contigisse, nobis quoque contingat, id est, nobismetipsis defuisse videamur. Id quod effugiemus, si, quæ nobis præmio nostro adumbrata sunt, urgere nunquam desistamus, rectam scilicet viam à magistris nobis ostensam sedulò persequentes: nec languori nos dantes, neq; mutabilitate quadam alio conversi. Ego quidem certè hoc mihi posthac tanquam prætorium edictum proponam, ut nulla dies (quod ab Apelle & dictum & observatum accepimus) mihi abeat sine linea. DIXI.

ORA-

ORATIO TERTIÆ CLASSIS, RECITATA à GEORGIO-PAULO NÜZEL, Patricio Noribergensi.



P. *SCHERBIUS. Te nunc Georgi-Paule Nüzeli voco. NÜZELIUS. Mene?* Sch. *Te ipsum volo, si modo Nüzelius minor es?* N. *Sum equidem, sed vetus est M. D. Rectorem, sine pennis volare haud facilè est. Meæ ales pennas non habent; sunt alij, qui ætate & ingenio longè me superant. Didici hoc nuper ex officijs Ciceronis nostri: non solum videndum esse, quàm præclarum sit illud quod suscipere cogitamus, sed etiam an habeamus efficiendi facultatem.* S. *Ne verearis: te enim pro ætate tua expectationi meæ satisfacere posse spero.* N. *Credo sanè, puerilia tantum à me expectari, eaq. spe fretus jam nunc obtemperarem; sed metuo etiam nunc, ne mihi fortè idem usu veniat, quod adolescenti illi in Comœdia nostra Terentiana, qui ubi ad judices ventum erat, nihil potuit proloqui, ita eum tum timidum obstupefecit pudor.* S. *Tu verò dimitte tandem subruslicum istum pudorem, civilem retine.* N. *Quando igitur ita vis: obtempero. Atque hoc unicum sanè verbum sit orationculæ meæ principium, quo nullum melius & ætati meæ convenientius puto à me posse inveniri.* S. *Rectè quidem dicis. Accede ergò, & hanc cathedram ascende, & specimen exhibe ingenij tui.*

V SEQUI-

SEQUITUR JAM ORATIO.

CVm igitur omnia animalia suas quasdam habeant proprietates, in easq; tacito naturæ impulsu ferantur (alia enim naturâ sunt rapacia, alia insidiosa, alia crudelia, alia timida & ad fugam parata) homo quoque ipse plurimas à provida & sagaci natura accepit, quæ ipsum ad certas quasdam actiones impellunt. In ijs verò facilè primum locum habet illa rerum cognoscendarum cupiditas, quæ ita omnibus est innata, ut quo insignior & illustrior in quoquo est, eò expressius humanæ naturæ vis in eo eluceat. Hoc quoque didici ex aureis officijs Ciceronis nostri. Ita enim ait: Imprimis hominis est propria veri inquisitio atque investigatio. Itaque cum sumus necessarijs negotijs curisq; vacui, tum avemus aliquid videre, audire ac discere, cognitionemq; rerum aut occultarum aut admirabilium ad benè beateq; vivendum necessariam ducimus. Etsi autem contra ipsius naturæ judicium nos pueri videmur à discendo refugere, revera tamen non tàm à cognitione abhorremus, quàm laborem nobis amarum esse ducimus. Crebræ enim nostræ percunctationes de rebus varijs, delectatio fabellarum, in quibus aliud dicitur, aliud significatur, certè non aliundè proficiscuntur, quàm à naturali illa cognitionis cupiditate. Naturale etiam nobis est, ut sedium mutatione & peregrinatione gaudeamus. Cujus quidem rei audivi causſam esse nullam aliam, nisi quia peregrinando identidem nova aliqua, nunquam antea vel visa, vel audita obijciuntur. Nunc videntur nova flumina, nunc montes, nunc castella, nunc thermæ, palatia, templa, amphitheatra, bibliothecæ, statuæ, sepulchra, fontes, cæteraq; innumera. Nunc audiuntur nova cujusq; Reipublicæ instituta, novæ leges, novæ consuetudines, in victu, in vestitu, in publicis solennitatibus cognoscuntur, ut propè assiduè peregrinando videamur aliquid novi discere. Peregrinas verò linguas ubi addidicimus, Deus bone, quanta voluptate afficimur, ut nobis placemus, ut nos ostentamus, ut omnes hoc noviſſe gestimus! Hæc igitur satis pervincunt etiam nobis pueris nullum esse animorum pabulum jucundius: quàm admirari, discere, scire, si nobis modo cor rectum sit, hoc est, si à natura hominis non descivimus. Jam cum quodq; animal eò perfectius in suo genere sit, quò ad naturæ suæ congruentes actiones est propensius (ut canis quò est sagacior, equus, quò ad pugnam animosior, eò censetur melior & generosior) homo etiam is omnium optimè animum habebit à natura informatum, qui discendi aviditate reliquos superaverit. Cor igitur rectum à

natura

natura accepit alas, quibus toto impetu contendit ad libros, id est, ad organa sciendi, in quibus quæ vel ad naturæ obscuritatem pertinent, vel exiguissima subtilitate à Mathematicis sunt inventa, vel optimè à majoribus nostris aut constituta aut gesta, comprehenduntur.

Quamobrem optimi condiscipuli, ne videamur degeneres, corde nati non satis recto, sed distorto & depravato, devoremus sanè eruditionis & scientiæ primas radices, quæ amaræ nobis videntur. Superemus peregrinorum verborum, ut Latinæ & Græcæ linguæ fastidium, videamusq; quæ deinde secutura sit, non modo utilitas, sed etiam voluptas. Cogitemus Græcam Latinamq; linguam fores esse eruditionis. Deinde si per eas in ipsas ædes ingressi fuerimus, nos suavissimos fructus inventuros esse. Conferamus etiam inter se duos pueros, alterum nugatorem & ociosum, alterum studiosum & occupatum, exactoq; anno putemus rationes, & ad calculum vocemus, quid uterq; è suo vitæ genere fructus perceperit. Intelligemus profectò, si non planè sensibus caremus, puerum studiosum primùm vitijs multis caruisse propter discendi occupationem. Deinde multo & doctiorem & meliorem esse factum, sine ullo detrimento suo, & maxima cum approbatione omnium: Alterius verò ludos & jocos evanuisse, si nullo cum dedecore & damno (quæ tamen vix caveri possunt) at sine fructu & laude. Ego quidem certè non committam posthac, quin pleno gradu ad libros meos properem, ne cujus rei symbolum mihi hodie datum est, eam unquam ingrata oblivione ipse abjecisse videar. DIXI.

ORATIO SECUNDÆ CLASSIS, RECITATA à JOHANNE-JOACHIMO GVVANDSCHNEIDER, Noribergensi.

MVLTVM *assecutus est, qui benè didicit loqui: non minus assecutus est, qui benè tacere. Itaque melius fortassis esset, si, ut olim Romani sedendo vicerunt, ita ego benè tacendo conarer existimatiunculam si quam de me habetis, tueri. Etsi enim negare non possum, jucundissimum mihi esse, ea considerare, quibus imitatio aliqua aut tacita insinuatio continetur, ut in hisce Emblematis: loci tamen hujus amplitudo valdè me naturâ timidiorem debilitat. Veruntamen si Camerariis & Nützelis licuit esse disertis, crescat in ipsis periculis mihi quoque animus. Cum igitur videam testudinem istam tardigradam & sanguine cassam, repentè supra librum conscendisse, eiq; incubando tandem alas adnatas esse, quibus se libret, & in sublime efferat: quid aliud censeam nobis adumbrari, quàm quod sine ulla verborum circuitione nobis quotidiè inculcatur: Nos naturâ esse tanquam testudines, terræ filios, crassos, rudes, hebetes: at librorum assidua tractatione, & quasi incubatione, ita expoliri & exacui, ut nihil sit tàm reconditum, quò non ingenij acie penetremus; nihil tàm sublime, quò non pervadamus; nihil tàm arduum, quod alis sapientiæ & virtutis instructi non superemus. Longissimo intervallo absunt à nobis cœlestia corpora; at librorum usu efferimur, perpetuamq; eorum vertiginem & celeritatem conversionis*

verſionis intuemur. Obſervamus multiplices orbium circulos, ſeptemq́ erraticas & reliquas inerrantes ſtellas dimetimur, ortumq́ & occaſum ſiderum, & varias modò in Auſtrum modò in Aquilonem commeationes admiramur. Intuemur etiam quæ denſiſſimis naturæ tenebris involuta ſunt, ſive ſubterraneis in ſpecubus lateant, ſive in profunditate maris (magna & arcana naturæ parte) ſenſus noſtros fugiant, ſive in aëre ſuſpenſa ſtupidam plebem hiante ore ad ſeſe invitent.

Tardæ quidem ſunt noſtræ ad virtutem & ſapientiam progreſſiones, ut hujuſce animalis: progreſſiones tamen: tardè eſt alarum accretio: accretio tamen. Ubi verò ſemel accreverunt, tum humi non amplius repimus, pudet abjecta hæc & terrea tractare, in ipſam arcem omnis honeſtatis, omnis gloriæ, ſine ullis impedimentis evolamus. Sine libris igitur eorumq́ fructu, imperfecta, obſcura, humilis eſt omnis noſtra vita: at virtute & honeſtate, rerumq́ admirabilium cognitione animi noſtri de cælo demiſſi, & in hunc oſtreaceum carcerem conjecti, ad veritatem, omnemq́ honeſtatem rurſus informantur, ad originem ſcilicet ſuam viam ſibi iterum munientes. Ajunt philoſophos Platonicos triplex vehiculum animis adſcripſiſſe, Cæleſte, Spirituoſum, & Craſſum hoc corpus, quòd à Platone dicitur oſtreaceum, & ab alijs ſepulchrũ animæ. Quod ſi quis virtutibus purgatricibus ſeſe liberet, næ extremo vehiculo magna jam ei ad ſumma quæq́ parata ſunt ſubſidia. Unde Zoroaſter præcepiſſe dicitur: Ne fœdes ſpiritum, neque in profundum exaugeas, quod eſt planum. Plena ſunt omnia fabulis, plena ſapientum vocibus, quibus vitæ noſtræ imperfectio ſine fructu librorum, id eſt ſapientiâ & virtute, adumbratur. Præclarè profectò philoſophus ille, quicunque fuit, qui cum in ſuam diſciplinam puerum quendam ſuſcepiſſet, & pater ejus interrogaret, quid ex eo effecturus eſſet, reſpondit: Si nihil aliud, at illud duntaxat, ne theatrum ingreſſus ſaxũ ſuper ſaxo ſedeat. Quo dicto ſignificare voluit, nihil inter indoctũ & ſaxum intereſſe. Alijs addendis nolo ego vobis faſtidium augere. Tantũ intelligere potui de Emblemate iſto. Cui ſi quid ſubeſt magis reconditum, ad id ego ingenui candidiq́ animi verbum hoc profiteor, Neſcio:
diſcere tamen ſtudebo. DIXI.

ORATIO PRIMÆ CLASSIS, RECITATA à LEONHARDO DÜRNHÔFER, Noriberg.

EGO quoq; mirificè afficior, non tàm munere & honore ipso, quàm ejus tacita significatione, cujus jam per ætatem & auscultationem quotidianam videor mihi esse capax. Didici enim hoc ego quoque ex officiis Ciceronis nostri, parva esse foris arma, nisi sit consilium domi. Armis igitur & consilio, quæ gladio & libro depinguntur, omnis civilis societas & terrarum orbis conservatur & defenditur. Etsi autem politici philosophi, qui architecti dicuntur beatæ hujusce vitæ, tres faciant ut in homine ita in Repub. principes partes, agriculturam, rem bellicam, & sapientiæ studium, quæ hepati, cordi, & cerebro respondeant: tamen iidem illi haud inviti fatentur, ex solis posterioribus duabus tum veram nobilitatem & dignitatem parari, tum summa etiam adjumenta volubili huic orbi adferri. Ἐπιθυμητικὴ enim facultas, quæ dedita est alimentis, quæque ad agriculturam in hominum cœtu refertur, longiori intervallo à principibus partibus abest, idcirco ab eisdem illis sapientibus, bestiis istis dicitur similis, quæ nullam rationis imaginem præ se ferunt. At verò τὸ θυμοειδὲς, quæ animosa pars in corde locatur, & gladio hîc adumbratur, non solum paratior est ad rationem summam reginam, audiendam, sed etiam non rarò pro ea adversus ἐπιθυμητικὴς æstum & libidinem depugnat. Denique (si possem paulò altius rem excutere) Notum est hominis perfectionem duobus consumi, contemplatione &

tione & actione. Actio ea, quæ sese foras dat, insigniter in hominum oculos incurrit, rerum gerendarum facultate & scientia; ea nobis eximiè gladio videtur adumbrari: at verò contemplatio, libro. Sic duplex constituitur Philosophia, quæ est perfectio hominis: theoretica & practica, quarum illa contemplatur divinas sive æternas substantias: hæc ad eorum imitationem omnia moderatur. Unde humana duplex virtus, dianoëtica & ethica; duplex mens, alia ad contemplandas res apta, alia ad agendas; duplex denique beatitudinis gradus hisce omnibus respondens. Ea re etiam prudentissimus Virgilius, cum Æneam omnibus numeris vellet perfectum instituere, facit eum cunctis virtutibus ethicis cumulatum: in armis omnibusq; rebus gerendis acrem & industrium: Quo nec pietate fuit, nec bello major & armis.

Alteram partem perfectionis, quæ in contemplatione rerum occultarum & admirabilium sita est, non potuit poëta sine ineptijs declarare, nisi voluisset quasi in scholis ostentare Sophistam de rerum natura disputantem.

Quoad igitur fieri decuit, parcè ac sobriè suo more attigit, id quod magni viri suis commentarijs diligenter docuerunt. Mihi quidem una satis sit, quod confragosam illam & maximè omnium controversam quæstionem fecit Æneas liquidissimam, quippe de anima cum tot tantiq; philosophi multa quæsierunt, ille neque pauciora neque obscuriora scivit, quàm quæ ab Ægyptijs, Chaldæis, Indis sapientibus prodita sunt. In sexto enim libro quæ ignorabat, ita didicit, ut ea postea docere potuerit. A libris igitur oportet petamus primùm multarum magnarum rerum cognitionẽ, deinde consilium, etiam sæpè ordinem, magna quoque ex parte prudentiam, oculum illum mentis. A scientia verò rei bellicæ exequendi facultatem, ut si cœtus legitimè sociatus injurijs lacessatur, & tranquillitas à tyrannis violetur, ocium armis restituatur. Ex hac istorum duorum conjunctione facilè perspiciemus, ijs in nationibus, quæ bellica gloria claruerunt, etiam viguisse studia doctrinæ, ut doctissimi homines prodierunt, quemadmodum omnibus constat, in Græcia, quæ Persarum innumerabiles exercitus non modò sustinuit, verum fregit quoque & profligavit. Romana etiam gens & belli gerendi scientia ac fortitudine fuit præstantissima, & ijs literis, quæ rudes animos humanitate informant, deditissima. Macedonum quoque tot victoriæ primùm ab Alexandro duce fluxerunt. Is enim Asiam perdomuit universam, & ad intimos etiam Oceani recessus penetrasse fertur. Deinde à phalange quoque, quæ fuit acies in exercitu firmissima.

firmissima. At verò hæc laus ad libros & consilium magnam partem etiam pertinet. Nam Alexandrum à primis annis disciplina erudijt Aristoteles, & ad eam tum animi tum ingenij præstantiam præceptis Philosophiæ pulcherrimis extulit, ut etiam minus æquo animo tulisse dicatur acroamaticorum librorum, id est, reconditioris doctrinæ, divulgationem. Phalangem verò ejusq; artem instruendæ, ab uno primùm Homeri poëtæ versu manasse doctissimi homines affirmare non dubitant. Ergò his duobus ita nititur orbis, ut à literis adjuventur arma, & ab armis literæ sustineantur: ὅπερ ἔδει δεῖξαι, ut ajunt, in pulvere suo erudito, Geometræ. DIXI.

GRATIARUM ACTIO, RECITATA à JACOBO GEUDER, Patricio Noribergensi.

REm arduam quidem, mihi adulescentulo prorsus difficilem, laudabilem tamen, ac in primis necessariam à me exigis Mag. D. Rector. Quid enim tàm deceat, tàm omnem ætatem, tum imprimis adolescentiam, quàm in benè de se meritos animum gratum beneficiiq; memorem declarare? Etenim ut præclare ait Cicero: Nihil tàm proprium hominis est, quàm non modo beneficiis, sed etiam benevolentiæ significatione se alligatum fateri. Nos adolescentes quidem ingenuè fatemur atque etiam profitemur, nos & Deo opt. max. & Magistratui, & Academiæ, & hospitibus summorum beneficiorum vinculis obstrictos teneri. Quapropter etsi gratia quanta debetur, à nobis referri non potest; habenda tamen & agenda omnino est, quantam maximam animi nostri capere possunt.

Primum itaque O æterne Deus, *principium principiorum, caussa caussarum, finis finium, tibi gratias agimus & habemus immortales, quod his miserandis temporibus agrum Noricum, inclytum Magistratum nostrum, & hanc Academiam, tàm clementer tueris atque conservas, nobisq; benignè suppedites quæcunque ad rectè commodeq; vivendum requiruntur. Imploramus & obtestamur te, ut in posterum quoque nostræ saluti & commodis consulas atque provideas: Et tum hanc doctrinarum sedem ac domicilium, tum universam regionem Noricam à bellorum incendiorum, morborum ac tempestatium*

pestatum calamitatibus tutam & incolumem præstes atque conserves: ut tibi grata & facere & dicere tamdiu possimus, dum tandem in domum illam tuam cælestem, omnibus bonis affluentem evocati, tecum ævo fruamur sempiterno.

Deinde vobis Amplissimi Prudentissimiq; D.D. Scholarchæ, cæteriq; inclytæ Reipubl. Noribergensis Patres conscripti, vobis inquam gratias agimus maximas, tum pro cæteris immensis beneficijs, quibus Academiam vestram hactenus ornastis & locupletastis, tum pro vestra honorifica præsentia, qua hodiernam nostram panegyrin partim eximiè condecorastis, partim etiã liberaliter ac munificè prosecuti estis. Et quoniam hoc jam pridem vestræ tribuistis prudentiæ & humanitati, ut neglectas hoc tempore musas susceperitis: Tribuite quæso idem constantiæ, ut susceptas, & adhuc liberaliter sustentatas, posthac quoque foveatis, & quibuscunque rebus poteritis (potestis autem plurimis) augeatis & amplificetis: planeq; vobis persuadeatis, quantumcunque eruditionis atque doctrinæ studiosa juventus in hoc Musarum emporio sibi comparaverit, id omne ad nominis vestri celebritatem & illustrationem, atq; ad ditionis vestræ utilitatem ac dignitatem conversum iri.

Gratias etiam habemus & agimus vobis, M. D. Rector; vosq; cæteri Professores clarissimi & doctissimi, præceptores observandi, pro vestra fide, opera & diligentiæ assiduitate, quam in nobis erudiendis, atque ad omnem virtutem & humanitatem informandis adhibuistis. Pollicemur sanctè, nos non solum sempiternam vestrorum meritorum memoriam inviolatè pieq; servaturos esse, ut & vos perspiciatis, & cæteri intelligant, nos si in referenda gratia, id quod volumus non fuerimus assecuti, saltem quod debemus maximoperè conatos fuisse.

Ad extremum, generosis D.D. Baronibus, & liberalium artium magistris ac studiosis, itemq; hospitibus ornatissimis, qui spectandi audiendiq; caussa huc venerunt, gratias agimus singulares, quod suo jucundissimo conspectu hanc publicam celebritatem exornare voluerunt. Rogamus universos, ut quam benevolentiam erga Academiam nostram nunc declararunt, eam in posterum constanter retineant. Nos vicissim conabimur, ut singulis & universis, eam, quam debemus, observantiam, ubicunque opportunitas & facultas feret, cumulatè præstemus.

DIXI.

XIII. PANEGYRIS, Anni 1589.

SUB RECTORATU M. MATTHIÆ BERGII, ETHICI.

ORATIO PRIMÆ CLASSIS, RECITATA à JOACHIMO à DOLAVV.



VTINAM verò, quemadmodum orationis tuæ argumento optimè convenire video symbolum hujus noſtri donativi, & ſculpturæ, quæ in eo cernitur, argumentum: ita poſſem etiam ego aliquid dignum loco hoc & ipſo iſto argumento proferre. Sanè videris mihi quemadmodum Atlas olim Herculem oneri perquam gravi ſubdere. Veruntamen quia ſic eſt jacta alea, cogitabo equidem, laudabile interdum haberi, magna ſuſcipere, etiamſi non ſatis reſpondeat eventus, Επιχαρὴν ergò donativi mei ſatis perſpicuum eſt ex poëtarum de Hercule narrationibus depromtam eſſe. Id enim oſtendit Hercules, clava elevata ictum intendens draconi longo & tortuoſo, arborem pomiferam, maliſq; eleganter reſplendentem cir-

tem circumplicanti. Ut Hesperidum hortos ab Hercule spoliatos, & mala illa aurea, poëtis multum decantata, ab eodem Hercule ex his hortis ablata, nobis hic indicari non sit dubium.

Horti igitur Hesperidum quæ res fuerint, si mihi est dicendum, omne genus boni est, quod est homini propositum, & ad quod consequendum ille contendere sedulò debet. Hercules hominem refert eum, qui verè homo esse, & dignitatem hujus nominis tueri eiq; satisfacere cupiat. Huic homini scilicet symbolum hoc nostrum præscribit aliquid ipsi apprimè necessarium observatu: Nimirum (ut Lemma, seu ἐπιγραφὴ refert) virtutem & ejus mercedē sudore parari. *Cantatissima, inquam, omnium scriptorum bonorum literis admonitio hic nobis proponitur de eo, Quòd labore sit ad virtutem & bonas res omnes via quærenda. Qua de re cum plurima passim verè & graviter à sapientibus scripta sint, audite quæso me æquis animis pauca, ut possum per ætatem, de eadem balbutientem.*

Hominem constat ad duas res natum esse, ad intelligendum & ad agendum: idq; ex Aristotele retulit Cicero, qui idem hoc explicat: virtutem hominis, quâ præstat ille cæteris animantibus, vel scientiâ vel actione cerni. Ut ita virtus homini propria duplex deprehendatur esse: moralis, & intellectiva sive dianoëtica. Ex his intellectiva, tametsi è natura emanat potissimum doctrinâ tamen excolitur & augetur. Rursumq; moralis à consuetudine atque usu potissimum proficiscitur, ac tametsi ad hanc virtutem natura apti sumus: insita tamen ipsa nobis à natura non est: verum à consuetudine agendi perficitur. Quomodo id autem? Altius etiam paulò hic mihi assurgendum videtur. Non eodem modo nobiscum, quo cum alijs animantibus egit natura: sed cum illis rationem & mentem non concessisset, certum tamen ac decentem, quem ferè semper consequerentur, finem constituit: Nos tanto tamq; excellenti munere, id est, diligentiâ ipsâ donatos eò adegit primum ut in fine diligendo facilè decipi possimus, deinde ut in vero proprioq; fine adsequendo plurimum laboris, plurimum diligentiæ adhibere cogeremur, nisi à nostra conditione recedere, atque in aliam, & quidem multo viliorem naturam converti vellemus. Non enim voluit Deus hominem ita condere, ut mox esset in summo suæ felicitatis gradu constitutus: Sed ita, ut ad eum gradum debitis progressibus produceretur ac procederet. Quamobrem verissimè dixit Prodicus Chius: Tot tantorumq; bonorum, quæ nobis sunt collata, non aliam à nobis

Deos immortales mercedem exigere, quàm laborem ac studium. Poëtæ quoq; viam ad virtutem ducentem per quam virtutem homines verè sunt homines, asperam & saxis ac vepribus impeditam finxerunt. Et præclarissimè, ut omnia, illud quoque Aristoteles dixit, περὶ τὸ χαλεπὸν καὶ ἀρετὴ ἐστὶ καὶ τέχνη. Et virtus & ars omnis circa ea versatur, quæ difficultatem habent. Neque est mala Plutarchi sententia, quâ dicit: Numen vult sua munera ad nos per nostram venire industriam, ne stultum videatur, si faveat doni sui contemptoribus. Atque hæc commemoratio quid nos moneat, perspicuum est: Nimirum, cum ab ipsius naturæ constitutione hoc sit decretum, laborem nobis non esse detrectandum, sed capessendum, amandum, sustinendum: mollitiem contrà modis omnibus vitandam, si bonarum rerum participes esse, si finem eum, qui est hominis proprius, & à quo ille perficitur, consequi volumus. Sed & aliæ causæ sunt, præter modo commemoratam, cur labori sit incumbendum, nimirum fructus & utilitates ex eo maximæ. Quæ illæ verò utilitates? Respondeo: emolumenta vitæ huic præclarè traducendæ maxima: Laus, gloria, honor, denique suavitas vera: atque adeo, ut Epicharmus paucis rem conficit: omnia Dei dona. Ita enim ille inquit: Pro labore sua Dii cuncta vendunt hominibus bona. Labor enim & voluptas secundum Platonem, societate quadam admirabili inter se devincta sunt divinitus, non ita tantum, ut voluptates improbas labor & dolor excipiat infelix: sed & è converso, ut laborem honestum jucunditas honestissima & verissima consequatur. Hoc nostris animis sedulo insideat: hoc nos excitet ad constantiam in studiis, ad patientiam, ad tolerantiam in comparandis, per varios casus discrimina multaq; rerum, opibus præstantissimis eruditionis & prudentiæ, virtutis ac probitatis. Certè omnes sani homines naturæ ipsius impulsione ita sentiunt, eas res à quibus præclarissima bona promittuntur, omnibus modis esse persequendas.

Hoc igitur sac sedulò cogites, quisquis hæc sacra tractas, quæ aliter non constant: & hac cogitatione te confirma ad patientiam molestiarum, quas studiorum ratio affert. Onerat te labor: atqui onus illud non debet dici, aut molestia, quod te accumulet omni felicitate, fructu, emolumento.

Grave est noctes ac dies consumere in opere literario. Atqui gravitatem laboris hujus infinitis partibus superant immensi laboris ejusdem fructus. Gravis res est continuus labor. Atqui ut minima mala quodammodo bona sunt: ita illa mala etiam multo magis, quibus maxima bona parantur. Hæc igitur

igitur altera consideratio nos extimulet & acuat, ut labores necessarios promtè subeamus. Cum præsertim etiam illud accedat, quod μισόπονοι illi, id est, laboris detrectatores molliculi, quorum omnis sapientia illa est, quod laboris incommoda & molestiam exaggerant, ejusq; detrectandi occasiones exquirunt: hi ergo quod illud fateri coguntur, Fugam laboris ipsis ad vitam nihil addere, siquidem in longa vita felicitas ponatur: cum illud & ratio ipsa doceat, & vitæ usus exemplis probet, desidiam & otium inq; voluptatibus omnibus perfruendis assiduitatem, multo magis accelerare mortem, quàm moderatos, & naturæ convenientes labores: verissimeq; apud Gellium à Catone esse dictum: vitam humanam esse uti ferrum, quod exercendo conteritur, sed cum splendore pulcro. Si non exerceas, tamen interit, sed cum turpitudine: rubigine videlicet illud interficiente. Item homines exercendo videmus conteri, sed cum gloria. Si nihil exerceas, inertia ac torpedo plus detrimenti affert, quàm exercitatio. Atque hæc omnia si nobis sedulò inculcaverimus, optimè certe nobis consulemus: Tantò quidem certe magis id fieri decet, quantò est, cum omnis ætas, tum præcipuè nostra à labore ad voluptatem proclivior: quanto item verius illud Bionis: Facilis est ad inferos via: clausis enim oculis illuc à nimium multis pervenitur. Ad quod malum corrigendum nihil est certè efficacius aut valentius, quàm laborem ita spectare, ut jam fecimus, Et voluptates item eo modo, ut olim Aristoteles monebat faciendum: ut scilicet eas spectemus abeuntes, hoc est, illud sedulò nobis proponamus quod res est: voluptates per illecebras & blanditias ducere ad præcipitium: labores honestos per difficultates ac sudores ad immortalitatem. Itaque quantum vis arduum ac difficile est iter ad virtutem, pronum ac proclive ad voluptatem: nos cum Hercule & puero & adulto potius laboriosam virtutem atque amœnissimos Hesperidum hortos sequamur, quàm per prona & facilia delicioſam & ad interitum ducentem voluptatem. Atque ita statuamus: cùm omni ætate honesto labore ad virtutem contendendum, tum in primis nostra. DIXI.

ORATIO SECUNDÆ CLASSIS, RECITATA à JACOBO GEUDER, Patric. Noriberg.



QVANQUAM nihil mihi debet esse antiquius M.D. Rector, quàm ut mandatis tuis paream, utq; ea, quæ mihi tuo jussu imponuntur, summa voluntate exequar: tamen non possum non animo cohorrescere, intuens in hunc tam augustum & venerandum consessum, in quo jubeor puer ac penè infans, loqui: Dicere enim quid dicam? Quod si maximus ille apud Græcos orator Demosthenes, apud Philippum Macedonum regem orationem habiturus, sic expavit, & animo commotus est, ut paucis admodum verbis expressis penè mutus discesserit: quid mihi in hoc tali talium & tantorum consessu virorum constantis mentis esse potest? Sed reficit tamen & recreat me tuæ, ô ornatissima corona, consuetudinis pristinæ atque humanitatis recordatio: quæ mihi non ignota, facit ut sperem, te, si quid minus ornatè, minus aptè, locoq; ac tempori convenienter dixerim, facilè ætati veniam concessuram.

Itaque facessere jussò puerili timore, ad peragendum id operæ, quod mihi publica imponit auctoritas, tua cum veniá me convertam. Donativi nostri sculptura est sanè perquam speciosa ac præclara. Ensis videlicet strictus, & illi circumvolutus ramus sive hederæ, sive oleæ: nihil enim interest: cum inscriptione tali: PULCHRUM CLARESCERE UTROQUE. Quis dubitare potest, quin his duobus symbolicè notentur duo genera rerum, vitam humanam

manam totam complectentia, pax & bellum; ac secundum hæc duo genera vitæ, totidem genera facultatis, sive scientiæ, sive artis: quæ omnem vitam ipsa quoque complectuntur, sive (ut ait Cicero) quæ possunt locare homines in amplissimo gradu dignitatis: una Imperatoris ars: altera viri politici sive oratoris: Quorum ab altero pacis ornamenta retinentur, ab altero belli pericula depelluntur. His duobus vitæ generibus ut nihil est, omnium sanorum confessione, vel speciosius, vel etiam utilius: Ita illud quoque est æquè certum, ad utraque hæc etiam literariam nostram occupationem ac studium pertinere. Sunt enim bonæ literæ, & sapientia illa, quæ ex his paratur, parens ac nutricula utriusq; jam dictæ artis, sine omni dubitatione. Eoq; sensu rectè est à Græco poëta Euripide olim dictum: Sapientiâ flos continetur urbium & familiarum: non citharâ atque cantibus. Qui poëta citharæ & cantus mentione eorum vitam notat, qui voluptati & otio inerti indulgent: qui à civili cœtu arcendi sunt, perinde ut membrum putre medicus à corpore amputat, ne sanæ partes inficiantur. Hippocratis quoque sententia dicuntur felices populi, qui intelligunt, viros bonos esse ipsis præsidio ac munimento, neque tam turribus ac mœnibus defendi urbes, quàm sapientium virorum sapienti consilio. Conjugium illud harum duarum præstantissimarum rerum, non est opus ut laudetur oratione mea, per se satis omnium confessione splendidum & cōmendatum. Quis enim nescit fortitudine militari præstantes bellatores tyrannides abolere, latrocinia prohibere, imperia justa tueri ac defendere? Togatâ sapientiâ rursum priora illa, virtute bellica quæsita & parta, tueri atque conservari, atque id caveri, ne, quæ magnus aliquis ac præstans heros virtute & armis peperit, in pace alij evertant. Denique quis dubitet, quin is, qui duo hæc conjunxerit, præclarissimum aliquid adeptus esse dicendus sit, atque adeo inter homines versari tanquam mortalis quidam Deus? Cæterum hæc ut verissima sunt: ita cogitare jam possumus plerique: Quid ad me ista? qui non sum ita à natura & aliis rebus comparatus, ut hujusmodi conjugium sperare mihi liceat. Usque eò enim æquis animis ac lubentibus homines accipere solent encomia rerum præstantissimarum, dum se quoque illas consequi, aut earum certè participes fieri posse putant: hac verò spe ipsis ademptâ, nequicquam laudes ipsis ea, quorum admirandorum atque capessendorum præcipua causa ipsis deest. Imò verò respondebit hic vir intelligens, & verus rerum æstimator: omnes qui vivimus, & habemus jam, & habere etiam deinceps cogitamus,

locum

locum aliquem in vita, quæ vita cum tota duobus illis temporibus, pacis ac belli, duabusq; item illis, quas diximus, sive artibus sive facultatibus contineatur: æquum est, ut in qualicunque etiam cùm ingenij modo, tum facultatis ratione, id sibi proponat unusquisque, Quemadmodum vel in utroque istorum, vel certè in altero exhibere possit utilem patriæ civem. Qua in parte illud Philippi Melanchthonis apophthegma egregium semper animis nostris propositum esse debebit: Si non potes esse magnus leo, sis mediocris, & Reipub. tamen utilis catulus. Cumq; Philosophia & literæ bonæ ea res sit, quæ potest & solet cùm ad omnia alia vitæ munia meliorem aptioremq; reddere hominem, tum nihilo minus etiam fortem in periculis adeundis, & sagacem in providendis avertendisq; ijsdem; Summâ, cum philosophia sit verissimè vivendi ars, magistra morum & disciplinæ, dux vitæ, virtutum indagatrix, vitiorum expultrix, animi cultura atque medicina, quâ nihil præstantius, nihil optabilius est homini datum divinitus; denique ea res, quæ homines in optimo statu collocare novit sive in hac sive in illa parte ex duabus modò notatis Reipublicæ operam daturus est: Nos hoc intelligentes etiam atque etiam in partem incumbamus, ut tantum bonum inter nos conservetur, non amittatur, cum multa exempla doceant, doctrinæ & literarum studia neglecta vel segnius curata etiam, ubi in summum gradum splendoris sui pervenerint, celerius quàm crederetur decidisse: adeoque cum constet, unà cum literis bonis virtutem pietatemq; negligenter cura citius extingui, quàm Sol Heracliti, ut est in proverbio Ciceronis.

Qua de caussa omnibus modis cavendum nobis statuamus, ne quid tale nostrâ culpâ, vel nostræ ætati, vel posteris nostris metuendum sit: operamq; demus, ut florentibus bonis literis ex earum cultu ac disciplina semper suppeditent Reipublicæ tum togati gubernatores prudentes & boni, tum imperatores item ac bellatores fortes atque industrij. Atque hoc pacto si & symbolum ipsum & symboli παράφρασις, & Laudes splendidissimæ, quas doctorum omnium judicia tribuunt conjugio harum duarum sive artium sive facultatum, à nobis erunt acceptæ; ut scilicet ab illis ad studia nostra amanda, urgenda, persequenda sedulo inflammemur, recti issimè illo fuerimus usi. DIXI.

ORA-

ORATIO TERTIÆ CLASSIS, RECITATA à JOHANNE WOLFGANGO ab Elrichshausen.



NOSTRAM ætatem nihil magis decet, quàm pudor, qui vetat causſas quærere, cur nobis ex partes dentur, ut loquamur tali in loco, in quo nihil puerile locum habere poteſt. Potius ergò in eam partem me componam, ut obediam mandatis eorum, qui plus intelligunt, dum ipſe quoque plus intelligam, quàm nunc per ætatem poſſum. Donativi noſtri epigraphe eſt ſanè mirabilis: Mundus, Pavo, cauda explicata & adſpectu deorſum vergente. Quomodo, quaque conſideratione quæſo hæc tàm diverſa conciliavit imaginis ſive Emblematis auctor? Id verò exprimit addita epigraphe, VANITAS: Ea videlicet res nobis hic conſideranda proponitur. Ille inquam affectus, quem Pavo refert, ſuperbiſſima avium, formæq; ſuæ ſuperbiens, quamvis pedum deformitate potius demittere debens criſtas, quàm erigere. Illa (ut dicam) in mundo univerſo uſquæ quaque oculis noſtris obverſans vanitas, oppoſita veritati, rei omnium in mundo præſtantiſſimæ: de qua veritate ita Plato: Veritas & Dius & hominibus dux eſt ad omnia bona conſequenda: Cujus, quicunque felix beatusq; futurus eſt, ſtatim ab ineunte ætate particeps eſſe debet, ut ita quàm diutiſſimè & veriſſimè vivat. Huic ſanctiſſimæ rei contraria eſt vanitas, res illa, quâ ut eſt orbis terrarum uſquæquaque refertiſſimus: ita eſt eadem à Deorum immortalium choro alieniſſima, non minus quàm invidentia, de qua hoc idem modò

laudatus auctor pronunciat: in cujus horrendi mali descriptionem si incumbere vellem, rem tentarem longè supra meas vires positam. Dicendum enim mihi esset de infinitis pestibus, quæ ex hac mala radice expullulant, & quarum plena est universa hominum vita: in quo argumento exitum non inveniret oratio. Ac mihi quidem videtur mystica evangelicæ historiæ sapientia in verbis Pilati, ut brevissimè, ita verissimè mundi sensus intimos depinxisse, cum Christo ad ipsius tribunal stanti, & affirmanti se Regem esse, in mundum ad id missum, ut veritati testimonium perhibeat, homo profanus & nihil nisi seculum sapiens respondet: Quid est veritas? Despis tu, qui te vera præ cæteris videre judicas, cum omnia sint talia, qualia putant & volunt, qui sunt potentiores, & qui in sua jura possunt cogere alios: ut nos Romani: aut, qui magnopere referre putas, quid sentiant homines de religione, de Deo & virtute atque probitate: cum sua cuiq; genti sit religio, suæ opiniones, mordicus retentæ observatæq; à singulis. Denique qui etiam certò perspectis veris sententiis speres, te revocaturum esse homines ad studium & amorem veritatis, & vera officia: cum omnium mores sint pleni fucorum, doli & insidiarũ, cumq; hæ pessimæ artes maximæ præmia, maximos honores habeant: & cum is, qui ad contraria nitatur, nihilo plus proficiat, quàm in publico incendio proficere potest unius hominis manu aggesta aqua. Hujusmodi videlicet est judicium mundi de veritate. Ut proinde merito dici possit:

Vita hominum nihil est nisi fumus, hypocrisis & fraus.

Tale quid mihi videtur haud absurdè de hoc nostro symbolo cùm cogitari, tum dici. Verùm quia hoc pelagus argumenti, ut sic loquar, ingredi, non est operæ pretium: deflectam ego ab hoc cursum navigationis meæ, & Salomonem, regem sapientissimum, quiq; probè cognitum habeat mundum, argumentum istud persequi sinam. Cujus illa est vox memorabilis: Vanitas vanitatum & omnia vanitas: *nimirum omne id in rebus humanis, unde abest ille, omnis sapientiæ principium & medium & finis & apex & fundamentum,* Timor Domini. *Atque hæc, ut dixi, verissima mihi esse videtur symboli explicatio: verùm ego hanc expositionem alijs adultioribus meditandam relinquens, ad nos pueros illud deinceps accommodabo. Nos ergò, quia ejus quem hic pictum videmus, quemq; sacræ literæ in maligno inq; vanitate situm esse dicunt, mundi portio sumus etiam ipsi, in eoq; vivimus, & victuri sumus, quoad volet Deus eviternus arbiter: adeoq; quia mundum intra nos*

habemus,

habemus & verò quia audimus mundum vanitati esse subditum totum: attendere hic summoperè etiam atque etiam debemus, Quonam modo nos rectè comparemus, ad benè decurrendum spacium in hoc mundo nostrum. Et alia quidem aliàs docemur: Nunc quid ista pavonis explicata cauda, & vero ejusdem deorsum ad pedes respectantis forma considerare nos jubeat perpendamus. Duo hic meo judicio indicantur, pueris præcipuè necessaria. Unum, laudis studium, quod ad rectè discendum agendumq; calcar & aculeum subdat, secundum illud poëtæ latini:

Laudatas ostendit avis Junonia pennas.

Alterum, pudor sive modestia, quæ in agnitione sui suæq; sortis, suæ infirmitatis, actiones cupiditatesq; regat instar habenæ ac retinaculi: Quod est jam temperamentum φιλοψυχίας ac modestiæ, etati nostræ æquè necessarium, atque est universæ vitæ necessaria Εὐβουλία & Σωφροσύνη, ut Protagoras dicit apud Platonem, hoc est: æquabilis quædam & suis numeris scitè congruens constructaq; ratio: ut ne nimis se efferat indoles illa animi humani indomita: sed deprimatur ratione ac pudore liberali, ex agnitione pedum, id est, humanæ conditionis, orto: qui pudor tanquam custos morum frenet animum, & ad officij curam revocet: ut ne id eis eveniat, quod multis officit, quo minus perveniant ad eruditionem justam, quod præmaturè concepta opinione doctrinæ, remittunt de studio, & intellecto uno aliquo argumento aut parte doctrinæ, stolidè putant, se sapientiores esse omnibus præceptoribus suis, omnibusq; adeò hominibus. Qualis arrogantia cùm ipsa per se est digna odio, tum omnibus salutaribus progressibus ita officit, ut quod maximè. O multum laudandos, qui hæc duo ita, ut dixi, conjungunt: animi dico elationem cum humilitate ac modestia. Hoc nos isto symbolo moniti faciamus. Cumq; ad discendum nos esse divinitus vocatos sciamus, discamus artes eas, quibus excolitur præstantissimum rationis donum, purgantes per eas sine doctrina facilè cæcutientem animæ oculum: ut doctrina exculti dignoscere possimus veras sententias & vera bona à falsis, nec quod maximæ hominum parti evenit, postquam in hac vita, veluti in specu Platonis, spectra opinionum pro veris sententiis, & umbras inanes pro rebus captaverimus, vanis & infelicibus studiis, tandem in barathrum æternæ miseriæ & vanitatis abijciamur. Discamus intelligere naturæ opus, divinitus conditum ad nostros usus, cùm alios, tum præcipuè eum, ut in illo opere conditorem admiremur, & ita ad illud Ens Entium, quod

unum vere est, & à vanitate omni longissimè distat, adjungamur Denique discamus bonas artes reliquas non ad fumum & fucum, non ad speciem & phantasiam sed ut verè sapiamus, & ita Deo optimo maximo, rerum omnium Domino, placeamus, ad cujus imaginem facti sumus. Sed jam dudum, puto, Harpocrates mihi digitum tollit, aut potius fastidit. Verbum igitur non addam amplius, nisi ut vos orem, ne huic meæ paulò prolixiori commentationi succenseatis. DIXI.

ORATIO QUARTÆ CLASSIS, RECITATA à JOHANNE-ERNESTO HALLER, Patric. Norib.

IN nostro donativo leonem videmus, victu aperto furenti ac minanti similem. In ejus capite manus conspicitur, cælitus protensa, vel quasi mulcentis caput ejus, quem dico, leonis: vel quasi pilis correptum eum ducentis. Puto ego leone significari affectus animi humani: quorum impetus rapidos ac vehementes notum est à sapientibus feris bellicis, leonibus, lupis, canibus, equis non cicuratis, sed infrenibus, comparari. Ac fortasse etiam adolescentiam, quæ præ aliis ætatibus affectuum quasi procellis ac tempestatibus agitur & fertur, leo iste notat. Manus illa è cœlo porrecta, & leonis caput prensans, ratio est atque disciplina divinitus affectuum turbæ præfecta: ita ut magisterio suo illos regat & compescat, itaque in potestate habeat, nunquam ut ex ea potestate exire possint: Quod absque hoc ma-

hoc magisterio fieri & solet, & oportet, cum magno rerum humanarum incommodo. Est enim in animo hominis naturaliter pugna horum duorum inter se: affectuum dico, & rationis: qua in pugna etsi quod est melius nobiliusq; (videlicet ratio) dominetur deteriori (affectui videlicet:) evenit tamen, ut non semper naturæ lex in hoc rerum conjugatarum ordine administrando observetur. Equus enim ferox & indomitus interdum sine ullo modo excurrens sessorem quoque, vel virium imbecillitate, vel artis equestris imperitia succumbentem secum rapit: quando fertur equis auriga nec audit currus habenas. *Hoc ne fiat, disciplina & institutio efficit, quæ rationi, aliàs imbecilliori, sese adjungens, unà cum illa violentos & rapidos illos spiritus compescit ac ducit ad optimam partem, atque præcipitio, in quod alioqui ferrent & ferrentur, avertit. Idq; facit, jam mulcendo eos opportunè, ac palpis convenientibus illorum ardorem mitigando: jam moderata adversatione, tractatione atque impulsione eos in gyrum rationis ducendo: & ita* PAULATIM, *ut inscriptio nostri symboli habet, longius ac longius procedit in illorum natura componenda, fingenda, formanda, ad statumq; naturæ hominis convenientem deducenda. Non enim aliter, quàm hoc temperamento severitatis & indulgentiæ, hoc opus, de quo agimus, peragi, aut ad finem optatum res illa deduci potest. Neque commodi sunt adolescentiæ regendæ illi magistri, quà modum hunc in puerili institutione observare tenereq; non didicerunt. Verùm de hac peritia, quæ in ijs esse debet, qui ingenia fingunt & formant, minus decet, ut ego puer loquar: cum præsertim satis constet, huic rei præesse apud nos viros tales, qui norunt & moderato obsequio, & amabili severitate in ingeniis ducendis uti: quiq; sedulò illud cogitant ac sequuntur, quod est sapienter à poëta dictum:*

Flectitur obsequio curvatus ab arbore ramus:
Frangas, si vires experiare tuas.

hoc est, qui omni diligentia ac circumspectione cavent, ne inconsultius resistendo studijs & cupiditatibus ætatis primæ frangant magis quàm corrigant, quibus consulere volunt ac debent. Itaque deinceps potius, quid mihi & hisce meis æqualibus spectandum sit in hoc symbolo proponam, nempe quod ad nos adolescentes potissimum pertineat. Neque verò tantum oportet, ut magistris nobis opus esse agnoscamus, eosq; admittamus patienter, & promtè libenterq; jussis eorum accommodemus: sed etiam ipsi discamus affectuum malorum

intemperias & agnoscere, & maturè coërcere, prius quàm diffundantur in animum, eumq. ex omni parte penitus subigant. Infectus enim cupiditatibus animus (qualis est omnium eorum, qui non à teneris sese culturæ accommodant) haud facilè virtutis & rationis freno regitur. Aversatur enim honestos & salutares monitus, & velut effrenis equus calcibus ac morsibus insultat, sessoremq. excutit & perturbat. Discamus ergò manum illam divinitus protensam, & jam blandè mulcendo, jam durius trahendo nos exercentem, patienter ferre, eiq. nos accommodare. Discamus inquam rationem, & per eos qui nobis præsunt, & per nosmetipsos etiam, ad optima hortantem magni facere: igniculosq. illius nobis oblucentes excitare, excolere, inq. vita & moribus sequi. Affectus autem, quia eos eruere neque naturæ humanæ conditio patitur, neque fortasse expedit id fieri, ita habeamus, ut eos, cum ad alia fortè nos incitant, non mox tanquam clausis oculis sequamur: sed paulatim magis magisq. illis renitamur, eosq. assuefactione ad officium ita paremus, ne illos habeamus ratione valentiores. Ita futurum est, ut ad injusta & rationi contraria facinora perpetranda vel non excitemur, vel si quando excitemur, statim tamen illos motus rationis freno compescere possimus. Quo in studio si esset hoc tempore in omni ætate major diligentia: major quoque esse poterat virtutis & pietatis proventus.

Sed quia hæc quoque oratio meæ ætati minus videtur convenire, ad pensum prius me revocabo: ad illam dico, de leone eo, quem intra nos gerimus, in obsequium disciplinæ adducendo considerationem. Et cum hoc, quod dico, humana ope sola effici non possit, sed majoribus omnino opus sit præsidiis, divini nempe Spiritus gratia, cujus unius auxilio illa portenta expugnantur: Deum precor & precabor, ut me & alios æquales meos ita regat & gubernet, ne pars animi melior deteriori succumbat: sed ut in ætate hac lubrica culturæ aurem patientem accommodemus, itaque adolescamus in eos homines, qui possint DEO *grata dicere & facere.*

DIXI.

GRA-

GRATIARUM ACTIO, RECITATA à PAULO SIDELMANN, Noriberg.

NULLA res dignior est hac nostra ætate nostrisq; studiis, quàm ut cum piis & castis Musis conjungamus decentes gratias, hoc est, ut beneficio affecti agnoscamus hoc, & ingenuè fateamur: Et verò gratiam quoque, quam sinit facultas, sedulò reddamus. Eaquè virtus est grata Deo & hominibus: sicut è diverso ingratitudo capitalis est pestis vitæ humanæ, DEO pariter & hominibus exosa. Quod cum ita sit, & vitium hoc turpissimum nobis est omnibus modis vitandum & virtus illi opposita solicitè consectanda. Quocirca ego & meo & horum commilitonum meorum nomine Tibi Deus *æterne, Pater Domini & Salvatoris nostri Jesu Christi, cum Filio tuo unico & Spiritu sancto tuo, uni vero, immortali, & soli sapienti Deo, ago gratias, non quantas debeo, sed quantas possum animo meo concipere maximas, quod hoc honestissimũ bonarum literarum domicilium nobis benignè aperuisti, & semel apertum conservas, ut in eo possimus doctrinâ sapientiæ divinæ & humanæ instrui, ad gloriam tuam, & nostram aliorumq; salutem. Teq; rogo toto pectore, tuere & conserva nobis idem hoc bonum: ut per nos & alios rectè institutos edoctosq; propagari possit in genere humano noticia tui, & fiant hic & alibi, quæ sint tibi grata.*

Ago deinde Amplissimo & Prudentissimo Senatui Noribergensi, & Nobilissimis Dominis Scholarchis, Domino item Procancellario Viro clarissimo, gratias, quas animus meus capere potest, maximas: cum pro alijs præclaris & amplissimis in nos meritis, tum pro honorifica nobis ipsorum præsentia.

Vobis præterea celeberrimi Academiæ hujus Doctores: Tibi Magnifice D. Rector, & cæteris clarissimis, reverendis doctissimisq; dominis Professoribus & præceptoribus summa observantia dignissimis, gratias immortales ago: quod fidelitate & industriâ vestrâ de nobis benè mereri non desinitis, optimis artibus ac disciplinis nos instituentes, & ad virtutem sedulò ducentes: absq; quo & hodierni diei honore, & multis alijs commodis carere nos oporteret. Nos vicissim vobis, clarissimi viri, præceptores q; honorandissimi, honorem, cultum,

cultum, observantiam omnem, ut studiosis adolescentibus dignum est, pollicemur ac præstabimus.

Ago denique gratias Generosis Dominis Baronibus, Nobilibus & studiosis, hospitibus, universæq; huic literatæ societati: qui sua honorifica præsentia & consessu gratissimo, actũ hunc cohonestârunt & auxerunt. Quibus etiam ipsis promittimus obsequia & officia nostra, similiaq; studia vel in consimili re, vel in alia quavis honesta: eaque sedulo & libenter nos ipsis præstituros pollicemur. Postremò universam hanc coronam rogo atque oro, ut si hæc mea gratiarum actio verbis est tenuior, quàm pro amplissimi hujus consessus dignitate, potius ex animis nostris orationem, quàm ex oratione sententiam atque officium nostrum æstimare velit. DIXI.

XIV. PANEGYRIS, Anni 1590.

SUB RECTORATU D. D. EDONIS HILDERICI, THEOLOGI.

ORATIO PRIMÆ CLASSIS, RECITATA AB ISAACO LUSSIO Dordraceno, Hollando.



Qui

QVi animantium cæterarumq; rerum naturas inveſtigant & perſcrutantur, Auditores optimi, ex omnium avium genere luſciniam maximè admirari ſolent: quod in tàm exili corpuſculo vox tam varia, tam ſuavis, tam clara atque contenta inſit; quod verno tempore cum arbores frondent, herbæ pubeſcunt, quindecim dies ac noctibus uſque & uſque liquidiſſimos cantus tenui gutture fundiret, atque intimos audientium ſenſus incredibili voluptate permulceat. Itaque & Ovidius ſcitè canit:

Dulcis amica veni noctis ſolatia præſtans,
Inter aves etenim nulla tibi ſimilis.
Tu philomela potes vocum diſcrimina mille,
Mille potes varios ipſa referre modos.

Unde quæſo in avicula tam pertinax ſpiritus? unde vis illa animæ contentæ tanta, ut una cantus continuatione geminatæ vocis & contentio & remiſſio audiatur? unde tam artificioſa, tamq; perfecta muſicæ ſcientia? tam ingenioſa modulatio? tam dulcis gratusq; ſonus? qui modo in longum continuo ſpiritu protrahatur, modò variè flectatur: nunc conciſa voce diſtinguatur: nunc intorta copuletur. Quid? cum iterum vocem revocat, & integra comprehenſione cantum edit? Quid? cum modulos præter opinionem repentè commutat? Quid? cum ipſa tacitè ſecum jucundè murmurat? nulla profectò tam difficilis, tam varia auditur cantio, quam non exprimat una luſcinia: plenam, gravem, acutam, crebram, contractam, diffuſam, attenuatam, inflatam, continenti aut intermiſſo ſpiritu emiſſam: ſummam, mediam, imam. Quid plura? tam parvulis in faucibus, tam in anguſto gutture, omnia, quæ ars humana multo labore, varijs inſtrumentis, cantionum genera excogitavit, plenè expreſſa reperiuntur.

Eſtne verò huic aviculæ, tàm jucundæ, tam innocenti ſuus etiam hoſtis, Auditores? Eſt profectò, id quod numiſma quoque noſtrum non obſcurè indicat atque innuit. Nam in eo expreſſa eſt imago luſciniæ, viperam velut acerrimum hoſtem tanto ſtudio & conatu à ſe propulſantis, ut vitæ periculum potius ſubitura, quam hoſtem ad nidum admiſſura videatur. Eſt nimirum hoc naturæ imperium: hæc vis & contraria affectio iſtis animalculis inſita, atque ingenerata. Nam multis in rebus tum animatis, tum inanimatis, naturale quoddam diſſidium notare & animadvertere licet: id quod exemplis

nonnullis planum faciamus. Homini infestissimum animal est crocodilus, qui arte malitiam adjuvat, & hausta aqua semitas facit lubricas, in quibus homines è Nilo aquam petituri, si collabātur, eos devorat, & trunco corporis absumto, caput lachrymis profusis macerat, & id quoq; tandem devorat. Equus 2. adversatur ursō, & hostem aggressurus cum transilit, saltuq; ipso posteriores calces capiti illius impingit: contrà verò ursus equi ventrem unguibus petit 4. & scalpit. Sic equus si in lupi vestigium pedem ponat, obtorpescit. Aquilæ dissidium est cum draconibus minoribus, itemq; cum trochilo. Aquilarum pennæ 5. cæterarum avium pennas comminuunt & absumunt. Araneus exitiosus est 6. serpenti & bufoni, quos aculeo in frontem adacto interimit. Simius miris mo- 7. dis adversatur testudinem. Acanthis odit asinum, & audito ejus clamore, ova è 9. nido dejicit: aut pulli ejus metu decidunt. Vulpes abominatur milvos. Leo 10. ad galli cantum contremiscit. Pullus gallinaceus vix ovo exclusus, milvum 11. aut accipitrem procul etiam visum exhorrescit: cum interim nec equum nec 12. elephantem reformidet. Lupus solo obtutu homini vocem adimit: idemq; a- 13. gnos tam crudeli odio prosequitur, ut pulsato tympano lupinis pellibus obducto, greges diffugiant: & vestimenta ex lana sive ex pellibus agninis lupi morsu violatis confecta, incredibilem pediculorum multitudinem procreent. Adeo 14. horum inimicitiæ ne morte quidem extinguuntur. Cancer attactus herba po- 15. lypodio chelas abijcit. Vespertilio ex incensæ hederæ suffumigatione moritur. 16. 17. Vultur ex unguentorum odore interit. Serpens, si ibis alâ tangatur, commoveri non potest: si verò in eum querna folia conijciantur, emoritur. Sic olores 18. & aquilæ, corvus & chloris, cornix & noctua, cæteraq; multa hujus generis animalia, mutuas inter se exercent inimicitias. Sic porrò in rebus inanimis 19. quocunque te animo & cogitatione converteris, exempla comperies. Quercus & olea ita inter se dissident, ut altera in alterius scrobe reperta elāguescat atq; 20. intereat. Sic quercus à juglande discordat. Sic vitis brassicam refugit, atque 21. in diversam partem sese reflectit. Similis inimicitia est inter cicutam & vinum: Cicuta quidem homini venenum est, cicutæ vero vinum. Sed quis omnia exemplа enumeret & persequatur? Hæc pauca ex innumeris delibare placuit, ut intelligeremus, inter viperam quoque & luscīniam nostram, non fortuitum atque extrinsecus accersitum, sed naturale, idq; perpetuum esse dissidium. Nam, ut norunt ij, qui serpentes ad venena paranda conficiantur & quærunt, viperæ plerunque circa cubilia nidosq; luscīniarum reperiuntur: & observatum est, luscīniam conspectâ viperâ mox obmutescere, suamq; dulcissimam

simam cantilenam in querebundam ac lamentabilem vocem commutare. Nec tamen interim nidum deserit & aufugit, sed alarum strepitu, & suis tanquam lamentis, hostem, quantum fieri potest, territare & propulsare conatur. Verùm quando animadvertit, suos conatus fore irritos, nec ulla ratione hostem profligari posse: tunc celeris sagittæ instar magno impetu in hiantes viperæ fauces involat: ac si fortè lethali morsu saucietur, tunc vitæ suæ interitu testatur, se pro viribus elaborasse, ut bestiam venenatam à se suisq; repelleret: malùisseq; mortem egregiam fortiter oppetere, quàm in perpetuo insidiarum metu versari. Hoc insigne exemplum, Auditores, nobis ad imitandum proposítum esse statuamus. Nam & homo suos & domesticos & exteros insidiatores & hostes habet, à quibus pericula metuat necesse est. Corpus quidem hominis non modò senectuti & morti, mille de causis impendenti, sed infinitis etiam morbis ac læsionibus est obnoxium, ad quæ partim prudenter vitanda, partim æquo animo perferenda, diligenti præparatione opus est: ut nimirum unusquisque animum habeat Deo dicatum, ejusq; ope fretum, ut moderatè & innocenter vivat: ut quantum fieri possit, ea quæ nocitura videantur, declinet & avertat. Sed de corpore nunc non est dicendi locus: Animum hominis intueamur, ejusq; hostes paulò accuratius dispiciamus.

Menti autem humanæ inprimis adversantur tetra insciticæ atque erroris caligo, & prava cupiditas. Caligo discutitur cognitione rerum divinarum & humanarum, qua tanquam luce circumfusa mens facilè cernit, quid verum, quid falsum, quid rectum, quid pravum, quid appetendum fugiendumve sit. Ut enim oculus cernere non potest, nisi res aspectabiles Solis luce collustrentur: ita nec mens suas functiones rectè obire potest, nisi doctrinarum lumen ei affulserit. Cupiditas autem prava variè mentem divexat & perturbat: cum videlicet animus aut voluptatum illecebris, aut dolorum facibus, aut divitiarum splendore, aut obscura paupertate, aut honorum siti, aut ignominiæ metu, aut mortis terrore variè afficitur, & veluti fluctibus perturbationum, in diversas partes agitatur, ita ut neq; virtutis, neque sapientiæ studiis vacare possit. Etenim ut de avaritia & de ambitione nunc nihil dicam: quanta quæso vis est & incitatio voluptatum atque libidinum, quæ initio quidem velut blandissimæ pellices blandiuntur, sed cum animos occuparint atque subegerint, dominantur ac tyrannidem exercent, & plurimos ad flagitia & scelera, indeq; in omne genus calamitatum præcipites agunt: ut in amatoribus,

toribus, & ebriosis aleatoribus cernere licet: qui, ut Phædria Terentianus, prudentes scientes pereunt, nec tamen pernicioſum illud jugum ſuarum voluptatum ulla ratione excutere poſſunt. Unde Cicero rectè ait: Nullam capitaliorem homini peſtem eſſe quam corporis voluptatem. Hæc, hæc eſt illa vipera atrociſſima, quæ Scholas & Academias pervadit: & luſciniis, hoc eſt adoleſcentibus inſidiatur, eosq; veneno ſuo inficere atque corrumpere conatur.

Quæ cum ita ſe habeant auditores, neminem veſtrum eſſe puto, qui non omni cura, ſummo q; ſtudio adverſus iſtos pernicioſiſſimos humanæ ſocietatis hoſtes, nimirum contra ignorantiam pro eruditione, & contra improbitatem pro virtute, acriter & fortiter, atque etiam ſi res ita poſtulet, cum valetudinis & facultatum ſuarum periculo & jactura depugnandum eſſe ſtatuat. Voluntas certè, & honeſtus conatus, magnam habent vim, & quidem in virtutis ſtudio tantam, ut facultas etiam plerunque illam ſequatur. Qui ſtadium currit (inquit Cicero) eniti & contendere debet, quàm maximè poſſit, ut vincat: ſic qui in literarum curriculo verſatur, omni opera & ſtudio elaborare debet, ut eximiam ſapientiæ & virtutis laudem conſequatur. Quod ſi ea vis ingenij, ea ſubſidia facultatum, ea corporis vires, ea hominum ſtudia non ſuppetunt, ut optatus labori reſpondeat eventus: non iccirco animus remittendus eſt, aut abjecta haſta de ſtatione decedendum. Nam (ut pereleganter Simplicius ſcribit:) τὸ καταρθῶν οὐκ ἐν τῇ πράξει, ἀλλ' ἐν τῇ προαιρέσει ἐστὶ. Id eſt, Rei benè geſtæ laus non ex eventu ſed è conſilio & voluntate ponderanda eſt. Atque ut noſtrum ſymbolum habet: UT DESINT VIRES, tamen eſt laudanda voluntas.

DIXI.

ORA-

ORATIO SECUNDÆ CLASSIS, RECITATA à HIERONYMO SCHALLERO, Witebergensi.



ITER adolescentiæ non minus incertum esse, quàm serpentis viam in rupe, & navis vestigium in mari, & avis volatum in aëre, nisi divinitus gubernetur, sapiens quidam Hebræus affirmavit. Cùm enim autore Platone, & teste experientiâ, homo sit animal natura mutabile: quid de adolescentia sentiendum est? quæ & propter calorem ætatis, & humorum mutationem, & importunos affectus, & rerum imperitiam, facilimè in hanc illamve partem impellitur: sed facilius in deteriorem. Est enim hæc ætas in primis pravæ cupiditati obnoxia, quæ illecebra est turpitudinis & esca malorum, qua improvidus adolescens facilè capitur, nec tamen se captum sentit, nisi cum imprudentiæ pœnas luit. Atque huius rei imago in brabeo nostro proponitur, in quo leo pedem spina confixum ostentans cernitur, cum hoc Emblemate: SAUCIUS ERRO. Quod symbolum ut exactius intelligatur, operæ pretium fuerit ex Æliano & Gellio repetere historiam Androdi servi, quem fugitivum leo in Africa triennio aluisse, & postea feris objectum (inter quas fortuitò, idem leo tum captus erat) adversus pantheram defendisse fertur. Cum à senatore Romano servus, cui nomen Androdus erat, aufugisset, ut tutò deinceps latere posset, in solitudines sese contulit: ubi cum solis ardores perferre non posset, in speluncam refrigerandi recreandiq; sui causa secessit. Erat autem specus iste latibulum leonis, qui tum aberat, feraq; persequebatur. Hic cum à venatu

pede graviter sauciato, redijsset, atque in juvenem incidisset: ipsum blandè ac mansuetè aspexit, & tanquam vulneris curationem ab eo flagitaturus, pedem saucium ipsi porrexit. Servus etsi primùm toto pectore tremebat: tamen animadversa leonis comitate, cognitoq; pedis morbo, seipsum collegit, animoq; erectiore esse cœpit: mox itaq; spinam, qua leo confixus erat, è pede extraxit, cruorem absterst, omnemq; doloris acerbitatem ita mitigavit, ut leo pede in manu Androdi posito, aliquantisper incubuerit ac conquieverit. Sed & χάρον seu præmium curationis medico suo persolvit. Nam quascunq; feras cepit, eas cum Androdo communicavit; atque adeò tàm gratus, acceptiq; beneficij tàm memor fuit, ut & hospitium & victum homini benè de se merito præbuerit. Verùm Androdus triennio ita exacto, habitationis & solitudinis satietate atque fastidio affectus est: Itaque specum absente leone tandem reliquit ac demigravit. Sed cum vix tridui iter confeciisset, à militibus captus & vinctus, Romamq; deductus est, ubi ab hero suo de admisso facinore reus factus, capite damnatus est, ut bestiis dilaniandus objiceretur. Cumq; jam ad pugnam cum bestijs committendam intruderetur, ecce leo quoque, qui omniũ atrociissimus ac sævissimus habebatur, hominis antehac hospes, & non ita pridem captus, cum alijs immanissimis bestijs in theatrum immittitur: qui simulatq; Androdi præsentiam animadvertit, primum velut admiratione obstupefactus, substitit: sensim deinde ac pedetentim ad hominem accedit, caudæ blanditijs eum permulcet, & pedes manusq; ejus leniter lambit, nihilq; prorsus prætermittit, quod ad hominem metu propè exanimatum erigendum & confirmandum pertinere videatur. Androdus incredibili illa leonis humanitate perspecta, respirat, atque in spem meliorem inductus, leonem vicissim alacrioribus oculis intuetur: atque ita alter alteri læto vultu de mutua recognitione quasi congratulatur. Interim cum panthera hominem invadere conaretur, leo hospitem suum non modò à laniatu defendit, verùm etiam pardalim discerpit atque dilaniat. Hoc spectaculum summam admirationem spectatoribus movit. Et Cæsar (seu quis alius fuerit, qui hoc spectaculum exhibuit) Androdum ad se accersivit, ex eoq; rem universam penitus cognovit: quæ cùm passim deinceps divulgaretur, universus populus acclamatione sua & servum & leonem libertate donandum esse significavit. Itaque Androdus non solum crimine absolutus, & in libertatẽ vindicatus est; sed etiam leo totius populi suffragijs ei donatus est: quem cum postea tenui loro vinctum tota

urbe

urbe circumduceret: homo quidem ære cumulatus, leo verò floribus liberaliſſimè conſperſus eſt, & obvij quiq. acclamarunt:

Hic eſt leo hoſpes hominis: hic eſt homo medicus leonis.

Hæc inſignis hiſtoria, Auditores optimi, de duabus potiſſimum rebus nos monet. Primum de vitiis atque erroribus noſtris maturè corrigendis: deinde de gratia benè meritis perſolvenda. Nemo quidem in hac mortali vita reperitur, qui in tanta ingenij caligine & imbecillitate virium ac pravitate voluntatis, inter malorum inſidias atque injurias, & multiplices fortunæ procellas, non ſæpenumerò erret, impingat, labatur: ſed tamen omni cura providendum atque enitendum nobis eſt, ut, ſi virtutem perfectam aſſequi non liceat, ſaltem ſequamur, & ad eam aſpiremus. Etſi enim humanum eſt errare, neminis tamen, niſi inſipientis eſt in errore perſeverare. Quod ſi igitur nos erraſſe intelligamus, ſtatim de erratis ac delictis etiam minimis corrigendis cogitandum eſt. Nam qui in parvis ſibi ignoſcit, paulatim ad majora proceditur, donec in omnem turpitudinem prolapſus, nec decus nec honeſtatem curet. Quod ſi verò à nobiſmetipſis medicinam impetrare non liceat, tum fidelis prudentisq. viri monitis opem quærere debemus, à quo ad ſalutem reducamur. Quemadmodum enim leo noſter ſaucius tantiſper oberravit, dum in hominis conſpectum incidit, atque ab eo vulneris curationem efflagitavit: Ita adoleſcens, qui in vitijs & erroribus vulnus accepit, conquieſcere non debet, donec in bonorum ac prudentum virorum conſilijs & admonitionibus ſalutarem animi vulnerati medicinam inveniat, qua inventa omni ſtudio cavere debet, ne denuò cupiditate victus in aliquam turpitudinem relabatur: atq. ne vulnus, quod conſanuiſſe videbatur, majori cum periculo recrudeſcat. Reliquum porrò eſt, Auditores, ut de altero hiſtoriæ noſtræ fructu, qui ad gratiam benè meritis perſolvendam pertinet, breviter dicam.

Hoc namque noſtrum potiſſimum munus atque officium eſt, ut memoriam acceptorum beneficiorum perpetuò conſervemus: & ijs, qui de nobis benè meriti ſunt, gratias debitas habeamus, & verò, quantum in nobis eſt perſolvamus. Sic enim & accepta beneficia tuebimur, & amplioribus muneribus ac donis augebimur. Nam gratia parit gratiam, & animos alios alijs nectit, ac ſingulari inter ſe benevolentia devincit atque conglutinat: adeo ut animus memor & gratus nunquam præmio careat: ſed eorum genere bonorum ornetur ac cumuletur, quorum memoriam inviolatè pieq. conſervat. Athenienſes olim fa-

olim fanum Gratijs in media urbe dedicarunt: Quo indicarunt, omnem civilis societatis rationem Gratiarum quasi quodam numine contineri. Est enim in animis gratis magnum quoddam justitiæ munus, & firmum Reipublicæ præsidium. Nec enim ullum est majus concordiæ vinculum gratiâ atque remuneratione. Itaque Deus in primo Levitici capite, quod ad hominum convictum pertinet, proposito præmio mortales ad remunerationem allicit & invitat. Idem ipsa natura docet, nosq; exemplo suo ad beneficij accepti fidelem gratamq; memoriam tacitè allectat. Nonne agri fertiles multo plus afferunt, quàm acceperunt? Intueamur bestias, annon in immanissimis quoque tam eximiæ virtutis simulacra & vestigia animadvertere licet? Urbs fuit in

A2. *Achaja, cui nomẽ fuit Patræ, in qua (ut Ælianus scribit lib. 13.) puer quidam draconem emerat & educarat: cum quo non aliter atque cum intelligente colloqui & lusitare, & unâ etiam dormire consuevit. Cùm verò draco adingentem magnitudinem excrevisset, è civitate in solitudinem dimissus est. Aliquot annis pòst, cum puer adolescens factus, & cum sodalibus suis è spectaculo reversus in latrones incidisset, & clamores edidisset: ecce præter opinionem*

A3. *draco præsto fuit, & alios in fugam vertit, alios interemit: pucrum verò salvum & incolumem conservavit. Sic panthera bestia truculentissima, cum forte (ut Demetrius physicus autor est) catulos suos in fossam delapsos, attollere non posset, ad hominem tandem, quem è longinquo conspiciebat, sollicita ac veluti supplex accurrit, eum toga leviter apprehensa ad fossam adducit: & miris blanditijs nutuq; anxio, quid fieri cuperet, significat. Mox catulis eductis, hominem per desertissimas valdeq; periculosas solitudines comitatur, à reliquis bestijs eum defendit, nec ab ejus latere discedit, donec in loco tuto collocet, & nutu blandissimo tanquam gratijs actis dimittat. Quod si bestiæ rationis & orationis expertes erga benè de se meritos tàm memores gratæq; sunt: quantò magis homo imago divinæ mentis hanc pulcherrimam virtutem, quam vulgò Gratitudinem vocant, colere atque exercere debet?*

Quamobrem, Adolescentes ornatissimi, quemadmodum leo noster simul atque jauciatus fuit, vulneri suo medicinam quæsivit, ac invenit; & verò medico curationis præmium liberalissimè persolvit: sic nos quoque erroribus nostris remedia maturè comparemus, hoc est prudentum & doctorum virorum consilia & monita admittamus: errores nobis eripi, mores depravatos nobis corrigi, non solum æquo animo feramus: sed etiam pro acceptis salutaris

doctrinæ

doctrinæ beneficijs gratias debitas habeamus, agamus, & quibuscunq; rationibus fieri possit, memori mente persolvamus. D I X I.

ORATIO TERTIÆ CLASSIS; RECITATA à CHRISTOPHORO CAMERARIO, Patricio Noribergensi.



IN numismate quod ego alijq; nonnulli ordinis mei adolescentes accepimus, Auditores humanissimi, affabrè expressa est rupes gladio præacuto transfixa: cui hoc lemma adjunctum est: ACUIT UT PENETRET. *Quo admonemur, nihil esse tàm altum, nihilq; tàm durum & asperum, quò ingenij humani vis & acumen penetrare non possit. Sed ut ferrum per se rupes sive saxa incidere & insecare non potest, nisi prius acuatur: Ita nec ingenium rude & incultum res subtiles atque reconditas vi sua perspicere, earumq; difficultatem superare potest, nisi doctrina & labore tanquam duabus coticulis probè exacuatur. Doctrinæ autem appellatione nunc intelligo Grammaticam, Logicam & Rhetoricam, quæ omnium scientiarum & disciplinarum quasi famulæ quædam atque ministræ sunt. Et quoniam earum usus tàm longè lateq; patet, quàm vitæ humanæ fines proferuntur: Idcirco cujusq; naturam sigillatim inspiciamus, ut quantum unaquæq; ad adolescentum ingenia exacuenda valeat, perspicuum fiat. Ac primùm quidem Grammatica cuiq; discenti maximè est necessaria, quæ pura & emendatæ orationis magistra, rudibus ad omnes doctrinas viam patefacit.*

Est q. reliquarum tanquam radix & fundamentum. Nam ut arbores absque radice vigere & consistere non possunt: sic absque hac arte nulla alia doctrina adolescere & maturescere potest. Et quemadmodum substructionis fundamentum firmum ac stabile esse oportet, cæteroquin quicquid superstruxeris corruet: sic nemo ullam excellentis doctrinæ laudem assequetur, nisi prius Grammaticâ bene cognitâ gradum ad reliquas artes sibi præmuniverit. Unde apud antiquos tantùm autoritatis fuit Grammaticis, ut de omni scriptorum genere liberè judicarint, ac proinde Criticorum nomen adepti fuerint: In quibus Aristarchus censoria severitate celebris, maximum jus habuisse dicitur.

2. *Logica autem benè docendi ac disputandi rationem docet, qua ex notis ignota, vel opinando, vel sciendo consequimur. Hæc rem definiendo explicat, eamq. in partes exactè distribuit: argumentum ratione concludit: consequentia & repugnantia videt, ambigua distinguit, & in omni sermone quid verum, quid falsum, quid verisimile, quid absurdum sit, animadvertit. Itaq. non absque causa ὄργανον ὀργάνων καὶ χεὶρ τῆς Φιλοσοφίας, hoc est, instrumentum excellentissimum & manus philosophiæ inscribitur: Et autore Platone oculos humanos in barbarico cæno defossos sensim attollit atque abstergit, ut in judicando acutius cernere queant. Ad hæc Logica est fundamentum eloquentiæ. Nam benè dicendi finis est persuadere seu fidem facere. Fides autem vi argumentorum & copia exemplorum fit. Logica verò docet, unde argumenta sumenda sint, quomodo concludenda, quo item artificio exempla tractanda, usque adeo, ut sine Dialectica præsidio omnis plerorumq. oratio inepta, jejuna, exanguis, enervata meritò censeatur.*

3. *Quid porrò de Rhetorica dicam? Cujus vis & dignitas tanta est, ut nihil pulchrius, nihil præclarius, nihil utilius, nihil denique homine dignius esse videatur. Quid enim tàm admirabile, tamq. jucundum auditu, quàm gravibus sententijs ac splendidis verbis ornata & perpolita oratio? quid tàm potens atque magnificum, quàm voluntates allicere, & animos in quamcunque velis partem oratione permovere? quid ad Scholas, ad Ecclesias, ad Respublicas constituendas moderandasq. efficacius, quàm sapientiæ comes eloquentia? Hæc enim jacentes excitat, afflictos recreat, languentes stimulat, vigilantes inflammat: bonis præmia constituit, improbis pericula denunciat: hæc populi sive ad seditionem concitati sive ad pravas opiniones, corruptosq. mores prolapsi, mo-*

lapsi, motus ad obedientiam, ad veras sententias, ad vitam probatam revocat. Quid enim aliud est, quàm dicendi prudentia? Prudentis autem usus c
tum in verbis, tum in factis consistit, ut nimirum & prudenter dicamus, & c
prudenter agamus, quorum in utroq; olim omnis laudabilis disciplina posita c
erat, ut autor est Homerus, apud quem Phœnix ait: Achillem sibi à patre Pe- c
leo traditum fuisse, ut illum & verborum oratorem, & rerum actorem efficeret: μύθων τε ῥητῆρ' ἔμμεναι, ἠδὲ καὶ ἔργων Deinde eloquentia præcipuum humani ingenij decus est & ornamentum, quo homo non solum cæteris animantibus præstat, sed etiam reliquis hominibus antecellit. Hinc rectè Cicero dixit: Ut hominis decus est ingenium sic ipsius ingenij decus est eloquentia. Itaque apud veteres in summo honore atque pretio fuit. Nam & summi principes, cum non minimum dignitatis suæ præsidium in dicendi facultate constitutum putarent, eloquentiæ operam dederunt. Certè constat Philippum Macedonis regem, ejusq; filium Alexandrum dicendi laude floruisse. In liberis autem populis ac civitatibus semper illa regnum obtinuit: adeò ut nemini princeps in ijs daretur locus, nisi eloquentiæ gloria excelleret. Nam ut Athenas cæteraq; Græciæ civitates nunc præteream, Romæ profectò tantùm valuit eloquentia, ut nemo, quamvis nobilitate, rebusq; gestis clarus & insignis, confideret facilem sibi aditum ad summos honores patefactum iri, nisi dicendi laudem cum militari virtute conjunxisset. Hinc Claudij, Lælij, Scipiones, c
Galbæ, Catones, alijque multi in dicendo principes extiterunt, & tandem Cicero c
tam absolutum eloquentiæ specimen dedit, ut eam ob causam Romulus c
Arpinas in foro regnare diceretur.

Neque verò, postquam Respub. regio dominatu gubernari cæpit, eloquentiæ studia interciderunt. Nam ut de Julij Cæsaris elegantia nihil dicam, Octavianum certè dicendi laude præstantem fuisse constat. Imò ne tyranni, ut Caligula, Nero, Domitianus, & alij hac dicendi facultate caruerunt. Verùm & posterior ætas multos eximios viros tulit, qui artem dicendi omni studio coluerunt: nec nostra memoria desunt, qui in ea excolenda & locupletanda multum operæ studijq; ponunt. Atque adhuc unam coticulam, qua humani ingenij vis actuatur, breviter adumbravi: Consequens nunc est, ut de altera, hoc est, de labore & industria, quàm brevissimè dicam. Multum quidem valet institutio, sed nisi labor rerum effector optimus, accedat, finem nobis præstitutum assequi non licebit. Labor autem iste duobus potissimum offi-

eis constat, quorum alterum in audiendo, alterum in commentando positum est. Quicunque igitur ad eruditionis & virtutis laudem aspirat, is primùm quàm diligentissimè præceptores & professores audiat, & quæ memoria digna audierit, ea vel scriptis mandet, vel, quod longè commodius est, memoriæ imprimat atque infigat, & frequenter repetat, assiduaq; meditatione ita confirmet, ut excidere ex animo, atque effluere non facilè queant. Neque enim memoria semper est fida rerum perceptarum custodia. Itaq; sapientissimus Plato rectè monet: δὶς καὶ τρὶς τὸ καλὸν. hoc est, bis aut ter quod pulchrum est, repetamus. Nihil enim in bonis ingenijs diuturnum est, nisi quod assidua commentatione nobis familiare, & quasi domesticum efficiatur. Neque enim ulla in nobis scientia inest, nisi quæ per habitum (ut philosophi loquuntur) hoc est, per diuturnam consuetudinem in animis nostris penitus insederit atque inveterarit. Deinde (quod alterum laboris caput est) adolescens scriptioni sese dedat: quæ quantum utilitatis afferat, ostendit Crassus apud Ciceronem his verbis: Caput est quod minimè facimus (est enim magni laboris, quem plerique fugimus) quàm plurimum scribere. Stylus optimus & præstantissimus dicendi effector ac magister, neque injuria. Nam si subitam & fortuitam orationem commentatio & cogitatio facilè vincit: hanc ipsam profectò assidua ac diligens scriptura superabit. Quapropter adolescens quotidiè aliquot horas in scribendi exercitatione ponat: ita tamen, ne quicquid sub acumen stylo subierit, temerè admittat: sed diligentem rerum atque verborum delectum habeat: detq; operam, ut oratione utatur pura, dilucida, aperta, elegante, distincta, ornata, qualis est Ciceronis, qui inter reliquos oratores velut Hesperus inter stellas, aut velut inter ignes Luna minores eminet: Ita præ cæteris etiam amandus, diligentissimè evolvendus, studiosissimè imitandus est. Atq; adhuc de utraq; coticula, arte videlicet atque labore, quibus rudia ingenia ad philosophiam omnemq; liberalem disciplinam acui possint, à me dictum est.

Quod si igitur, Adolescentes optimi, rupes sive saxa insecare ac penetrare, hoc est, omnes difficultates, quibus natura res magnas circumsepsit, superare, atq; sapientiæ & virtutis laudem adipisci cupitis: necessum erit, ut gladios, hoc est, vestra ingenia acuatis, id est, artium dicendi cognitione & auscultationis scriptionisq; assiduitate exerceatis & perpoliatis, planeq; vobis persuadeatis, nihil esse tàm arduum ac difficile, nilq; tàm alte à natura positũ, quò doctrina viam non monstret atq; aperiat, & quò labor & industria eniti ac pervenire non possit. DIXI. ORA-

ORATIO QUARTÆ CLASSIS, RECITATA à CHRISTOPHORO FÜRER, Patric. Noriberg.



NEminem in hac ampliſſima corona, cæteraq; circumfuſa multitudine eſſe puto, Rector Magnifice, qui inſtituti noſtri rationem ignoret, nec cauſas perſpiciat, cur nos quatuor adoleſcentes è reliquo grege diſcipulorum evocati, atque in hoc loco ad agendum ampliſſimo, ad dicendum ornatiſſimo, collocati ſimus. Itaque prolixiori officij noſtri commemoratione & commendatione prætermiſſa, ad Emblemata noſtra aggrediemur, & quàm breviſſimè ac planiſſimè licebit, ea explicabimus. Illud modo, antequam ulterius provehar, à vobis, Auditores humaniſſimi, ſummopere peto, contendoq;, ut quando omne nobis perfugium in veſtra humanitate ſitum eſt, tenuitatem noſtram veſtro favore ſublevetis, atque non aures modo, ſed mentes quoque attentas nobis pauliſper adhibeatis.

Atque ut ego quidem hinc exordiar: In brabeo, quod mihi jam Ampliſſimorum Scholarcharum munere datum eſt, vomer inſignitus atque impreſſus extat, cum hoc Emblemate: SPLENDESCIT IN USU. *Quo nihil aliud innui & indicari videtur: quàm exercitatione uſuq; res cunctas & meliores & ſplendidiores fieri. Namſive animum, ſive corpus intuearis, & vel literarum ſtudia, vel vitæ degendæ rationem conſideres, exercitatio iſta ad ſingula iſta tum augenda, tum exornanda, incredibilem vim & facultatem habet. Animus quidem exercetur, & politior ſplendidiorq; evadit, ſi aſſiduè*

aut aliquid doctrinæ & virtutis accedat, aut aliquid vitiorum atque insciti æ decedat. Hominis enim summum decus & ornamentum est virtus & sapientia, quæ utraque eum informat, & exornat, ut & intelligat, quæ in hoc mundo, tanquam in amplissimo amphitheatro, summus rerum opifex Deus intuenda cognoscendaq; proposuit, & verò agat ea quæ rectæ rationi sunt consentaneæ. Neque verò ullum ingenium tàm excellens, tamq; perfectum reperitur, quin cessatione ac intermissione usus & industriæ langueſcat & minuatur. Quicquid enim negligitur, aut parùm curatur, quamvis per se optimum pulcherrimumq; sit, brevi temporis spacio obsoleſcit & interit: ut cum in vestibus ac ædificijs, tum verò ac multo magis in adoleſcentum ingenijs animadvertere licet. Imò verò etiam doctissimi homines, cum de suis studijs remittunt, multarum rerum obliviſcuntur, atque ad præstanda doctrinæ officia, sive dicendo, sive scribendo, & tardiores & ineptiores fiunt. Idem accidere solet bonis viris, quando probitate sua nimium sveti pauło ſecuriores esse cœperint: tum enim facilè vel voluptatibus capiuntur, vel à pravis animi affectionibus superantur. Nam ut ager niſi colatur, sentibus & noxijs herbis obducitur: sic animus niſi virtutis doctrinæq; studijs assiduè exerceatur, pravis opinionibus vitioſisq; cupiditatibus inficitur ac depravatur. Jam verò & corpus, cui arctissima cum anima necessitudo est, exercitatione opus habet. Hæc enim incorruptam valetudinem tuetur, morbos propulsat, omnes nervos, omnia membra omnesq; sensus, vires & facultates corporis auget, confirmat, atque expeditiores ad quævis negotia obeunda facit. Contrà verò ignavia ac deſidia vires enervat, sensus debilitat, sanitatem affligit, & totum corpus morbis obnoxium, & ad omnes vitæ actiones languidum ac ineptum reddit. Id quod partim ex deſidioſis, partim laborioſis hominibus cognoscere licet: quorum illi vitioſis humoribus pleni, calculoſi, podagrici: hi verò integri, robuſti, sicci & sani sunt, vitæq; diuturnitate illos plerumque superant. Quod cum prudentiſſimus Cicero proſpiceret, valetudinis suæ infirmitatem certo paſſuum numero correxit ac confirmavit. Sic Demoſthenes quoq; in ſubterraneo conclavi, semiraſo capite meditatus est, geſtus corporis ad ſpeculum ingens formavit, & strictum gladium de lacunari ſupra humeros ſuſpendit, Satyro hiſtrioni ſe erudiendum tradidit, lapillis linguæ ſubjectis balbutientem emendavit, imbecillitatem ſpiritus arduo aſcenſu ingrediendo & aliquid recitando correxit: ad fluctuum murmur ventorumq; turbines declamitans

clamitans concionis procellas, hoc est, tumultuantem & obstrepentem populum atque exsibilantem contemnere didicit. Quæ mirabiles ac prope incredibiles exercitationes Demostheni non ad eloquentiam duntaxat, sed etiam ad sanitatem ac vires corporis haud dubiè profuerunt. Apud Persas oportebat adolescentes ante prætoria excubare, ac magistratibus præstò esse in omnibus ijs, quæ mandarentur, exequendis. Ad hæc exercebantur sagittis jaculisq; mittendis, pane, nasturcio, & aquæ potu contenti, quæ victus ratio adeò erat tenuis, ut & anhelare, & expuere & emungi publicè turpissimum haberetur. Apud Græcos Lycurgi legibus sancitum erat, ut perpetuis laboribus juventus exerceretur. Lex Draconis capitali pœna otiosos mulctabat: Solon ignominiâ eos notabat. Sed & Romani sua habuerunt Gymnasia, quibus juventus exerceretur, atque ad bellicos labores, quibus patriæ fines longè lateq; proferri possent, institueretur & assuesceret. Sed quorsum hæc commemorantur? quorsum? ut intelligamus, sapientissimas gentes omnem adolescentiæ rectè instituendæ rationem in labore posuisse: & nihil esse tam rude ac impolitum, quod usu & exercitationis assiduitate non expoliatur & splendescat. Nam ut vomer sulcis imprimendis attritus splendescit: sic ingenij corporisq; vigor negotijs tractandis excitatur, augetur ac enitescit. Contra verò, ut ferrum si eo non utaris, rubigine obducitur, atque exeditur: sic ingenia quoque ignavo inertiq; otio hebescunt & pervertuntur.

Quæ, cum ita sint, Auditores optimi, communi certè sensu carere videbimur, si non otium atque desidiam, tanquam animi corporisq; pestem, omniumq; vitiorum nutriculam, vitemus ac detestemur, omniq; studio elaboremus, ut usu atque exercitatione splendescere, hoc est, virtutis & doctrinæ nitorem ac splendorem vel in foro & judicio, vel in magistratu & curia, vel in Scholis & Ecclesijs Christi, vel denique in aliis Reipublicæ locis obtinere atque tueri possimus.

DIXI.

PANE-

XV. PANEGYRIS, Anni 1591.

SUB RECTORATU D. D. EDONIS HILDERICI, GERENTIS vicem D. Matthiæ Indenij, J. V. D.

ORATIO PRIMÆ CLASSIS, RECITATA à JOHANNE-WOLFGANGO ab Elrichshausen.



QVm Academiæ hujus consuetudo & institutum, Rector Magnifice, jubeat adolescentes, qui tum è classe prima ad publicas Acroases, tum ex inferioribus ad superiores reliquarum classium ordines ascenderunt, rationem aliquam sui profectus publicè reddere: id ij pro tuo jure nunc nobis imperes: parebo & consuetudini & voluntati tuæ: & quidem tantò libentius, quantò magis optata atque idonea ad dicendum materia mihi proposita est. Explicandum est enim Emblema brabei, Amplissimorum Scholarcharum munere mihi liberaliter tributi: quod etsi ejusmodi sit, ut copiosam orationem requirere videatur: tamen, quia tem-

quia temporis habenda est ratio, quàm brevissimè planissimeq; potero, id exponam in spem certissimam adductus, fore, ut quicquid tum à me, tum à reliquis meis condiscipulis hoc in loco dicetur, si minus elaboratum ac perpolitum, at certè non ingratum vobis videatur.

In altera itaque numismatis mei parte effigies atque imago arboris proceræ extat, in cujus cacumine corona cernitur, ad quam adolescens arduo difficilique ascensu contendit, eamq; manu prehendere & auferre studet. Ad radices arboris serpens eminentibus oculis, inflato collo, tumida cervice sese attollit, qui adolescentem sibilo morsuq; ab ascensu retardare conatur. Hæc imago adjunctum habet ejusmodi Emblema : VIRTUTIS GLORIA MERCES. *Quo ut puto, admonemur, veram gloriam, veræ virtutis & eruditionis fructum, in excelso & illustri loco esse positum, ad quam nullus absque labore cuiquam aditus pateſiat. Arbor itaque in numismate nostro efficta est liberalium artium ac disciplinarum : procera admodum, aspectu horrida, cortice aspero, radice amara, ascensu difficilis : sed fructibus uberrimis & suavissimis maximè insignis : sapientia nimirum & virtute, cujus utriusq; comes ac veluti merces est gloria, coronæ simulachro notata atque expressa. Etenim ut labori merces : sic virtuti nullum justius præmium persolvi potest, quàm Honor & pervagata consentiensq; laus bonorum, & incorrupta vox rectè judicantium. Et quemadmodum in Olympicis certaminibus corona iis duntaxat decernebatur, qui aut cursu, aut pugilatu, aut luctatione, aut saltu, aut alio certationis genere victoriam obtinuissent : sic gloria & honos iis solum debetur, qui in sapientiæ ac virtutis curriculo laudabiliter versati sunt, atque vel ad homines inter se justitiæ munere conciliandos, vel ad Rempubl. virtute, consilio, industriaq; defendendam, aut ingenii opibus illustrandam sese contulerunt. Ex quo perspicuum est, virtutem antecedere, honorẽ verò subsequi debere, quemadmodum olim pontificum Romanorum memorabili decreto cautũ est. Cum enim M. Marcellus, is, qui quadraginta novem victorias de hostibus reportavit, Templum Honori ac Virtuti dicare vellet, pontifices interceſſerunt, cum negarent ullam cellam amplius, quàm uni Deo rectè consecrari : quoniam si de cœlo tacta esset, difficilis procuratio foret, utri Deo res divina fieret. Templum itaque medio pariete sic diviserunt, ut nemini pateret ad templum Honoris aditus, nisi prius patefacta Virtutis porta. Quicunque igitur gloriam & dignitatem expetit, necesse habet, omnem suam curam atque*

operam in virtute defigere: in qua una stabilem sedem ac sempiternum domicilium ipsa sibi collocavit. Esse autem eam magnoperè expetendam, nemo opinor, inficiabitur, qui modò rationem, in qua ipsa consistat, atque ejus incredibiles utilitates secum accuratè cogitarit. Neque enim gloria in errante opinione, sed in ipsa natura sita est: id quod admirabile ipsius desiderium omnibus insitum & ingeneratum maximè declarat. Quæ enim gens & natio est tanta humanitate prædita, aut tam agrestis & inhumana, aut tantis honoribus insignis, aut tàm obscura & ignota: aut tot virtutum ornamentis exculta, aut tàm multis flagitiis cooperta, quæ gloriæ & laudis studio non trahatur? Quantam verò illius cupiditatem natura nobis ingenerarit, ex eo facilè apparet, quòd omnes pueri, simul atque sentire aliquid incipiunt, laude mirificè capiuntur. Mirum est enim, quanta certamina ineant, quanto vincendi studio flagrent: quantus in victis pudor insit. Ut autem quisque præstantissima indole natus est: ita maximè cupiditatis hujus significationem dat. Refert Xenophon Cyrum illum Persarum regem, cum esset adhuc puer, adeò ad cupiditatem laudis exarsisse, ut illius causa jam in ea ætate omnia pericula subeunda duceret. Facilè igitur tum fuit ex illo motu animi futuram Cyri virtutem augurari. Nemo enim unquam res magnas animo magno aggressus est, qui non in ipsius ætatis primordio insignia dederit documenta, quanti gloriam æstimaret. Non est hic necesse, Pyrrhos, Scipiones, Alexandros enumerare: cum constet, omnes summos Imperatores hoc tantùm signo magnam spem futuræ virtutis civibus suis attulisse. Quid de insigni ad præclaras disciplinas indole? Num parum liquet, optimam de illis spem concipiendam esse, qui omnem conatum animi ad laudem referunt? Mihi inquit Fabius Quintilianus ille detur puer, quem laus excitet, quem gloria juvet, qui victus fleat. Hic erit alendus ambitu: hunc mordebit objurgatio, hunc honor excitabit: in hoc desidiam nunquam verebor. His verbis optimus ille Magister indicia ingenii excellentis explicat. Quid, postquam pueri ætate progressi, quatenus quidq; ipsos attingat dispicere incipiunt: num alio genere orationis à languore desidiaq; citius avocantur, quàm summorum hominum commemoratione? Videte quibus verbis Pallas apud Homerum Telemachum incendat ad pœnas de procorum petulantia repetenda, sic enim ait:

Nec jam res tractes puerili mente, retractes.
Nonne vides, quantum nomen sit adeptus Orestes,

Cum

Cum patrem ulciscens vita spoliaverit illum,
Qui scelere infando patrem demiserat Orco?
Te decus eximium præstanti in corpore tandem
Excitet, ut magno laudum capiaris amore.

Illa igitur oratione sic videmus incensum Telemachum, ut nihil aliud quàm de virtute cogitaret. Quid philosophi? nonne spe clari nominis inducti, seipsos ad sapientiæ studium contulêre? Ut enim antiquiores prætream, Plato certè quantum nominis claritatem amaret, apertè declaravit. Nam & laudem esse bonum quoddam cœleste censet, & omnibus eam rectè factis quasi præmium divinum proponit, ipsaq; maximarum rerum instrumentum, & illud admirabile genus eloquentiæ in gloriam suam maxima ex parte transtulit. Aristoteles autem cum esset philosophiæ gloriâ præstantissimus, minimè contentus illo splendore, quem erat sapientiæ studiis assecutus, eloquentiæ laudem incredibili animi contentione quæsivit. Infinitum esset, si vellem eos, qui ab his orti sunt, enumerare, quos omnes constat fuisse gloriæ stimulis acriter incitatos. Quod si aliqui se gloriam despicere gloriati sunt, id fecerunt, ut ea ipsa gloriæ contemtione maximè nobilitarentur. Quod declarat eorum studium in suis nominibus inscribendis, cogitationumq; suarum memoria propaganda. Quid de poëtis dicam? Non enim solum sibi ipsis, sed omnibus in quorum studium propensi sunt, nominis immortalitatem pollicentur. Hoc enim sibi divinitus concessum existimant, ut è tenebris, quos velint, eripiant, atque seculis innumerabilibus in hominum luce constituant. Cœleste profectò munus, res ad laudem insignes ab oblivionis injuria vindicare, mortemq; ipsam omnia delentem ingenio comprimere. Sed quid poëtas admiramur, cum agricolas & opifices, cum barbaros etiam homines, & ab omni cultu humanitatis abhorrentes, laudis dulcedine moveri videamus? Nullus enim est agricola, nullus artifex, nullus operarius, qui non laudari valdè cupiat, & inter sui ordinis homines princeps haberi. Ergò cum pueri, senes, adolescentes, laudem ardenter expetant; cum omnes sive principes, sive plebeii, sive intelligentes & docti, sive rudes & imperiti, ad eam enitantur: possumus ne dubitare, quin ea cupiditas humanam naturam maximè attingat? Nunquam enim esset tantus omnium gentium consensus & conspiratio in gloria consectanda, si ea moribus & opinione desiderata, & non potius vi & impetu naturæ expetita esset.

Quæ enim moribus, aut legibus & institutis continentur, nec sunt eadem apud omnes, nec ullam constantiam habent: sed varias pro temporum ratione mutationes subeunt. Ex eo igitur, quod omnes mortales laudari concupierint, facilè cernitur, hunc appetitum laudis & gloriæ esse naturæ, & non opinione nostris animis infixum. Quod si natura nos non ad flagitium, sed ad honestatem genuit, ob idq; omnes sapientes eam tanquam vitæ ducem sequendam statuunt; & perspicuum est, nos impetu naturæ ad laudem contendere: efficitur, nos gloriæ cupiditate, ad virtutem & honestatem dirigi. Atque adhuc ostensum est gloriæ rationem & ortum ab ipsa natura proficisci. Consequens nunc est, ut breviter, quantum fructum illius studium rebus humanis afferat, explicemus. Incredibile enim est, quantam ipsa habeat vim ad animos amore virtutis incendendos ac inflammandos. Omnes enim qui præstanti ingenio præditi sunt stimulis gloriæ concitati res præclaras aggrediuntur. Tolle gloriæ cupiditatem, & omne studium virtutis extingues. Nemo enim unquam sese pro Reipublicæ salute in discrimen intulisset, nemo publicam utilitatem emolumentis propriis antetulisset, nemo denique omnibus rebus posthabitis, sapientiæ studia coluisset, nisi primum fuisset ad spem quandam immortalitatis excitatus. Ut enim hic Themistoclem, Epaminondam, Scipionem, Carolum Magnum, cæterosq; Imperatores rerum gestarum gloriâ florentes omittam: quis dubitat Solonem, Lycurgum, Charondam, Zaleucum, incensos sempiternæ gloriæ cupiditate, leges, instituta, Respublicas condidisse? Quis nescit, Platonem, Aristotelem, Xenophontem, Theophrastum, & omnes denique, qui monumentis philosophiam illustrarunt suis, gloriæ suavitate fuisse in sapientiæ studium incitatos? Quis ad artem aliquam præclarum animum adjunxit? quis virtutem studiosè colendam putavit, qui non prius in egregii nominis celebritatem aciem mentis intenderet? Quòd si igitur præstantium hominum ingenia multis laboribus & vigiliis lucem aliquam rebus humanis attulerunt; si viri fortes & magnanimi, ut patriæ consulerent, vitæ non pepercerunt; si denique multi ætatem in clarissimis studiis consumentes sapientiam assecuti, beneq; de hominibus meriti sunt: id certè studio & cupiditati laudis & gloriæ adscribendum est. Ex quo facilè constat, quantus sit splendor & utilitas veræ gloriæ, quod eam omnes, qui excellenti sunt ingenio, ardenter expetunt, & illius caussa non inviti res honestissimas & difficilimas aggrediuntur. Verùm ut cætera bonorum genera invidiæ telis sunt

lis sunt exposita: sic gloria quoque invidos & obtrectatores habet. Nam ut ignis exoriens fumum: ita gloria effulgens invidiam excitare solet. Itaque Themistocles, cum adolescens esset, dixisse fertur: se ex eo intelligere, nihil dum à se splendidum gestum, quoniam nondum invidiæ dente peteretur. Est enim malum tetrum, detestabile, execrandum, omnibus bonis infestum, rebus humanis pestilens ac mortiferum. Neque enim quicquam est tàm sanctum, tàm omni religione munitum, quod non invidia tentare consueverit. Itaque in numismate nostro serpens effictus cernitur, qui adolescentem ad coronam gloriæ contendentem infestare, eumq; à proposito suo absterrere videtur. At frustra. Nam arboris ascensu adolescens insidias ictusq; illius effugisse fingitur. Quo figmento significatur, veram & confirmatam gloriam tàm altè esse positam, ut invidiæ incursio ei amplius nocere non possit. Nam à vera virtute pendet, cujus tanta est vis, ut omnem maculam, omnem infamiam sive hominum scelere, sive errore conflatam deleat atque extinguat: non aliter ac ignis jam auctus fumum dissipare solet. Quamobrem cum vera gloria non ab errore vulgi, sed ab ipsa natura, & à lumine virtutis oriatur; & infinitas humano generi afferat utilitates; & vero tàm stabilis ac firma sit, ut neque invidiæ detestabilis immanitas, neque imperitæ multitudinis amentia eam obscurare aut abolere queat: reliquum est, ut eam omnibus votis expetendam esse statuamus.

Agite igitur Adolescentes & commilitones optatissimi, omni ope & opera connitamur, atque elaboremus, ut mentem sapientia, animum virtute, linguam eloquentiâ sic instruamus atque ornemus, ut aliquando & parentibus honori, & amicis utilitati, & Reipublicæ emolumento simus: & denique suavissimum virtutis & doctrinæ fructum ac mercedem Gloriam consequamur.

DIXI.

ORATIO SECUNDÆ CLASSIS, RECITATA à PAULO SIDELMANN, Noribergensi.



QVi malorum escam dixit esse voluptatem, is profectò & dixisse verè, & præclarè sensisse mihi videri solet, Auditores ornatissimi. Quemadmodum enim bruti mutiq; pisces esca, sub qua lethalis hamus delitescit, imprudentes capiuntur ac pereunt: sic multi adolescentes blandæ voluptatis, cujus initium suave, finis teterrimus est, illecebris deliniti constringuntur, atque ut Phædria Terentianus prudentes scientes in exitium ruunt voluntarium: ut in amatoribus, ebriosis, aleatoribus, & id genus aliis corruptissimis hominibus cernere licet. Cujus quidem rei simulachrum in nostro brabeo expressum est ad hunc modum: In amano loco inter herbas floresq; recumbit bestia quadrupes, superne quidem formosa virgo: sed quæ in atrum ac venenatum serpentem desinat. Cui idcirco hoc Emblema additum est: PROCUL HINC LATET ANGUIS. Cæterùm ut imago ista plenius cognoscatur, operæ precium fuerit audire lepidam fabellam, quam ex Dione Chrysostomo Pierius in Hieroglyphicis repetit lib. 14. Est (inquit) in Libya ferarum genus, ex promiscua bestiarum plurium, diversorumq; generum propagatione procreatum. Id immane admodum, sævum ac ferocissimum, circa Syrtes plurimum versatur: & cibi gratia tum feras reliquas, tum humanum pastum conquirit avidissimè. Ejus verò monstri natura faciesq; hujusmodi formâ est conspicua: Corpus quidem muliebre, idq; admodum for-

dum formosum: lasciuè tumentes papillæ, totumq; pectus ac cervix pulcherrima: colore cutis nitidissimo: mira ab oculis ejus prosilit hilaritas, quæ intuentem quemlibet facilè in amorem illicere queat. Reliquum autem corpus horridum, & squamarum scabritie asperum & intractabile. Infernè demum in oblongum anguem desinit: cujus caput in extrema parte situm acre admodum sit, & mordacissimum. Alis præditum non est, sed sphingis instar factum: neque tamen loquitur, ut illa facit: sed draconum more sibilum tantùm edit acutissimum. Hujus generis feræ in Libya sunt plurimæ, tamq; veloces, ut nemo, quantumvis expeditus ac celer, earum insultus se effugisse gloriari possit. Reliqua animalia, quotquot nanciscuntur, pernicitate ac robore, per vim opprimunt: sed solum hominem dolo blanditiisq; adoriuntur & superant. nullo enim impetu eum invadunt, nec quicquam hostile præ se ferunt: sed ostentatis pulchris nitidisq; pectoribus, tanquam amoris tendiculis positis, oculisq; modestè in terram dejectis, instar venustæ lepidæq; fœminæ, ad colloquium congressumq; eum invitant, variisq; lenociniis alliciunt. Simul atque verò propius homo (ut voluptarii sunt impudentes) ad eas accesserit: protinus eum invadunt, & injectis (quas tantisper dum occasio prædæ offeratur, occultant) aduncis manuum unguibus arripiunt. Mox serpens à tergo insurgit, arreptumq; hominem virulento morsu ulcerat, immissoq; veneno necat. Tandem fera ejusq; cauda serpens, tanquam conjuratione facta, miserandum hominis cadaver laniant ac devorant. Cæterùm cum aliquando Hercules Libycus illuciter faciens, fortè eas è longinquò conspexisset, propius non accessit: sed velocissimo cursu sese in fugam conjecit. Illæ verò cum diu & acriter eum insecutæ fuissent, nec tamen prædam nanciscì potuissent: tandem irâ inflammatæ omnem crudelitatem in semetipsas converterunt: & sese mutuo fædissimè dilaniarunt. Hæc ferè Pierius.

Jam porrò quid aliud hæc fabula monet? quàm turpes voluptates esse blandissimas dominas, quæ venusto aspectu homines ad se alliciant: sed ubi semel eorum animos occuparint atque subegerint, præcipites in omne flagitiorum & calamitatum genus conjiciant. Ideoq; eas tanquam venenatas bestias cavendas ac fugiendas esse. Nulla enim nocentior hominum pestis est, quàm fœda voluptas, hoc est, gulæ & libidinis intemperantia. Utraque enim & animo & corpori, & fortunis plurimum nocet. Nam crapula non corpus duntaxat vitiosis humoribus replet, & omnes nervos, omnia membra omnesq; sensus labe-

sus labefactat: sed etiam densis vaporibus in cerebrum exhalantibus, ipsam mentem præstantissimam hominis partem, illam in quam divinæ particulam auræ humi affligit, obtundit atque evertit: inprimisq; memoriam doctrinæ thesaurum, graviter vulnerat. Nec minus libidinis intemperantia sanitatem debilitat: quippe quæ fons sit gravissimorum fœdissimorumq; morborum, quos nullus sephasiarius, nullus coquus, nullus chymicus (quamvis hic tantum non aureos montes polliceatur) curare possit. Quod ex naturali vigore, sive volens, sive invitus perdideris, id quocunque artificio restituere velis, prorsus est Glauci & Diomedis permutatio. Itaque Cicero rectè dixit: Vitium ventris & gutturis non modo minuit statem hominibus sed etiam aufert. Quod porrò multi luxu & amore rei familiaris naufragium fecerint, plus satis notum est. Sed quid de pecunia mentionem facio? cum multi philtris in rabiem & exitium agantur: multi capitis periculum adeant, si in æmulos, aut alioqui ebriosos ac contentiosos incidant. Exempla proh dolor, communis vita plura suppeditat, quàm opus est, aut expedit. Quid multa? Ex turpium voluptatum studio nascuntur stupra, adulteria, cædes, rei familiaris jactura, infamia, conscientiæ labes, proditiones, disciplinæ perturbatio, Reipublicæ eversiones: nec denique ullum tàm immane scelus est, ad quod suscipiendum non libido voluptatis impellat.

Quæ cum ita se habeant, Auditores optimi repetamus, nostrisq; animis penitus imprimamus Emblema illud, Procul hinc: latet anguis: *& proponamus nobis imitandum Herculem Libycum, qui bestiam virulentissimam fugiendo superavit: Sic nos fœdas voluptates cane pejus & angue aversemur & fugiamus. Multi quidem castè sobrieq; viverent, nisi perditorum hominum gregi se associarent. Itaque non tantum voluptates, sed etiam occasiones earum vitandæ sunt: & quantum fieri potest, declinandus est hominum mollium, obscœnorum ac libidinosorum congressus & consuetudo, quæ contagione sua etiam rectos animos inficere ac depravare solet. Quocirca Pythagoras prudenter vetuit* γύεσθαι τ μελανύρων, *Id est, gustare ex iis, quæ nigrum habent caudam. Quo nomine perditorum hominum familiaritas intelligitur, cujus principium blandum plerumque tetro fine concluditur. Sed temporis decursus postulat, ut finem dicendi faciam. Itaque epilogi loco vobis recitabo pulcherrimam Musonii philosophi sententiam:* ἂν ἡ πρᾶξις καλὸν μετ' πόνου, ὁ μὲν πόνος ὀιχέται, τὸδε καλὸν μένει· ἂν ἡ πόνος αἰσχρὸν μὲν

μεθ' ἡδονῆς, τὸ μὲν ἡδὺ οὐχεται, τὸ δ' αἰσχρὸν μένει. Hoc est: si quid per laborem rectè feceris, labor citò abit, rectè factum nunquam abscedit. Si quid rursus per voluptatem nequiter feceris, voluptas citò abibit, nequiter factum semper manebit. DIXI. c c c

ORATIO TERTIÆ CLASSIS, RECITATA A BILLUSTRI ET GENEROSO DN. DN. JOHANNE-ALBINO SCHLICK, Comite in Passaun & Weiskirchen.

VTinam par desiderio meo suppeteret ingenij doctrinæq; facultas, Rector Magnifice: equidem voluntati tuæ non modo lubens satisfacerem, sed etiam congiarium, quod mihi datum est, elegantiori oratione celebrarem atque ornarem. Verùm quoniam id ætatis jam sum, ut de facultate mea nihil polliceri qucam: operam dabo, ut vel solam voluntatem atque studium auditoribus probare possim. Brabei autem nostri Emblema est: PAULATIM: cui adjuncta est imago certaminis, quod de certo quodam spacio conficiendo testudo cum aquila suscepisse fingitur, atq; ut fabula fert, definitus tum fuit & temporis & loci terminus, ad quem uter prior venisset, victoriam obtineret. Aquila idcirco tarditate testudinis animadversa & contempta, prior provolat, atque velut aliud agens hinc inde vagatur, ac sæpiuscule desidet: noctes integras conquiescit: nec tempore matutino satis maturè evolat: quippe quæ pernicitate sua freta putaret, se uno impetu omnes testudinis conatus facile anteversuram esse. Sed interim te-

 studo nun-

ſtudo nunquam ceſſat, ac potius dies noctesq; rectis itineribus ad locum præſtitutum contendit, tandemq; aquilam, avem velociſſimam, laboris aſſiduitate vincit.

Hæc fabula Auditores, duo potiſſimum nobis conſideranda proponere videtur. Alterum: Æmulationem concertationemq; eſſe utilem ac propè neceſſariam. At æmulationem hic intelligo eam, quæ in laude ponitur, & gloriæ ſtimulis excitatur, virtute perficitur. Hujus enim verò quanta ſit vis, oſtendit fabula, quæ extat apud Alexandrum Aphrodiſeum philoſophum præſtantiſſimum. Venus in lucem ediderat Cupidinem. Mirabatur dea, quod filius multis menſibus à natali die præterlapſis, nihilo auctior atq; procerior factus eſſet. Cumq; nec cauſas ejus rei intelligeret, nec qua ratione huic incommodo mederi poſſet, proſpiceret: ad fatidicam anum Themin adiit, eam conſuluit, atque reſponſum accepit: Non ante ullo corporis incremento Cupidinem auctum iri, quàm Venus alterum filium peperiſſet, in cujus æmulationem prior ille ſuccreſceret. Venus igitur reſponſo accepto, ivit in complexum Martis: alterum filium concepit ac peperit: cui nomen Anterotis impoſuit, quaſi tu dixeris, Anticupidinis. Tum verò mirum dictu, ſubitò quàm feliciter adoleverit Cupido: non aliter ac ſi cum fratre certamen grave iniiſſet, uter pulchrior atque præſtantior evaderet. Mirabantur tum dii reliqui, tum inprimis parentes, tàm egregiam prolem æmulationis beneficio extitiſſe. Hinc colligere licet, præclara ingenia magnos progreſſus facere non poſſe, niſi habeant antagoniſtas (ut Græci vocant) cum quibus decertare queant. Certe nullus ſtimulus acrius currentem urget, quàm ſi æmulus ac rivalis nobis opponatur, cum quo nobile certamen ad famam, ad gloriam, ad æternitatem, ineatur. Friget enim omnis, quantumvis excellens actio, niſi contentionem quandam adjunctam habeat. Mulierculârum mos eſt ijs, quos in amore retinere cupiunt, rivalem aliquem opponere. Hinc illud apud Comicum: Ubi nominaverit Phædriam, tu Pamphilam continuò. Si quando illa dicet: Phædriam intromittamus comeſſatum: tu, Pamphilam cantatum provocemus, dic. Si laudabit hæc illius formam, tu hujus contrà: Denique par pari referto, quod eam mordeat. Atque hoc eſt, quod Ariſtophanes dixit, magnam nos plerumque ex inimicitijs utilitatem capere. Cæterùm exempla æmulationis honeſtiſſimæ plurima in medium proferri poſſent, niſi temporis anguſtiæ vetarent. Veruntamen unum atq; alterum ex infinita copia decerpere liceat. Franciſcus Philelphus

lelphus in Græcis literis exercitatissimus, cum Timotheo quodam Græco de vi syllabæ contendens, barbam victo (ut Jovius scribit) inexorabili superbiæ deraſit. Sic enim inter eos convenerat, ut victus barbâ mulctaretur. Philippus Melanchthon Germaniæ noſtræ decus, cum in convivio quodam assideret Sabino & Stigelio poëtis Germanis clarissimis, eos ut inter se versibus certarent, monuit. Sabinus ætate & dignitate prior sic cæpit:

Carmina conscribant alii dictante Lyæo,
Multa sit in versu cura laborque meo.

Stigelius scitè excepit, ac carmen invertit:

Carmina componant alii sudante cerebro,
Nulla sit in versu cura laborque meo.

Quid Philippus? pro ea, quæ erat, facilitate & humanitate, utrumque vitula dignum (ut Poëta inquit) judicavit. Sed tempus plura non admittit. Reliquum est igitur, ut alteram nostri Emblematis sententiam perquiramus, quæ, nisi fallor, hæc est: Tarditatem ingenij cum modestia & industriæ assiduitate conjunctam plus valere, quàm vagam superbam ac negligentem celeritatem. Apparet id certè tum in cæteris vitæ negotijs, tum maximè in studiis literarum. Mittuntur ad scholam duo adolescentes ex eadem civitate: alter eximium habet ingenium, sed absque industria: alter industria valet, sed ingenio est tardiore. Ille ingenij viribus confisus, nugatur, ociatur, in eam adductus opinionem, fore, ut simul atque velit, alterum illum vel superet, vel certè assequatur: Hic verò magno labore totoq; animo in literarum studia incumbit, nugas & otium velut ingeniorum pestem odit atque fugit. Quid ergo? Aliquot annis pòst ambo domum revocantur: alter laboribus perfunctus, doctrinâ & virtute excultus domum hilaris revertitur, magna cum lætitia ac honore à suis parentibus & propinquis excipitur: Alter verò tempore & numis malè consumtis, cum probro ac damno, aut certè absque fructu & laude tristis redit, suisq; domesticis nil nisi dolorem atque molestias adfert. Uter igitur palmam feret, præmioq; decorandus est? Non utique is, qui celeres ingenij motus habet ad discendum, claudicantem verò industriam: sed alter potius, qui tardus ad intelligendum subsidio sibi diligentiam comparavit.

Quamobrem Adolescentes, sic nobis persuadeamus, ingenium absque industria parum, industriam sine ingenij præstantia multum; sed utrumq; conjunctim plurimum valere. Qui igitur ingenio excellit, adjungat industriam,

& tardiores ne despiciat. Qui parum habet ingenij, adhibeat diligentiam, quæ ut Cicero ait, omnia potest, nec quicquam est, quod non assequatur. Cæterum Emblema nostrum etiam in consilijs locum habet, in quibus non velocior, ut fit in cursu, sed tardior vincere solet. Deliberandum est enim diu quod statuendum est semel. Plurimos videas ex inconsulta & temeraria festinatione in ipso statim operis limine collabi: alios nonnihil progressos maximis involvi difficultatibus, & vel nunquam, vel tardissimè ad exitum pervenire: alios etiam adeò nihil efficere, ut rei absque maturo consilio attentatæ onere opprimantur. Sed tempus admonet, ut finem orationi imponam. Quapropter, Auditores humanissimi, etiam atque etiam Emblema illud nostrum (Paularim, *quò pertinet,* Festinalentè) *considerare, ejusq; prudentissimum consilium semper & ubiq; in omni rerum ac negotiorum vel privatorum vel publicorum aggressione sequi debemus.* D I X I.

ORATIO QUARTÆ CLASSIS, RECITATA à CUNRADO MÜLLERO, Herbipolensi.



IN numismate meo, Auditores humanissimi, duæ manus sunt effictæ, quarum altera calamum corolla circumplicatum: altera tribulum tenet, cum hoc Emblemate: AD RASTRA, VEL ASTRA. *Constituitur autem nobis ob oculos duplex vitæ genus: alterum clarum & honoratum, quod astris notatur: alterum obscurum & inglorium*

inglorium, quod rastris exprimitur. Ad rastra quidem proclivis patet via, eorum vestigiis trita & notata, qui somno, ludis, nugis, ignavo turpiq; ocio sese dediderunt, & literas omnesq; honestas artes ac labores oderunt atque fugerunt. His meritò præmij loco assignatur tribulum, hoc est, vita abjecta, agrestis, dura, laboriosa. Ignavia enim atque inscitiæ comites sunt egestas atque contemtus. Hinc illud: Φεύγων μύλον ἄλφιτα φεύγει. Et præclarè Cicero: Mihi quidem, inquit, qui nihil agit, esse omnino non videtur. Qua voce nil abjectius aut contemptius de ignavis dici potuit. Sed omittamus tribulq & rastra, quæ hunc locum nec armant, nec ornant: & convertamus nos ad astra, hoc est, ad vitam honoratam & jucundam: cujus omnis & dignitas & jucunditas in literis, quæ coronati calami imagine significantur, posita est. Nihil etenim in rebus humanis præstantius, nihil salutarius, nihil jucundius est eruditione ac literis. Harum namque ope omnia, quæ homines in vita expetunt, comparari, conservari, amplificari possunt.

Atque ut de opibus & copijs, cæterisq; id genus bonis, ad quæ paranda literæ accommodatæ sunt, nunc taceam: nonne earum subsidio tanquam alis homines ad astra, hoc est, ad summas dignitates & honores evehuntur, atque in clarissima hominum luce collocantur? Si repetamus paulisper antiquitatis memoriam, videbimus omnes, qui doctrinâ & sapientiâ excelluerunt, amplissimis honoribus usos. Quid Lycurgum, nonne sapientiæ admiratione tantum est auctoritatis consecutus, ut civitatem luxuria diffluentem legum severitate devinciret? Quid septem sapientes, nonne in suis civitatibus principatum obtinuerunt, & Græciam universam bonamq; Asiæ partem sapientiæ nomine commoverunt? Quid hic referam amplissima laudis ornamenta, quibus Gorgias, Plato, Aristoteles, Xenocrates, Theophrastus, & omnes deniq; excellentes philosophi decorati sunt? Apud Persas autem Magi in tanta admiratione fuerunt, ut nemini regnare liceret, qui non fuisset prius eorum disciplinis institutus. Apud Ægyptios quantus honos fuerit habitus sacerdotibus, explicari vix potest. Apud Romanos, nonne eruditi homines egregiam laudem & eximios honores consecuti sunt? Quid commemorem Africanum illum, qui Carthaginem & Numantiam delevit? Quid Lælium sapientem, cognominatum? à quo Terentij fabulæ ob elegantiam conscribi putabantur. Quid Scævolam & Brutum, atque postremò, ut alios innumerabiles omittam, M. T. Ciceronem, eloquentiæ parentem, qui gloriam Romani Imperij doctrinæ

ctrinæ præstantissimis muneribus illustravit? Nec Romani solùm, sed etiam externi, doctrinæ commendatione in eam civitatem accepti, summisq; honoribus aucti fuerunt, qualis fuit Plutarchus Cheronæus, Dionysius Halicarnasseus, Strabo, Ælianus, Arrianus, Dio, Seneca, aliiq; permulti, quos esset infinitum enumerare? Druidas autem apud Gallos, Brachmanes & Gymnosophistæ apud Indos, in quanto pretio & honore fuerint habiti, est satis exploratum. Exponam vobis rem admirabilem & auditu fortasse non injucundam.

Sinenses. Sinæ populi, quos & Chinas appellant, regionem incolunt latissimam in extremis Orientis oris, de quibus historiæ non ita pridem è Lusitanico sermone in latinum conversæ referunt, vix esse ullam nationem, sive urbium magnitudine, sive ædificiorum pulchritudine, sive victu cultuq; civili, sive flagranti artium studio, cum Sinarum natione comparandam: In libris autem scribendis & excudendis, æneis formis, quæ non ita pridem apud nos inusu sunt, illi infinitis propè seculis utuntur. Tantumq; ajunt apud illos tribui disciplinis, ut nullo modo liceat summum Imperium committi, nisi illi, qui se probaverit omni liberali doctrina ac disciplina excultum ac perpolitum. Nec enim in mandandis honoribus aut generis, aut fortunæ rationem habent, sed tantùm disciplinæ ac eruditionis. Omnes igitur, qui principatum expetunt, in artium studia incumbunt. Ubi autem credũt se non pœnitendam progressionem fecisse, ad certos judices huic muneri destinatos accedunt. Horum suffragio, aut ut indocti repelluntur, aut ut docti certis honorum insignibus ornantur. Ex ijs deliguntur, qui minores jurisdictiones administrent. Qui autem diutiùs in studiorum curriculo versari, & sublimiores disciplinas persequi cupiunt, ubi certum judicium absolverint, aliud gravius judicium subeunt. Judicatur enim à viris multo doctioribus, quibus si satisfecerint, ad altiorem honoris gradum ascendunt. Sic etiam licet ijs, qui ampliorem honoris spem sibi proponunt, plures annos in studiis consumere, & ordinatim alia atq; alia doctorum hominum judicia subire. Sunt enim plures ordines hominum de ingenio atque doctrina judicantium. Hinc igitur apparet, quantum apud Sinas valeat opinio doctrinæ & eruditionis: cum eos duntaxat honoribus cumulent, & imperio præficiant, quos judicant esse doctrinæ laude præcellentes.

Quod si igitur Adolescentes suavissimi, doctrinæ studium non solum apud Græcos & Romanos, sed etiam apud barbaras nationes, tantam vim obtinet, ut homi-

ut hominem variis bonis cumulare atque ornare, & ad astra, hoc est, ad magnos honores evehere possit: cur ex animis nostris torporem atque ignaviam non excutimus? Cur oblatam tot tantaque bona consequendi opportunitatem non amplectimur? Cur non totis animis ac studiis ad laudandarum doctrinarum studia incumbimus. Non enim ex plano & facili gloria petitur: sed (ut Poëta inquit) per ardua progreditur. ἡ ἀρετὴ ἱδρῶτι παρέκειται θεῶν. *Deus opt. max. cui, quæcunq; hic acta dictaq; sunt, grata esse cupio, nobis adolescentibus & voluntatem & facultatem largiatur, ut ea, ad quæ nostra cohortatio spectat, expedito cursu assequamur.* DIXI.

XVI. PANEGYRIS, Anni 1592.

SUB RECTORATU D. D. NICOLAI TAURELLI, MEDICI.

ORATIO PRIMÆ CLASSIS, RECITATA à PAULO FETZER, Noribergensi.



SI mea sponte in hanc concionem ascendissem, Auditores humanissimi, in temeritatis ac impudentiæ crimen meritò vocarer. Nam locus hic amplissi-

mus &

mus & splendidissimus non imperitis ac indisertis adolescentibus: sed viris præclara doctrina eximiaq; dicendi facultate præditis destinatus ac consecratus est. Verum, quum Mag. D. Rectoris jussu & autoritate evocatus huc pervenerim: spero me non solum crimine, sed criminis quoque suspicione cariturum esse. Longiore itaque excusatione prætermissa, rectà ad id, quod mihi propositum est, aggrediar, idq; quàm brevissima fieri poterit oratione percurram. Vos interim oro & obtestor, ut mihi cæterisq; condiscipulis meis ex hoc loco deinceps verba facturis benevolentiam & attentionem humanitate vestra dignam tribuatis.

Historia Promethej fabulosa.

Atque ut hinc exordiar: In hôcce brabeo nostro Promethei ad montem religati, & aquilæ jecur illius assiduè dilaniantis imago cernitur: cui adscriptum est una voce expressum Emblema: CONSCIENTIA. *Cæterùm, ut res melius intelligatur, ex antiquorum scriptis explicatio ejus repetenda est. Memoriæ literisq; proditum est, Jovem iratum mandasse Mercurio, ut Prometheum ob surreptum ignem & divini muneris Pandoræ contemtum ad Caucasum religaret. Causæ verò tanti supplicij tres præcipuè commemorantur: fraus, furtum & contemtus. Cum enim in sacrificijs olim mos esset integras hostias immolare, neque idcirco pauperes ob sumtuum magnitudinem sacrificare possent, Prometheus cum Jove egit, ut dimidia duntaxat hostiæ pars deinceps ad sacrificium præberetur: altera verò hominum usui reservaretur. Quod cum Jupiter concessisset, Prometheus homo callidus & veterator binos tauros mactavit, & utriusque ossa, à carnibus separata accumulavit, corioq; obtexit, carnes itidem seorsim ab ossibus positas reliquo corio operuit, atque ita Jovi alterutram hostiam eligendi optionem dedit. Jupiter nil fraudis suspicatus, osseam victimam prope se locatam elegit. Sed fraude animadversa graviter excanduit, atque hominibus ignem, ne sacrificia amplius facilitare possent, eripuit. Verum callidissimus Prometheus auxilio Minervæ in cælum ascendit, ferulaq; ad currum solis admota, ignem surripuit, cumq; in terras delatum cum mortalibus denuò communicavit. Quod cum Jupiter resciviisset, Vulcano imperavit, ut fœminam è luto fingeret: quæ, quod omni artium genere à dijs instructa ornataq; esset, Pandora dicebatur. Hæc primùm una cũ pyxide bellè depicta, cunctisq; malis & calamitatibus referta, ad Prometheum missa fuit, à quo spreta & metu insidiarum repudiata, ad Epimetheum contendit: qui pyxidem ab ea acceptam quùm aperuisset, omnisq;*

omnisq; generis mala evolare sentiret, solam Spem in fundo hærentem occlusit; eamq; cum vasculo retinuit. Jupiter verò muneris sui contemtum ægerrimè ferens, Mercurio mandavit ut Prometheum ad Caucasum montem deduceret, eumq; humi stratum, quatuor catenis tàm arctè astringeret, ut nullo pacto sese movere posset. Adjunxit & aquilam, quæ jecur illius assiduè tundens laniaret atque exederet, nec tamen penitus id conficeret & absumeret. Nam quantum jecinoris interdiu depascebatur, tantundem noctu renascebatur, adeò, ut nulla unquam doloris materia deficere posset.

Hoc figmentum, Auditores, non tanquam inane auriculæ oblectamentum accipere debemus: sed ex eo discere, in omnibus consiliis & actionibus diligentem conscientiæ rationem habendam esse. Est enim conscientia veluti prætor in uniuscujusque animo constitutus, qui & quid, & quale, & quantum quidque sit, clarè perspicit rectèque judicat: & virtutes commendat & approbat; vitia improbat & damnat: atque his pœnas; illis præmia statuit atque decernit. Est, inquam, permagna illius vis in utramque partem, ut neque timeant, qui nihil commiserint & pœnam semper ante oculos versari putent, qui peccarunt. Nam qui rectè factorum memoria sustentantur, ij sive domi sive foris versentur, & sive prosperis rerum successibus utantur, sive adversis afflictentur, semper placida & tranquilla mente consistunt. Contra qui omni sceleris & improbitatis contagione se contaminarunt, incredibili dolore & molestia afficiuntur & excruciantur. Nam & maleficiorum conscientia eos perterret, & judiciorum metus exanimat, & suppliciorum formido de mente deducit. Neque enim conscelerati deorum impulsu (ut Cicero ait) furiarum tædis ardentibus terrentur, sed sua quemq; furia, suum facinus, suum scelus, sua audacia, de sanitate ac mente deturbat. Hæ sunt impiorum furiæ, hæ flammæ, hæ faces. Nullum enim scelus (ut Seneca scribit) licet illud fortuna exornet muneribus suis, impunitum est, quoniam in scelere scelerisq; supplicium est, timere semper & expavescere, etiam securitati diffidere. Multos fortuna liberat pœnâ, neminem metu. Tutum res aliqua in mala conscientia præstat, nulla securum. Putat enim se etiamsi non deprehenditur, posse deprehendi, & inter somnos movetur, & quoties alicujus scelus loquitur, de suo cogitat. Hæc Seneca in epistolis sanè quàm verè ac sapienter. Conscientia enim per omnes nationes & gentes peragrat, atque in animis omnium tam est insita ac ingenerata, ut nemo, ne si so-

lus quidem ferarum more vixerit, vim ejus ignorare, nec ullius hominis, si quid mali designârit, callidit.as aut violentia angores illius & cruciatus effugere possit. Hinc perpetuus languor, hinc tristis & atrox vultus, hinc pavor & trepidatio; adeò ut facinorosi ad omnia fulgura & tonitrua expallescant, ad quosvis rumores trepident, atq. etiam folij volitantis strepitu perterriti contremiscant. Nullum enim habent in rebus angustis & adversis levamentum, nullum in mœrore solatium, nullum in calamitatis imminentis metu perfugium. Ut enim si quis telo venenato confixus esset, quod è corpore extrahi non posset, nullum temporis momentum dolore vacuum haberet: Sic ubi venenum turpitudinis animum occupavit, & altius penetrans mortiferum ei vulnus inflixit, nihil est quod miserum hominem ab angoribus & dolorum acerbitate liberare possit. Ex quo fit, ut neque domi, neque foris, neque publicè, neque privatim, neque interdiu, neque noctu, neque in ocio, neque in negotio ullam quietem inveniat. Etenim nec domus, nec civit.as, nec frequentia, nec solitudo, nec lux, nec tenebr.æ, nec labor, nec requies illis jucunda esse potest, qui animum scelerum ac flagitiorum vulneribus concisum gerunt. Testis est Imperator Nero, qui interfecta matre, aliisq. sceleribus admissis somnum amplius capere non potuit: sed agitatus furiis de lustratione cogitavit: tandemq. gladio mortem sibi ipse consciv.it. Testis est Bessus quidam (ut Plutarchus scribit) qui cum patrem suum clàm trucidasset, posteaq. complures annos absque ulla criminis suspicione exegisset: quodam die ad cœnam quam amicis condixerat, proficiscens, fortè incidit in nidum hirundinum, quem baculo diruit, pullosq. inde exturbatos crudeliter omnes obterit & conculcat. Reprehensus verò à comitibus de immanitate, quam in aviculas innocentes nulla de causa exercuisset: Nimis diu (inquit) me paternæ cædis falsò accusarunt. Quod responsum comites ad regem detulerunt, qui re diligenter explorata cognitaque, Bessum meritò supplicio affici jussit. At illæ non hirundinum, sed ipsius naturæ voces erant: quæ instabant, quæ urgebant, quæ Besso hæc duo verba, Quid feci.sti, identidem in mentem revocabant, adeò, ut nec unquam, nec uspiam metu vacare, animoq. tranquillo esse potuerit. Verùm exempla plura nec res proposita desiderat, nec temporis brevit.as admittit.

Hirundines Patris cædem manifestant.

Perspicuum igitur est, Auditores ornatissimi, constatq. inter omnes, in conscientia & felicitatem & miseriam nostram esse positam: utpote, quæ si pura integraq. sit, animum sanat, mentem illustrat, securitatem præst.at, voluptatem

——— Hic murus aheneus esto;
Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa.

luptatem parit, ad beatitudinem deducit, cum Deo beatisq; mentibus nos conjungit, ac sempiterna societate devincit: Contrà verò, si impura sit, scelereq; constricta teneatur, animum afflictat & perturbat, mentem occæcat, molestias creat, terrores inijcit, dolores affert, calamitates importat, tandemq; hominem acerbissimis cruciatibus confectum in sempiternas miserias conijcit.

Quæ cum ita se habeant, neminem vestrum esse puto, qui mecum non consentiat, planeq; statuat in id studium unicè incumbendum esse, ut, quantum in nobis est, vitia declinemus & fugiamus, & virtutem amplectamur, atque colamus: vitamq; nostram prorsus sic instituamus, ut sive soli simus, sive inter homines agamus, nihil admittamus, cujus nos aliquando vel pudere vel pœnitere queat: & verò ad extremum, decurso in his terris vitæ spacio, bonaq; fama inter homines relicta, conscientiam puram omniq; labe carentem ad Deum opt. max. supremum humani generis judicem afferamus.

DIXI.

ORATIO SECUNDÆ CLASSIS, RECITATA AB ILLUSTRI ET GENEROSO DN. DN. JOHANNE-ALBINO SCHLICK, Comite in Passaun & Weiskirchen.



DUplex animorum atque naturæ humanæ vis est: una in ratione posita, quæ doceat atq; explanet, quid faciendum fugiendumq; sit: altera in appetitu, ὁρμὴν græcè: quæ hominem huc &

illuc rapiat. Ambæ ea lege inter se junctæ sunt, ut appetitus rationi pareat. Ratio enim nil nisi prudens, justum, forte, temperans, præscribit, unde omnia officia, laus, decus, honor, gloria, promanant. Appetitus contrà temeritatis, libidinis, iracundiæ, injuriæ, ignaviæ, vel autor vel minister est. Cui ne obsequamur, admonet nos brabeum nostrum, in quo imago cernitur Minervæ Achillem iratum à crudeli facinore quod animo conceperat, revocantis ac prohibentis, subjecto hoc Emblemate: VINCE ANIMOS. *Nam ut Homerus lib. 1. Iliados scribit: Cum Achilles dux fortissimus, optimeq; de rege suo Agamemnone meritus, videret se in nullo apud eum esse loco: incredibili dolore exarsit. Sic enim conqueritur (autore Homero, interprete Minturno:)*

„ Namque loco nullo numerat me Rex Agamemnon;
„ Ipse habet id quo despectum me munere privat.
„ Noverit Atrides, quorum sit causa malorum,
„ Contemsisse virum, quo non præstantior alter.

Itaque tandem iracundia victus stricto gladio regem adoritur: sed à tergo astans Minerva eum subitò capillis apprehensum retrahit, ejusq; furorem ac impetum reprimit ac retardat. Quo insigni exemplo sapientissimus Poëta docet, iram nihil aliud esse, quàm furorem quendam brevem, atque, ut Seneca ait, consultorem pessimum: quæ idcirco Minervæ, hoc est, rationis imperio refrenari omniq; studio coërceri debeat. Est enim hæc affectio omnium turbulentissima, atque etiam nisi cohibeatur, nocentissima. Etenim tàm ipsis iratis, quàm aliis hominibus vim ac detrimentum afferre solet. Primum enim perturbat animum, omnemq; rationis usum pervertit, ut mens neque quid æquum, neque quid iniquum sit, amplius cognoscere atque statuere possit. Nam ut fumus offendit oculos, eisq; tenebras offundit, quo minus viam propositam, quæq; in ea se obviam ferunt pericula & incommoda, cernere atque evitare possint: sic iræ impetus mentem, quæ oculus quidam animi dicitur, quasi caligine quadam circumfundit & obscurat, ut nec decus, nec probrum, nec emolumentum, nec detrimentum perspicere queat. Verùm non animum duntaxat affligit, sed in corpus quoque suam vim exercet. Nam sanguine in pectus confluente, & quodam quasi æstu effervescente, cor intumescit & palpitat, & calor in cerebrum ac reliqua membra repentè diffunditur. Hinc teter & horribilis aspectus: celer & truculentus oculorum motus: color aut pallidus aut igneus: tremor totius corporis: lingua aut hæsitans & velut intercluſa:

clusa: aut ad convitia valdè præceps & expedita: clamor insanus: impetus furens ac violentus. Non rarò manus antevertit verba, tum pro telo est vel pugnus, vel ungues, vel calces, vel morsus, vel sputum ipsum, & denique quicquid primum manibus obtingit: furor nempe (ut quidam ait) arma ministrat. Hinc plagæ, vulnera, cædes, atque id genus alia mala, quæ ex ira tanquam ex venenato fonte promanant. Liceat ex innumeris exemplis unum & alterum in medium proferre.

Alexander Rex Macedonum, cognomento magnus, nutricis suæ filium Clytum amicum singularem & innocentem, per iram interfecit: paulóq; post sese recolligens, telum è Clyti vulnere extractum in seipsum convertisset, nisi amicorum interventu prohibitus fuisset. L. Sylla turbo & procella Reipubl. Romanæ, irarum furiis agitatus universam urbem, omnes Italiæ partes atrocissimis civium cædibus ac sanguine cruentavit. Commodus Imperator irâ incitatus balneatorem in fornacem ardentem conjecit, quod balneum ingressurus tepidiusculum id invenisset. Tamberlanes Scytharum rex, cum videret, pueros & puellas candidis vestibus amictos, oleæq; sertis redimitos, pacis exorandæ causa, sibi obviam mitti, rabiosâ irâ inflammatus equitatum in eos immisit, omnesq; misere protrivit & conculcavit, & reprehensus ab amico: Cave, inquit, ne iram atque furorem Dei temerè accuses. Sed quid longinqua ex veterum annalibus exempla repeto? Convertamus nos ad propinqua, quæ ætas nostra vidit, ac etiam nunc non absque ingenti dolore videt. Quis nescit, quàm exitiosa atque funesta irarum fax, in Belgio & Galliæ regno multis ab hinc annis accensa, adhuc ardeat? Quis ignoret tyrannidem Hispanicam? cujus furore multa hominum millia in Belgio, omnibusq; fortunis despoliata, bonis omnibus exuta, carcere, vinculis, equuleo, ferro, cruce, flamma, defossionibus, mersionibus, indicta caussa, atque etiam non rarò intempesta nocte, contra usitatam judiciorum formam, contrucidata sunt. Quis absque luctu & horrore carnificinam Gallicam recordari queat? in qua circiter triginta hominum millia, paucorum dierum spacio interfecta sunt: non in prælio, sed in summa quiete: non armati, sed partim nudi, atque in lectulis dormientes; partim supplices, atque sicariorum misericordiam implorantes: non unum in locum coacti, sed suis quiq; in civitatibus ac domiciliis constituti: non per judicium ac legitimam quæstionem, sed rabieq; impetuq; furentis populi: atque in eo numero quàm plurimi morbis affecti: multi senes, multæ no-

biles matronæ, generosæ virgines, mulieres prægnantes, pueri infantesq; complures, viri denique permulti eruditissimi clarissimiq;, & ab omni armorum & tumultus suspicione remotissimi fuerunt.

Ex his exemplis facilè constare arbitror, nullam esse bestiam truculentiorem, humanoq; generi magis perniciosam, quàm iram: quippe quæ non solum animum uniuscujusq; intestino bello vexat: sed foras quoque prorumpens, turbulentas dissensiones, insidias, cædes, hominum strages, civitatum ac imperiorum eversiones, atque adeò omnis generis tum privatas tum publicas calamitates importat. Verum hanc nostram admonitionem non de quavis ira accipi velim. Nam ea quæ rationem in consilium adhibet, bonumq; finem sibi propositum habet, tantum abest, ut vitiosa videri debeat, ut etiam in laude ponenda sit. Est enim naturalis affectio, ad injurias propulsandas homini attributa: itaque & Philosophi ejus mediocritatem laudant, eamq; fortitudini tanquam rerum magnarum administram adjungunt. Quam ob causam veteres Academici, teste Cicerone, iram ἀκόνην τῆς ἀνδρείας, id est, cotem fortitudinis appellaverunt. Imò verò & sacræ literæ iram moderatam probare videntur, nec enim vetant irasci, sed per iram peccare vetant.

Sic enim scriptum est: Ita irascimini, ut ne peccetis. Quocirca irasci licet, sed impietati, injustitiæ, cæteriq; vitiis: sed moderatè, & cùm tempus ac locus postulant.

Quæ cum ita sint, Auditores optimi, omni studio connitendum nobis est, ut iram rationis imperio coërceamus, diligenterq; caveamus, ne per eam in aliquam turpitudinem prolabamur. Audiamus Aristotelem, qui iram comparat militi, præ alacritate etiam injussu Imperatoris ante aciem excurrenti, qui statim revocandus sit. Audiamus Senecam, qui monet, maximum iræ remedium esse dilationem, ut primum ejus fervor relanguescat, & caligo quæ mentem premit, discutiatur. Audiamus Athenodorum philosophum, qui ab Augusto quodam tempore discessurus hoc ei præceptum μνημόσυνον reliquit: Ne quidquam iratus aut diceret, aut faceret, nisi viginti quatuor Græcorum literis prius recitatis. Audiamus denique & Socratem, qui, non utimur (inquit) aqua turbata, nisi constiterit: multo minus utendum est animo commoto, antequam ad se redierit. Sic fecisse scribitur Archytas, qui servo, à quo graviter offensus fuerat, dixerit: Quo te modo accepissem, nisi iratus essem. Quapropter & nos demus operam, ut iram, quantùm in nobis est, devitemus,

*us, aut si omninò vitari non queat, eam moderemur, & intra rationis do-
ceq. gyrum contineamus, atque adeò Achillis Minervam audientis e-
plum imitemur.* DIXI.

RATIO TERTIÆ CLASSIS, RECITATA à CHRISTOPHORO SCHLAUDERSPACH, Noriberg.

PRÆCLARE *Epicharmus Deum labore omnia bona hominibus venalia proposuisse ait. Nec minus verè ac sapienter poëtarum rex Virgilius, labor (inquit) omnia vincit improbus. Nihil est enim in rebus humanis tam magnum atque præclarum, nihil tam arduum atque difficile, quod virtutis studio, labore & contentione superari ac obtineri non queat. Atque hujus quidem rei exemplum illustre nobis propositum est in Hercule, cujus cum Centauro dimicantis eumq. vincentis simulachrum in numismate nostro impressum effictumq. habemus, cum hoc Emblemate:* GAUDET CERTAMINE VIRTUS. 1614.
Fuit autem Hercules Jovis & Alcmenæ filius, qui quum primum adolescceret, fingitur exiisse in solitudinem, ibiq. velut in bivio Pythagorico hæsitasse ac deliberasse, utram vitæ viam ingredi, & voluptatémne an virtutem consectari deberet. Tunc ei duas fœminas obviam venisse ajunt, quarum una pretioso splendidoq. vestitu ornata, & nitore fucato illita viam voluptatis monstrarit; vitamq. ei suavem omniq. deliciarum genere circumfluentem promiserit: altera autem veste vili candidaq. amicta, & vultu liberali prædita virtutis viam, sed laboriosam, cum perenni tamen felicitate

*& tardiores ne despiciat. Qui parum habet ingenij, adhibeat diligentiam, quæ ut Cicero ait, omnia potest, nec quicquam est, quod non assequatur. Cæterum Emblema nostrum etiam in consilijs locum habet, in quibus non velocior, ut fit in cursu, sed tardior vincere solet. Deliberandum est enim diu quod statuendum est semel. Plurimos videas ex inconsulta & temeraria festinatione in ipso statim operis limine collabi: alios nonnihil progressos maximis involvi difficultatibus, & vel nunquam, vel tardissimè ad exitum pervenire: alios etiam adeò nihil efficere, ut rei absque maturo consilio attentatæ onere opprimantur. Sed tempus admonet, ut finem orationi imponam. Quapropter, Auditores humanissimi, etiam atque etiam Emblema illud nostrum (*Paulatim, *quò pertinet,* Festinalentè*) considerare, ejusq; prudentissimum consilium semper & ubiq; in omni rerum ac negotiorum vel privatorum vel publicorum aggressione sequi debemus.* D I X I.

ORATIO QUARTÆ CLASSIS, RECITATA à CUNRADO MÜLLERO, Herbipolensi.



IN numismate meo, Auditores humanissimi, duæ manus sunt effictæ, quarum altera calamum corolla circumplicatum: altera tribulum tenet, cum hoc Emblemate: AD RASTRA, VEL ASTRA. *Constituitur autem nobis ob oculos duplex vitæ genus: alterum clarum & honoratum, quod astris notatur: alterum obscurum & inglorium*

inglorium, quod raſtris exprimitur. Ad raſtra quidem proclivis patet via, eorum veſtigiis trita & notata, qui ſomno, ludis, nugis, ignavo turpiq; ocio ſeſe dediderunt, & literas omnesq; honeſtas artes ac labores oderunt atque fugerunt. His meritò præmij loco aſſignatur tribulum, hoc eſt, vita abjecta, agreſtis, dura, laborioſa. Ignaviæ enim atque inſcitiæ comites ſunt egeſtas atque contemtus. Hinc illud: Φεύγων μὴλον ἁλφιτα φεύγει. Et præclarè Cicero: Mihi quidem, inquit, qui nihil agit, eſſe omninò non videtur. Qua voce nil abjectius aut contemptius de ignavis dici potuit. Sed omittamus tribula & raſtra, quæ hunc locum nec armant, nec ornant: & convertamus nos ad aſtra, hoc eſt, ad vitam honoratam & jucundam: cujus omnis & dignitas & jucunditas in literis, quæ coronati calami imagine ſignificantur, poſita eſt. Nihil etenim in rebus humanis præſtantius, nihil ſalutarius, nihil jucundius eſt eruditione ac literis. Harum namque ope omnia, quæ homines in vita expetunt, comparari, conſervari, amplificari poſſunt.

Atque ut de opibus & copijs, cæteriſq; id genus bonis, ad quæ paranda literæ accommodatæ ſunt, nunc taceam: nonne earum ſubſidio tanquam alis homines ad aſtra, hoc eſt, ad ſummas dignitates & honores evehuntur, atque in clariſſima hominum luce collocantur? Si repetamus pauliſper antiquitatis memoriam, videbimus omnes, qui doctrinâ & ſapientiâ excelluerunt, ampliſſimis honoribus uſos. Quid Lycurgus, nonne ſapientiæ admiratione tantum eſt auctoritatis conſecutus, ut civitatem luxuria diffluentem legum ſeveritate devinciret? Quid ſeptem ſapientes, nonne in ſuis civitatibus principatum obtinuerunt, & Græciam univerſam bonamq; Aſiæ partem ſapientiæ nomine commoverunt? Quid hic referam ampliſſima laudis ornamenta, quibus Gorgiæ, Plato, Ariſtoteles, Xenocrates, Theophraſtus, & omnes deniq; excellentes philoſophi decorati ſunt? Apud Perſas autem Magi in tanta admiratione fuerunt, ut nemini regnare liceret, qui non fuiſſet prius eorum diſciplinis inſtitutus. Apud Ægyptios quantus honos fuerit habitus ſacerdotibus, explicari vix poteſt. Apud Romanos, nonne eruditi homines egregiam laudem & eximios honores conſecuti ſunt? Quid commemorem Africanum illum, qui Carthaginem & Numantiam delevit? Quid Lælium ſapientem cognominatum? à quo Terentij fabulæ ob elegantiam conſcribi putabantur. Quid Scævolam & Brutum, atque poſtremò, ut alios innumerabiles omittam, M. T. Ciceronem, eloquentiæ parentem, qui gloriam Romani Imperij doctrinæ

ctrinæ præstantissimis muneribus illustravit? Nec Romani solùm, sed etiam externi, doctrinæ commendatione in eam civitatem accepti, summisq; honoribus aucti fuerunt, qualis fuit Plutarchus Cheroneus, Dionysius Halicarnasseus, Strabo, Ælianus, Arrianus, Dio, Seneca, aliiq; permulti, quos esset infinitum enumerare? Druidas autem apud Gallos; Brachmanes & Gymnosophistæ apud Indos, in quanto pretio & honore fuerint habiti, est satis exploratum. Exponam vobis rem admirabilem & auditu fortasse non injucundam.

Sinenses. Sinæ populi, quos & Chinas appellant, regionem incolunt latissimam in extremis Orientis oris, de quibus historiæ non ita pridem è Lusitanico sermone in latinum conversæ referunt, vix esse ullam nationem sive urbium magnitudine, sive ædificiorum pulchritudine, sive victu cultuq; civili, sive flagranti artium studio, cum Sinarum natione comparandam: In libris autem scribendis & excudendis, aneis formis, quæ non ita pridem apud nos inusu sunt, illi infinitis propè seculis utuntur. Tantumq; ajunt apud illos tribui disciplinis, ut nullo modo liceat summum Imperium committi, nisi illi, qui se probaverit omni liberali doctrina ac disciplina excultum ac perpolitum. Nec enim in mandandis honoribus aut generis, aut fortunæ rationem habent, sed tantùm disciplinæ ac eruditionis. Omnes igitur, qui principatum expetunt, in artium studia incumbunt. Ubi autem credùt, se non pœnitendam progressionem fecisse, ad certos judices huic muneri destinatos accedunt. Horum suffragio, aut ut indocti repelluntur, aut ut docti certis honorum insignibus ornantur. Ex ijs deliguntur, qui minores jurisdictiones administrent. Qui autem diutiùs in studiorum curriculo versari, & sublimiores disciplinas persequi cupiunt, ubi certum judicium absolverint, aliud gravius judicium subeunt. Judicatur enim à viris multo doctioribus, quibus si satisfecerint, ad altiorem honoris gradum ascendunt. Sic etiam licet ijs, qui ampliorem honoris spem sibi proponunt, plures annos in studiis consumere, & ordinatim alia atq; alia doctorum hominum judicia subire. Sunt enim plures ordines hominum de ingenio atque doctrina judicantium. Hinc igitur apparet, quantum apud Sinas valeat opinio doctrinæ & eruditionis: cum eos duntaxat honoribus cumulent, & imperio præficiant, quos judicant esse doctrinæ laude præcellentes.

Quod si igitur Adolescentes suavissimi, doctrinæ studium non solum apud Græcos & Romanos, sed etiam apud barbaras nationes, tantam vim obtinet, ut homi-

ut hominem variis bonis cumulare atque ornare, & ad astra, hoc est, ad magnos honores evehere possit: cur ex animis nostris torporem atque ignaviam non excutimus? Cur oblatam tot tantaque bona consequendi opportunitatem non amplectimur? Cur non totis animis ac studiis ad laudandarum doctrinarum studia incumbimus. Non enim ex plano & facili gloria petitur: sed (ut Poëta inquit) per ardua progreditur. ἡ ἀρετὴ ἱδρῶτι μόχθων. *Deus opt. max. cui, quaecunq; hic acta dictaq; sunt, grata esse cupio, nobis adolescentibus & voluntatem & facultatem largiatur, ut ea, ad quae nostra cohortatio spectat, expedito cursu assequamur.* DIXI.

XVI. PANEGYRIS, Anni 1592.

SUB RECTORATU D. D. NICOLAI TAURELLI, MEDICI.

ORATIO PRIMÆ CLASSIS, RECITATA à PAULO FETZER, Noribergensi.



SI mea sponte in hanc concionem ascendissem, Auditores humanissimi, intemeritatis ac impudentiæ crimen meritò vocarer. Nam locus hic amplissimus &

mus & splendidissimus non imperitis ac indisertis adolescentibus: sed viris præclara doctrina eximiaq; dicendi facultate præditis destinatus ac consecratus est. Verum, quum Mag. D. Rectoris jussu & autoritate evocatus huc pervenerim: spero me non solum crimine, sed criminis quoque suspicione carituram esse. Longiore itaque excusatione prætermissa, rectà ad id, quod mihi propositum est, aggrediar, idq; quàm brevissima fieri poterit oratione percurram. Vos interim oro & obtestor, ut mihi cæterisq; condiscipulis meis ex hoc loco de-inceps verba facturis benevolentiam & attentionem humanitate vestra dignam tribuatis.

Historia Promethej fabulosa.

Atque ut hinc exordiar: In hôcce brabeo nostro Prometheiad montem religati, & aquilæ jecur illius assiduè dilaniantis imago cernitur: cui adscriptum est una voce expressum Emblema: CONSCIENTIA. *Cæterùm, ut res melius intelligatur, ex antiquorum scriptis explicatio ejus repetenda est. Memoriæ literisq; proditum est, Jovem iratum mandasse Mercurio, ut Prometheum ob surreptum ignem & divini muneris Pandoræ contemtum ad Caucasum religaret. Causæ verò tanti supplicij tres præcipuè commemorantur, fraus, furtum & contemtus. Cum enim in sacrificijs olim mos esset integras hostias immolare, neque idcirco pauperes ob sumtuum magnitudinem sacrificare possent, Prometheus cum Jove egit, ut dimidia duntaxat hostiæ pars deinceps ad sacrificium præberetur: altera verò hominum usui reservaretur. Quod cum Jupiter concessisset, Prometheus homo callidus & veterator binos tauros mactavit, & utriusque ossa, à carnibus separata accumulavit, corioq; obtexit, carnes itidem seorsim ab ossibus positas reliquo corio operuit, atque ita Jovi alterutram hostiam eligendi optionem dedit. Jupiter nil fraudis suspicatus, osseam victimam prope se locatam elegit. Sed fraude animadversa graviter excandnit, atque hominibus ignem, ne sacrificia amplius facilitare possent, eripuit. Verum callidissimus Prometheus auxilio Minervæ in cælum ascendit, ferulaq; ad currum solis admota, ignem surripuit, eumq; in terras delatum cum mortalibus denuò communicavit. Quod cum Jupiter resciviisset, Vulcano imperavit, ut fœminam è luto fingeret: quæ, quod omni artium genere à dijs instructa ornataq; esset, Pandora dicebatur. Hæc primùm una cũ pyxide bellè depicta, cunctisq; malis & calamitatibus referta, ad Prometheum missa fuit, à quo spreta & metu insidiarum repudiata, ad Epimetheum contendit: qui pyxidem ab ea acceptam quùm aperuisset, omnisq;*

omnisq; generis mala evolare sentiret solam Spem in fundo hærentem occlusit; eamq; cum vasculo retinuit. Jupiter verò muneris sui contemtum ægerrimè ferens, Mercurio mandavit, ut Prometheum ad Caucasum montem deduceret, eumq; humi stratum, quatuor catenis tàm arctè astringeret, ut nullo pacto sese movere posset. Adjunxit & aquilam, quæ jecur illius assiduè tundens laniaret atque exederet, nec tamen penitus id conficeret & absumeret. Nam quantum jecinoris interdiu depascebatur, tantundem noctu renascebatur, adeò, ut nulla unquam doloris materia deesse posset.

Hoc figmentum, Auditores, non tanquam inane aurium oblectamentum accipere debemus: sed ex eo discere, in omnibus consiliis & actionibus diligentem conscientiæ rationem habere oportere. Est enim conscientia veluti prætor in uniuscujusque animo constitutus, qui & quid, & quale, & quantum quidque sit, clarè perspicit rectèque judicat: & virtutes commendat & approbat; vitia improbat & damnat: atque his pœnas; illis præmia statuit atque decernit. Estq; permagna illius vis in utramque partem, ut neque timeant, qui nihil commiserint & pœnam semper ante oculos versari putent, qui peccarunt. Nam qui rectè factorum memoria sustentantur, ij sive domi sive foris versentur, & sive prosperis rerum successibus utantur, sive adversis afflictentur, semper placida & tranquilla mente consistunt. Contra qui omni sceleris & improbitatis contagione sè contaminarunt, incredibili dolore & molestia afficiuntur & excruciantur. Nam & maleficiorum conscientia cos perterret, & judiciorum metus exanimat, & suppliciorum formido de mente dejecit. Neque enim conscelerati deorum impulsu (ut Cicero ait) furiarum tædis ardentibus terrentur, sed sua quemq; fraus, suum facinus, suum scelus, sua audacia, de sanitate ac mente deturbat. Hæ sunt impiorum furiæ, hæ flammæ, hæ faces. Nullum enim scelus (ut Seneca scribit) licet illud fortuna exornet muneribus suis, impunitum est, quoniam in scelere sceleris supplicium est, timere semper & expavescere, etiam securitati diffidere. Multos fortuna liberat pœnâ, neminem metu. Tutum res aliqua in mala conscientia præstat, nulla securum. Putat enim se etiamsi non deprehenditur, posse deprehendi, & inter somnos movetur, & quoties alicujus scelus loquitur, de suo cogitat. Hæc Seneca in epistolis sanè quàm verè ac sapienter. Conscientia enim per omnes nationes & gentes peragrat, atque in animis omnium tam est insita ac ingenerata, ut nemo, ne si so-

lus quidem ferarum more vixerit, vim ejus ignorare, nec ullius hominis, si quid mali designârit, callidit.s aut violentia angores illius & cruciatus effugere possit. Hinc perpetuus languor, hinc tristis & atrox vultus, hinc pavor & trepidatio; adeò ut facinorosi ad omnia fulgura & tonitrua expallescant, ad quosvis rumores trepident, atq. etiam folij volitantis strepitu perterriti contremiscant. Nullum enim habent in rebus angustis & adversis levamentum, nullum in mœrore solatium, nullum in calamitatis imminentis metu perfugium. Ut enim si quis telo venenato confixus esset, quod è corpore extrahi non posset, nullum temporis momentum dolore vacuum haberet: Sic ubi venenum turpitudinis animum occupavit, & altius penetrans mortiferum ei vulnus inflixit, nihil est quod miserum hominem ab angoribus & dolorum acerbitate liberare possit. Ex quo fit, ut neque domi, neque foris, neque publicè, neque privatim, neque interdiu, neque noctu, neque in ocio, neque in negotio ullam quietem inveniat. Etenim nec domus, nec civitas, nec frequentia, nec solitudo, nec lux, nec tenebræ, nec labor, nec requies illis jucunda esse potest, qui animum scelerum ac flagitiorum vulneribus concisum gerunt. Testis est Imperator Nero, qui interfecta matre, aliisq. sceleribus admissis somnum amplius capere non potuit: sed agitatus furiis de lustratione cogitavit: tandemq. gladio mortem sibi ipse conscivit. Testis est Bessus quidam (ut Plutarchus scribit) qui cum patrem suum clàm trucidasset, posteaq. complures annos absque ulla criminis suspicione exegisset: quodam die ad cœnam quam amicis condixerat, proficiscens fortè incidit in nidum hirundinum, quem baculo diruit, pullosq. inde exturbatos crudeliter omnes obterit & conculcat. Reprehensus verò à comitibus de immanitate, quam in aviculas innocentes nulla de causa exercuisset: Nimis diu (inquit) me paternæ cædis falsò accusarunt. Quod responsum comites ad regem detulerunt, qui re diligenter explorata cognitaque, Bessum meritò supplicio affici jussit. At illæ non hirundinum, sed ipsius naturæ voces erant: quæ instabant, quæ urgebant, quæ Besso hæc duo verba, Quid feci.ti, identidem in mentem revocabant, adeò, ut nec unquam, nec uspiam metu vacare, animoq. tranquillo esse potuerit. Verùm exempla plura nec res proposita desiderat, nec temporis brevit.s admittit.

Hirundines Parricidam manifestant.

Perspicuum igitur est, Auditores ornatissimi, constatq. inter omnes, in conscientia & felicitatem & miseriam nostram esse positam: utpote, quæ si pura integraq. sit, animum sanat, mentem illustrat, securitatem præstat, voluptatem

——Hic murus aheneus esto;
Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa.

luptatem parit, ad beatitudinem deducit; cum Deo beatisq; mentibus nos conjungit, ac sempiterna societate devincit: Contrà verò, si impura sit, scelereq; constricta teneatur, animum afflictat & perturbat, mentem occæcat, molestias creat, terrores injicit, dolores affert, calamitates importat, tandemq; hominem acerbissimis cruciatibus confectum in sempiternas miserias conijcit.

Quæ cum ita se habeant, neminem vestrum esse puto, qui mecum non consentiat, planeq; statuat, in id studium unicè incumbendum esse, ut, quantum in nobis est, vitia declinemus & fugiamus, & virtutem amplectamur, atque colamus: vitamq; nostram prorsus sic instituamus, ut sive soli simus, sive inter homines agamus, nihil admittamus, cujus nos aliquando vel pudere vel pœnitere queat: & verò ad extremum, decurso in his terris vitæ spacio, bonaq; fama inter homines relicta, conscientiam puram omniq; labe carentem ad Deum opt. max. supremum humani generis judicem afferamus.

DIXI.

ORATIO SECUNDÆ CLASSIS, RECITATA AB ILLUSTRI ET GENEROSO DN. DN. JOHANNE-ALBINO SCHLICK, Comite in Passaun & Weiskirchen.

DUplex animorum atque naturæ humanæ vis est: una in ratione posita, quæ doceat atq; explanet, quid faciendum fugiendumq; sit: altera in appetitu, ἐφυὴ græcè: quæ hominem huc & illuc ra-

illuc rapiat. Ambæ ea lege inter se junctæ sunt, ut appetitus rationi pareat. Ratio enim nil nisi prudens, justum, forte, temperans, præscribit, unde omnia officia, laus, decus, honor, gloria, promanant. Appetitus contrà temeritatis, libidinis, iracundiæ, injuriæ, ignaviæ, vel autor vel minister est. Cui ne obsequamur, admonet nos brabeum nostrum, in quo imago cernitur Minervæ Achillem iratum à crudeli facinore quod animo conceperat, revocantis ac prohibentis, subjecto hoc Emblemate: VINCE ANIMOS. *Nam ut Homerus lib. 1. Iliados scribit: Cum Achilles dux fortissimus, optimeq; de rege suo Agamemnone meritus, videret se in nullo apud eum esse loco: incredibili dolore exarsit. Sic enim conqueritur (autore Homero, interprete Minturno:)*

„ Namque loco nullo numerat me Rex Agamemnon;
„ Ipse habet id quo despectum me munere privat.
„ Noverit Atrides, quorum sit causa malorum,
„ Contemsisse virum, quo non præstantior alter.

Itaque tandem iracundiæ victus stricto gladio regem adoritur: sed à tergo astans Minerva eum subitò capillis apprehensum retrahit, ejusq; furorem ac impetum reprimit ac retardat. Quo insigni exemplo sapientissimus Poëta docet, iram nihil aliud esse, quàm furorem quendam brevem atque, ut Seneca ait, consultorem pessimum: quæ idcirco Minervæ, hoc est, rationis imperio refrenari omniq; studio coërceri debeat. Est enim hæc affectio omnium turbulentissima, atque etiam nisi cohibeatur, nocentissima. Etenim tàm ipsis iratis, quàm aliis hominibus vim ac detrimentum afferre solet. Primum enim perturbat animum, omnemq; rationis usum pervertit, ut mens neque quid æquum, neque quid iniquum sit, amplius cognoscere atque statuere possit. Nam ut fumus offendit oculos, eisq; tenebras offundit, quo minus viam propositam, quæq; in ea se obviam ferunt pericula & incommoda, cernere atque evitare possint: sic iræ impetus mentem, quæ oculus quidam animi dicitur, quasi caligine quadam circumfundit & obscurat, ut nec decus, nec probrum, nec emolumentum, nec detrimentum perspicere queat. Verùm non animum duntaxat affligit, sed in corpus quoque suam vim exercet. Nam sanguine in pectus confluente, & quodam quasi æstu effervescente, cor intumescit & palpitat, & calor in cerebrum ac reliqua membra repentè diffunditur. Hinc teter & horribilis aspectus: celer & truculentus oculorum motus: color aut pallidus aut igneus: tremor totius corporis: lingua aut hæsitans & velut intercluſa:

ulcisa: aut ad convitia valdè præceps & expedita: clamor insanus: impetus furens ac violentus. Non rarò manus antevertit verba, tum pro telo est vel pugnus, vel ungues, vel calces, vel morsus, vel sputum ipsum, & denique quicquid primum manibus obtingit: furor nempe (ut quidam ait) arma ministrat. Hinc plagæ, vulnera, cædes, atque id genus alia mala, quæ ex ira tanquam ex venenato fonte promanant. Liceat ex innumeris exemplis unum & alterum in medium proferre.

Alexander Rex Macedonum, cognomento magnus, nutricis suæ filium Clytum amicum singularem & innocentem, per iram interfecit: paulò q. post sese recolligens, telum è Clyti vulnere extractum in scipsum convertisset, nisi amicorum interventu prohibitus fuisset. L. Sylla turbo & procella Reipubl. Romanæ, irarum furiis agitatus universam urbem, omnes Italiæ partes atrocissimis civium cædibus ac sanguine cruentavit. Commodus Imperator irâ incitatus balneatorem in fornacem ardentem conjecit, quod balneum ingressurus tepidiusculum id invenisset. Tamberlanes Scytharum rex, cum videret, pueros & puellas candidis vestibus amictos, oleaq. sertis redimitos pacis exorandæ causa, sibi obviam mitti, rabiosâ irâ inflammatus equitatum in eos immisit, omnesq. misere protrivit & conculcavit, & reprehensus ab amico: Cave, inquit, ne iram atque furorem Dei temerè accuses. Sed quid longinqua ex veterum annalibus exempla repeto? Convertamus nos ad propinqua, quæ ætas nostra vidit, ac etiam nunc non absque ingenti dolore videt. Quis nescit, quàm exitiosa atque funesta irarum fax, in Belgio & Galliæ regno multis ab hinc annis accensa, adhuc ardeat? Quis ignoret tyrannidem Hispanicam? cujus furore multa hominum millia in Belgio, omnibusq. fortunis despoliata, bonis omnibus exuta, carcere, vinculis, equuleo, ferro, cruce, flamma, defossionibus, mersionibus, indicta caussa, atque etiam non rarò intempesta nocte, contra usitatam judiciorum formam, contrucidata sunt. Quis absque luctu & horrore carnificinam Gallicam recordari queat? in qua circiter triginta hominum millia, paucorum dierum spacio interfecta sunt: non in prælio, sed in summa quiete: non armati, sed partim nudi, atque in lectulis dormientes; partim supplices, atque sicariorum misericordiam implorantes: non unum in locum coacti, sed suis quisq. in civitatibus ac domiciliis constituti: non per judicium ac legitimam quæstionem, sed rabieq. impetuq. furentis populi: atque in eo numero quàm plurimi morbis affecti: multi senes, multæ no-

biles matronæ, generosæ virgines, mulieres prægnantes, pueri infantesq; complures, viri denique permulti eruditissimi clarissimiq;, & ab omni armorum & tumultus suspicione remotissimi, fuerunt.

Ex his exemplis facilè constare arbitror, nullam esse bestiam truculentiorem, humanoq; generi magis perniciosam, quàm iram: quippe quæ non solum animum uniuscujusq; intestino bello vexat: sed foras quoque prorumpens, turbulentas dissensiones, insidias, cædes, hominum strages, civitatum ac imperiorum eversiones, atque adeò omnis generis tum privatas tum publicas calamitates importat. Verum hanc nostram admonitionem non de qualibet ira accipi velim. Nam ea quæ rationem in consilium adhibet, bonumq; finem sibi propositum habet, tantum abest, ut vitiosa videri debeat, ut etiam in laude ponenda sit. Est enim naturalis affectio, ad injurias propulsandas homini attributa: itaque & Philosophi ejus mediocritatem laudant, eamq; fortitudini tanquam rerum magnarum administram adjungunt. Quam ob causam veteres Academici, teste Cicerone, iram ἀκόνιτον ἀνδρείας, id est, cotem fortitudinis appellaverunt. Imò verò & sacræ literæ iram moderatam probare videntur, nec enim vetant irasci, sed per iram peccare vetant.

Sic enim scriptum est: Irascimini, ut ne peccetis. Quocirca irasci licet, sed impietati, injustitiæ, cæterisq; vitiis: sed moderatè, & cùm tempus ac locus postulant.

Quæ cum ita sint, Auditores optimi, omni studio connitendum nobis est, ut iram rationis imperio coërceamus, diligenterq; caveamus, ne per eam in aliquam turpitudinem prolabamur. Audiamus Aristotelem, qui iram comparat militi, præ alacritate etiam injussu Imperatoris ante aciem excurrenti, qui statim revocandus sit. Audiamus Senecam, qui monet, maximum iræ remedium esse dilationem, ut primum ejus fervor relanguescat, & caligo quæ mentem premit, discutiatur. Audiamus Athenodorum philosophum, qui ab Augusto quodam tempore discessurus hoc ei præceptum μνημόσυνον reliquit: Ne quidquam iratus aut diceret, aut faceret, nisi viginti quatuor Græcorum literis prius recitatis. Audiamus denique & Socratem, qui, non utimur (inquit) aqua turbata, nisi consliterit: multo minus utendum est animo commoto, antequam ad se redierit. Sic fecisse scribitur Archytas, qui servo, à quo graviter offensus fuerat, dixerit: Quo te modo accepissem, nisi iratus essem. Quapropter & nos demus operam, ut iram, quantùm in nobis est, devitemus,

temus, aut si omninò vitari non queat, eam moderemur, & intra rationis doctrinæq. gyrum contineamus, atque adeò Achillis Minervam audientis exemplum imitemur. DIXI.

ORATIO TERTIÆ CLASSIS, RECITATA à CHRISTOPHORO SCHLAUDERSPACH, Noriberg.

PRÆCLARE *Epicharmus Deum labore omnia bona hominibus venalia proposuisse ait. Nec minus verè ac sapienter poëtarum rex Virgilius, labor (inquit) omnia vincit improbus. Nihil est enim in rebus humanis tam magnum atque præclarum, nihil tam arduum atque difficile, quod virtutis studio, labore & contentione superari ac obtineri non queat. Atque hujus quidem rei exemplum illustre nobis propositum est in Hercule, cujus cum Centauro dimicantis eumq. vincentis simulachrum in numismate nostro impressum effictumq. habemus, cum hoc Emblemate:* GAUDET CERTAMINE VIRTUS. 1617. *Fuit autem Hercules Jovis & Alcmenæ filius, qui quum primum adolesceret, fingitur exiisse in solitudinem, ibiq. velut in bivio Pythagorico hæsitasse ac deliberasse, utram vitæ viam ingredi, & voluptatémne an virtutem consectari deberet. Tunc ei duas fœminas obviam venisse ajunt, quarum una pretioso splendidoq. vestitu ornata, & nitore fucato illita viam voluptatis monstrarit; vitamq. ei suavem omniq. deliciarum genere circumfluentem promiserit: altera autem veste vili candidaq. amicta, & vultu liberali prædita virtutis viam, sed laboriosam, cum perenni tamen felicitate*

felicitate & gloria conjunctam, ostenderit & commendarit. Adolescens itaq. utriusq. oratione accuratè perpensa, tandem virtutis viam sibi ingrediendam existimavit. Itaque duce virtute, comite labore, multa pulcherrima & præclarissima facinora edidit, quæ à Diodoro, à Livio, à Dionysio, à Virgilio, Ovidio, Theocrito aliisq. scriptoribus commemorantur. Atque ut de innumeris pauca delibemus: Quum Hercules adhuc in cunis vagiret, duos ingentes angues utraq. manu prehensos constrictosq. interemit. Adultus hydram virulentissimam multisq. capitibus & colubris insignem interfecit. Leonem immanissimum nudis manibus apprehensum discerpsit, eiq. pellem detraxit. Busiridem Ægypti regem, advenas suos mactare & immolare solitum, obtruncavit. Antæum Gigantem secum colluctantem compressit ac suffocavit. Cacum Vulcani filium, Italiam nefandis latrociniis ac incendiis infestantem de medio sustulit. Centauros fregit & subegit. Geryonem Hispaniæ regem tricorporem bello superavit, ejusq. boves abegit. Draconem in hortis Hesperidum aurea mala custodientem interfecit. Cerberum tricipitem ab inferis extractum necavit. Quid multa? Homines maleficos, immanes bestias, horrenda monstra propè infinita confecit atque oppressit. Ideoq. monstrorum domitor, & καλλίνικος καὶ ἀλεξίκακος, id est, egregius victor & malorum depulsor appellatus est. Tandem verò multiplicis laboris ac sudoris spacio decurso, pyram in monte Oeta extructam & incensam conscendit, & quod mortale habebat, combussit: quod divinum, id in cæleste domicilium secum evexit. Verum sub his fabularum involucris latet aliquid gravius, quod explicandum atque excutiendum videtur. Sic enim nunc statuamus, Herculem nostrum nil aliud esse, quàm ideam quandam omnium virtutum à sapiente vetustate posteris ad imitandum propositam. Nam primo idipsum varia ipsius nomina indicare videntur. Primum enim appellatus fuit Alcides, à græca voce ἀλκὴ, quæ excellens animi vis, & corporis robur, præsidium virtutum & remedium vitiorum significatur. Deinde dictus est Hercules, quasi τὴν ἡρώων κλέος, id est, heroum gloria: vel quòd ille inter cæteros heroas, velut Hesperus inter stellas eluxerit: vel quia gloria non ignavos, sed fortes heroës beneq. de humano genere meritos imprimis comitetur. Et quoniam non solum naturæ dotibus adjumentis, verùm etiam singulari divini numinis afflatu ad res præclarè gerendas opus est: idcirco fingitur Jovis fatu procreatus: susceptus ex matre Alcmena, id est, ex constantia & perseverantia in laboribus, difficultatibus

Facinora Herculis pulcra.

cultatibus & periculis, virtutis & gloriæ causa subeundis ac perferendis. Deinde secessus ejus, atque solitaria cum duabus mulierculis collocutio, nil aliud significat, quàm maturam & tacitam quandam de vita instituenda deliberationem: cui intervenerit ratio & appetitus, cum quibus adolescens aliquandiu quidem de victoria contenderit, ad extremũ tamen rationem ducem secutus, viam virtutis iniverit, in eaq; ita perrexerit, ut nulla eum neque animi mollities, neque extrinsecus objecta voluptatis species, neque laborum difficultas, neque periculorum terror revocare ac depellere potuerit. Deinde non monstra & bellua, sed vel latrones & tyrannos (ut quidam putant) vel (ut nos interpretamur) pravas cupiditates ac vitia, quæ ferè infensissimi humani generis hostes censentur, oppugnavit & superavit. Neque etiam clavam nodosam, gravem duroq; ex robore constantem gestavit: sed labores immensos, summas difficultates, maxima pericula, quæ clavæ figmento notantur, in vitiorum monstris expugnandis conterendisq; subiit atque sustinuit. Quod verò nunquam è manibus clavam deposuisse fingitur, id vigilantiam & constantiam ipsius indicat. Providerat nimirum hoc genus belli non uno alteróve anno confici posse: sed perpetuum id esse, multasq; habere vicissitudines, atque ancipiti victoria sæpenumero pugnari. Exuvium porro leonis, quod illi velut paludamentum affingitur, victoriæ ex hostibus devictis reportatæ signum est. Rogus denique ardens quem conscenderit, indicat ardentissimum vitæ melioris desiderium, quo incensus ac inflammatus, se ab hac mortali concretione, segregavit, atque ad æthereas illas sedes, ubi virtutis brabeum repositum erat, evolavit. Neq; enim mors est interitus omnia tollens atq; delens: sed quædã quasi migratio commutatioq; vitæ, quæ claris viris ac fœminis dux in cœlum esse solet. Quemadmodum chorus apud Senecam de Hercule Oeteo eleganter canit:

„ Nunquam Stygias fertur ad umbras
„ Inclyta virtus. vivite fortes,
„ Nec Letheos sæva per amnes
„ Vos fata trahent: sed cum summas
„ Exiget horas consumta dies,
„ Iter ad superos gloria pandet.

Hoc pulcherrimum Herculis exemplum, Auditores, de tribus gravissimis rebus nos admonet. Nam primum homini in hanc vitam ingresso duplicem

actionum viam proponit: alteram virtutis, principio fortasse difficilem atq; asperam; exitu certè salutarem atque gloriosam: alteram vitii, initio planam, facilem, oculisq; jucundam; sed in fine præcipitem, ac deviam, atque in extremum salutis & famæ discrimen nos adducentem. Deinde reliquum vitæ cursum multis laboribus, difficultatibus atq; periculis definit, adeoq; ostendit nostram in his terris vitam esse perpetuam quandam militiam, in qua cum pravitate animi, cum tetra mentis caligine, cum vitiorum turpitudine, tanquam cum hostibus continenter nobis confligendum sit. Postremò egressum quoque ex hac mortali vita describit, atque animorum è corpore migrationem itidem duplicem nobis ob oculos ponit: quarum una ad præmia, altera ad pœnas sempiternas deducat.

Quæ cum ita sint, Adolescentes studiosi, exemplum Herculis secuti, primum maturè de vitæ instituto cogitemus, & pro viribus enitamur, ut à fallaci & exitiosa voluptatis via aversi, semitam virtutis, proborum hominum vestigiis notatam ingrediamur, ab eaq; nulla omninò re nos deterreri aut avocari patiamur. Quia verò maxima ætati nostræ inest imbecillitas, & imperitia atque temeritas, qua fit ut in delectu rerum sæpè fallamur, & errore mentis res noxias tanquam salutares consectemur & amplectamur: idcirco non nostris judiciis solis niti debemus: sed viros bonos, prudentes, eruditos, nobisq; benevolos in consilium adhibere, eisq; tantisper obtemperare, dum ipsi rationibus nostris prospicere & consulere possimus. Deinde quia non satis est laudabiliter cœpisse, nisi perseveremus: & verò cùm hostium nostrorum magna sit vis atque calliditas: ideò singularis & vigilantia & constantia adhibenda nobis est: & quoties res postulat, legitimè dimicandum, hoc est, pravis cupiditatibus, perversis improborum consiliis, pessimis æqualium exemplis, insidiosis voluptatum illecebris, variis denique adversæ fortunæ telis fortiter resistendum est: omnesq; cogitationes nostræ, omnia dicta & facta ad voluntatem divinam conformanda: donec tandem laborum ac vitæ cursu confecto à Deo agonotheta summo ad præmia evocemur, atque perennis felicitatis coronâ ornati ævo sempiterno fruamur.

DIXI.

ORA-

ORATIO QUARTÆ CLASSIS, RECITATA à JOANNE VASTERT, Noriberg.



IN numismate nostro, Auditores humanissimi, expressus est cervus arrectis attentisq; auribus. Estq; hoc Emblema additum: ARRECTA ATTENTIOR AURE. *Quod ut planius ac plenius intelligatur: breviter tum de auditu, tum de auditoris officio dicendum videtur. Inter reliquos sensus, quos summus ille rerum opifex Deus animantibus, tum salutis quærendæ & conservandæ, tum exitii cavendi & avertendi causa tribuit principatum obtinent visus & auditus: quæ propterea ἐκλεκτώτατα αἰσθήσεις ab Aristotele appellantur. Ex his verò duobus uter sit præstantior, dubitari fortasse possit. Nam si vitæ commoda atq; disciplinarum inventionem spectemus, aspectui: si verò artes atque scientias jam quæsitas & inventas, quæ opinionum sententiarumq; communicatione indies augeri & magis magisq; perfici possunt, consideremus, auditui primæ deferendæ videntur. Nec sanè immeritò. Nam & Aristoteles auditum ἀκροατὸν τῆς παιδείας, id est, disciplinæ sensum appellat: quasi instrumentum disciplinis & tradendis & percipiendis imprimis accommodatum. Deinde experientia docet, cæcos mutis surdisq; plerumque prudentiores esse: quia aures ad scientiam plus adjumenti quàm oculi conferre soleant. Atque hæc causa fuit (inquit Plutarchus) ut parentes liberos suos amanter complexi, eorum aures imprimis exoscularentur. Sic enim illos ea parte maximè proficere posse significabant. Sed de præstantiâ hujus sensus aliàs*

commodior erit dicendi locus. Jam instrumentum auditionis paulisper aspiciamus. Aurium introitus extrà sibi appositas habet auriculas, quæ & externas injurias arcere, & appulsas voces commodius excipere ac retinere queant. Atque hæ quidem homini ferè sunt immobiles, quàm quoties libet aut opus est, eas obtegere atque vestire possit. Cæteris animantibus, ratione & instrumento rationis, hoc est, manu carentibus mobiles auriculæ, quæ facilè & deprimi & attolli possent, à natura tributæ sunt. De cervis memoria proditum est, eos demissis auribus tardioris & hebetioris auditus esse, siquidem externi aëris appulsus obstantibus auriculis, in aures influere nequeat: sed arrectis auribus acerrimè audire.

Hujus animantis imago & exemplum, Adolescentes suavissimi, admonet nos de officio attenti auditoris: quod quidem in eo positum est, ut mentem erectam & aures attentas ad præceptorum explanationes, ad eruditas disputationes & orationes, secum afferat. Nihil enim homini studioso utilius & fructuosius, quàm multa discere: nihil facilius & jucundius, quàm multa audire. Magna quidem variæ lectionis videtur esse utilitas & voluptas: sed auscultationum jucunditas multo major, fructusq; longè uberior est. Nam, ut proverbio dicitur, ζώσης φωνῆς μείζων ἐστὶν ἐνέργεια, id est, vivæ vocis longè major est vis. Hæc enim penetrat in animum, eumq; magis excitat, atq; etiam ab aliis cogitationibus, quæ legenti plerumq; obstrepere solent, avocat. Itaque & facilius menti adhærescunt, & firmius imprimuntur, & diutius retinentur, quæ attentè audiveris, quàm quæ legeris. Deinde magis animos exempla quàm præcepta movent, longeq; gravior viventium quàm mortuorum est autoritas. Contrà verò lectio est muta, nec mentem satis penetrat: quin immò, si pertinaciùs continuetur, legenti languorem affert. Nec sanè studiosis adolescentibus quidquam tàm incommodat, quàm assidua inter libros delitescendi consuetudo, & publicarum auscultationum & congressuum neglectio. Nam interim jacet rerum usus solertissimus vitæ humanæ magister, qui multa monet, multa docet, quæ nec in scholis & Academiis, neque in privatis & solitariis museis satis agnosci possunt. Quod cùm M. Tullii Ciceronis pater intelligeret, maturè filium (ut ipse lib. 1. de oratore testatur) ad Scævolam deduxit, ut quoad posset ac liceret, à senis latere nunquam discederet. Itaque multa ab eo prudenter disputata, multa breviter & commodè dicta memoriæ mandavit, ejusq; colloquiis ac consuetudine & melior & doctior evasit.

evasit. Verùm quid hac nostrâ fit ætate? Plerique adolescentes, quamprimum ad publicas acroases admittuntur, statim falsa doctrinæ persuasione insolescunt, studium atq; industriam remittunt, monitores ac præceptores spernunt. Quo fit, ut quemadmodum Bion dixit, ἡ οἴησις sit ἐγκοπὴ τῆς προκοπῆς, id est, opinatio sit profectus progressionisq; retardatio & impedimentum: sic inanis ista arrogantia facit, ut ideò ad sapientiam non perveniant, quia jam se perveniisse eò existimant. Hinc tanta est bonorum ac eruditorum virorum penuria, tantus sophistarum & inutilium terræponderum proventus, tantum denique fidelium præceptorum odium atque contemtus.

Quæ cùm ita se habeant, Adolescentes charissimi, etiam atque etiam vos moneo, ut & vestros præceptores diligenter attenteq; audiatis: & hominum eruditorum familiaritati & congressibus, quibus & ingenia acuuntur, & mores corriguntur, & doctrina miris modis augetur, operam detis: atq; tamdiu à præceptoribus discendum putetis, quoad vos (ut Cicero ait) quantum proficiatis, non pœnitebit. DIXI.

GRATIARUM ACTIO, RECITATA AB ANTONIO HÜBNERO, Würtzburg.

QUanquam pro beneficiis, quibus & Deo opt. max. & ornatissimæ huic coronæ obstricti tenemur, pares gratias referre haud quaquam possimus: quantas tamen animus capere potest maximas & agere & habere debemus.

Primùm igitur tibi, æterne, ac præpotens omnium rerum moderator Deus, gratias agimus, & habemus immortales, quòd hanc regionem, hocq; virtutum & doctrinarum domicilium, ejusq; autores & patronos, ab omnibus bellorum, incendiorum, morborum ac tempestatum periculis, & calamitatibus hactenus defenderis: & vero, quæcunq; ad studia literarum, ad communem usum, vitæq; cultum pertinebant, liberaliter, ac abundè suppeditaris. Da hoc quæso bonitati tuæ, ut in posterum quoque inter horribiles procellas, sævasq; tempestates, quibus orbis Christianus jactatur, hanc literarum

sedem tuearis, & pro tua in nos benignitate, efficias, ut muneribus & officiis nostris quietè fungamur: atque ita vivamus, ut vitæ rationem tibi simul & hominibus aliquando reddere possimus.

Deinde vobis, Amplissimi ac Prudentissimi Domini Scholarchæ, vosq; reliqui Academiæ hujus patroni nobilissimi & clariss. vobis, inquam, gratias maximas agimus, non solum pro eximia in nos totamq; hanc Academiam liberalitate & munificentia: verum etiam pro honorifica vestra præsentia, qua hanc panegyrin exornare atq; illustrare haud gravati estis. Et quoniam in rebus humanis nihil est tàm benè constitutum, quod non vel temporis longinquitate, vel hominum iniquitate deterius fiat, nisi assiduâ curâ atque diligentiâ sustentetur ac conservetur: idcirco quemadmodum nauta adverso flumine, ac vento, navim remis impellens, nihil de sua industria summaq; contentione unquam remittit: sed ibi vehementissimè brachia contendit, ubi cursum amnis incitatissimum, ventumq; violentissimum animadvertit: ne videlicet impetu illius abreptus, eò quò nolit, deferatur: Sic vos, Patroni summi, quibus in tutanda Academiæ vestræ dignitate, cum humanæ conditionis perenni mutabilitate, contraq; improbos invidiæ conatus contendendum est, providere & cavere debetis, ne de studio, sollicitudine, industria, qua hactenus usi estis, quicquam relaxetis: sed in eam rem omni cogitatione, curaq; incumbatis, ut schola vestra, æquabilem dignitatis cursum, perpetuò teneat, eumq; ad divini nominis gloriam, ad Reipub. vestræ decus, ad commune humani generis emolumentum dirigat, atque accommodet.

Deinde gratias vobis agimus, Rector Magnifice, vosq; cæteri professores clarissimi, præceptores summè observandi: pro singulari vestro studio, labore, fide, & industriâ, quam in nobis erudiendis, & ad omnem laudem confirmandis, effingendisq; adhibuistis. Oramus porrò & obtestamur vos, ut deinceps quoque pari amore ac benevolentia nos complectamini: & verò mentes nostras sapientiâ, animos virtute, linguas eloquentiâ instruere, & ornare pergatis. Nos vicissim pro viribus connitemur, ut neque diligentiam, neq; observantiam & honorem, neque gratiam vobis debitam in nobis desiderare possitis.

Ad extremum gratias agimus vobis, Illustris D. Comes, Inclyti & Generosi D. Barones, vosq; reliqui tum nobilissimi, ac ornatissimi adolescentes: tum hospites, quotquot adestis, longè gratissimi, vobis, inquam, universis gratias

agimus

ægimus singulares, quod Academiæ nostræ encænia vestro jucundissimo conspectu, & præsentiâ amplificare, & condecorare volueritis. Nos vicissim studia, officia, & obsequia nostra singulis pollicemur ac deferimus: & etiam atq. etiam à vobis petimus, ut orationis brevitatem & tenuitatem in bonam partem accipiatis. DIXI.

XVII. PANEGYRIS, Anni 1593.

SUB RECTORATU D.M. JOHANNIS PRÆTORII, MATHEMATICI.

ORATIO PRIMÆ CLASSIS, RECITATA A BILLUSTRI ET GENEROSO DN. DN. JOHANNE-ALBINO SCHLICK, Comite in Passaun & Weisenkirchen.



NEminem vestrũ esse arbitror, Auditores ornatissimi, qui non brevem & planam potius, quàm longam & futilitatis plenam orationem à me expectet.

expectet. Sic enim mihi persuasum est, nihil eruditis auribus molestius, atque odiosius accidere posse, quàm verbosam rerumq; inanem concionem. Ne igitur molestiam audiendiq; fastidium vobis afferat oratio mea, quàm brevissimè planissimeq; potero, Emblema à Magnifico Rectore nostro mihi impositum, interpretabor: atque ut olim in vindiciarum lite, in una gleba ad prætorem allata, tanquam in toto agro vindicare solebant: sic ego, cum paucissima attulero, in iis tamen pertractandis ita versabor, ut rem universam ob oculos posuisse, atque explicasse videar. A vobis, auditores humanissimi, peto quæsoq;, ut vestræ humanitatis fontes, qui cæteris adolescentibus antehac maximè patuerunt, mihi quoque aperiatis, meq; attentè bonaq; cum venia audiatis.

Quanta sit vis, quàm multiplex utilitas honestæ disciplinæ, & institutionis, id scitè atque eleganter docet numisma sive brabeum nostrum, in quo effigies cernitur. aviculæ, quæ è cavea sua elapsa, fortè incidit in ramos viscо illitos, quibus inhæresсens amplius se extricare non potuit: habetq; adjunctum hoc Emblema: Effugiens pereo, *seu* DAMNOSA LIBERTAS. *Quid enim aliud est disciplina, quàm veluti septum quoddam, quo adolescentes contineantur, atque tum laudandarum doctrinarum studiis, tanquam suavissimo salubberrimoq; animorum pastu alantur, tum legibus & salutaribus institutis, ad officium, omnemq; honestatem informentur, & erudiantur. Ex quo jam illud perspicuum est, primum præcipuumq; boni, & ingenui adolescentis officium esse, amare disciplinam, & parentibus, atque magistratibus, ecclesiasticis, politicis, & scholasticis obtemperare. Est enim eximia quædam virtus, & singulare bonum, obedientia, quippe, sine qua, nec cælestia, nec terrena, nec publica, nec privata munera, atque officia rectè administrari possint. Nam, quo pacto, Solis, & Lunæ, cæterorumq; siderum perennis, atque perpetua motio, naturas inferiores moveret, cunctisq; vim salutarem, maximeq; vitalem largiretur, & qua ratione signorum ortus, obitusq; definitum quendam ordinem servarent, & dierum & noctium, mensium & annorum spatia, ad usus humanos, aptè & accommodatè distingueret, nisi universæ naturæ opifici, ac moderatori obtemperarent? Quod regnum, qui principatus, quæ civitas, qui pagus, rectè gubernari, diuq; constare posset, si non cives ac subditi, legibus, & institutis & jussis magistratuum parerent, honestamq; disciplinam morum probitate tuerentur? Quæ domus rectè constitui, regiq; posset, nisi uxor, liberi, servi, cæteriq; domestici, patrisfamilias voluntati obsequerentur,*

querentur, ejusq; mandatis obedirent? Quod bellum feliciter susciperi, & geri, quod prælium iniri, quæ victoria obtineri posset, nisi milites Imperatoris sive ducis autoritatem sive imperium sequerentur? Quid de Scholis atque Ecclesiis dicam? num absque disciplinæ conservatione statum suum integrum tenere poterunt? Minimè omnium. Nisi enim auditores, vitam moresq; suos ad Doctoris sive Magistri salutarem doctrinam instituant, atque conforment, unà cum disciplinæ interitu Scholarum, & Ecclesiæ statum turbari & labefactari necessum erit. Relinquitur ergo, nullam omninò esse multitudinem, nullum cœtum jure sociatum, qui absque disciplinæ, & obedientiæ præsidiis salutem ac dignitatem suam tueri, & conservare possit. Itaque non absque causſa Statius exclamat:

Quid enim terrisque poloque
Parendi sine lege manet?

Et Solon interrogatus, qua ratione Respublica florens, & beata servari c
posset? Respondit: Si cives Magistratibus; Magistratus verò legibus obtem- c
perent. Nec minus verè & eleganter Æschylus: τὴν πειθαρχίαν τ' ὀπαδίας μητέρα, καὶ σωτῆρος γυναῖκα, hoc est, obedientiam felicitatis matrem, & servatoris conjugem appellavit. E contrario autem, quam multa mala publicæ disciplinæ contemtus rebus humanis importet, Imperiorum ruinæ, rerumpublicarum commutationes, civitatum tumultus ac seditiones, scholarum turbæ ac dissidia, Ecclesiarum deniq; distractiones & dissipationes declarant. Quæ enim natio quantumvis florentissima, illiusmodi morbo, tanquam occulto quodam veneno non infecta debilitataq; fuit? Legite historias tum sacras, tum prophanas, tàm veteres, quàm recentes: videbitis profectò, plerasq; gentes contemtæ abjectæq; disciplinæ pœnas dedisse. Sed de his aliàs commodior fortasse dabitur dicendi opportunitas. Jam temporis ratio postulat: ut quantum privata disciplina valeat, dispiciamus.

Privatam verò disciplinam hic appello, pulcherrimam illam morum reginam, qua duce adolescentes parentum ac præceptorum imperio obtemperant, atque ex eorum præscripto, consilia actionesq; suas dirigunt, & conformant. Atque hac quidem magistrâ, nihil adolescentiæ melius, nihil fructuosius magisq; necessarium est. Nisi enim ad ingenium adolescentis diligens institutio accommodetur, non facilè ullum virtutis ac doctrinæ fructum feret. Nam ut ager, nisi probè colatur, sentibus ac tribulis obducitur: sic animus

tenellus, nisi rectè instituatur, facilimè vitiis occupatur, atque corrumpitur. Quemadmodũ verò industrius agricola, agrum noxiis herbis repurgare solet: sic recta disciplina animis adolescentum, pravas opiniones, & vitiosas cupiditates eripit, omneq; animi desiderium, ad virtutem & sapientiam traducit & assuefacit. Sic igitur statuamus, suavissimi condiscipuli, disciplinam nihil aliud esse, nisi culturam quandam fructuosissimam, qua animi nostri probè subacti, conceptis virtutum ac doctrinarum seminibus, uberrimam sapientiæ ac felicitatis segetem proferant, atque tum sibi, tum cæteris usui, & ornamento esse possint. Ex his jam consequitur & illud, parentum ac præceptorum consiliis, monitisq; singulari studio obtemperandum esse. Quæ egregia virtus, non solum nos probiores & eruditiores, verum etiam fortunatiores facit. Obedientiam enim, vita à plerisq; vitiis flagitiisq; immunis, benevolentia divina & humana, prosperi optatiq; rerum successus, & verò lucis hujus usura maximè diuturna, tanquam fructus præmiaq; divinitus promissa, plerumq; comitantur. Contrà verò nihil turpius, ac pernicioſius est, quàm contumacia, omnis honestæ disciplinæ neglectio, atque contemtio. Nam qui rectæ institutioni parere recusat, & parentum ac magistrorum jussa contemnit, ac præcepta negligit, is effrenatæ libidinis plerumq; fit mancipium, suaq; dementiâ præceps in omnis generis flagitia, & quæ horum pœna sunt, calamitates & miserias incidit. Cujus rei exempla propè infinita in omnibus Academiis, non absque magno multorum parentum & amicorum dolore, animadvertere licet. Nam quotusquisq; adolescens, quamvis domi probè institutus, in Academias mittitur, qui ingenium suum non mutet, ac potius aperiat, suisq; cupiditatibus frenum laxet, & quicquid libeat sibi licere putet? Et verò qui in multitudine, & pravitate exemplorum, in errorem & fraudem capitalem, non inducatur? Quodcunq; enim exemplo fit, id vulgò rectè fieri putatur. Tantaq; pravæ consuetudinis vis est, ut etiam bona ingenia, & à flagitiis abhorrentia, sæpenumero corrumpantur. Neque ulla est Academia, in qua non reperiantur amatores, aleatores, potatores, gladiatores, aliiq; id genus voluptatum ministri, qui adolescentulis facem, ad omnem libidinem & turpitudinem præferunt, eosq; contagione sua infectos, ac depravatos in maximum probitatis, sanitatis, & fortunarum periculum & discrimen adducunt. Nam adolescens, talem ducem & signiferum secutus, à conspectu & consuetudine doctorum & bonorum virorum abhorret; disciplinam fastidiosè respuit, leges contumaciter asper-

ter aſpernatur, magiſtratum ſuperbè contemnit, perpotationes conſectatur, genio & libidinibus indulget, turbas rixasq; concitat nocturnis ædium oppugnationibus, & inſanis clamoribus hominum quietem turbat, puerperas, cæteramq; imbellem fœminarum & puerorum, itemq; ægrotantium multitudinem perterret. Adhæc pecunias temerè in res aut non neceſſarias, aut turpes, ac pernicioſas profundit, grande æs alienum contrahit, iniquas ſolutionis moras interponit, vaniſq; promiſſis creditores ducit, datam fidem violat, vadimonium deſerit, in fugam turpiſſimam ſe conijcit, ac creditoribus damnum, Academiæ moleſtias relinquit. Ad extremum redit domum, quàm abierat indoctior, aut nihilo, quàm venerat, eruditior, pecuniâ per ignaviam profuſâ, ætatis flore nequiter contrito, ore vultuq; impudenti, halitu fœtido, facie cicatricibus deformata, maxillis & faucibus meretricia ſcabie adeſis, naſo reſecto aut decurtato, manu mutilata, membris trementibus: cujus conſpectus parentibus mœrorem, propinquis luctum, amicis dolorem affert: & magiſtratui offenſionem, civibus riſum commovet. Hæc nimirum ſunt damnoſæ libertatis præmia, hi ſpretæ contemtæq; diſciplinæ fructus.

Quapropter Adoleſcentes ornatiſſimi, ſi ſalus veſtra & incolumitas vobis curæ eſt: ſi conſcientiæ labem, infamiæ dedecus, patrimonij naufragium evitare cupitis: ſi parentibus honori, amicis jucunditati, Reipublicæ & Eccleſiæ emolumento eſſe pulchrum putatis: aviculam brabeis veſtris impreſſam crebrò aſpicite, eiq; adjunctum Emblema, etiam atque etiam cum animis veſtris cogitate. Ut enim avicula, quàm diu in caveis incluſa tenetur, à periculis tuta & tecta eſt: at ſimul atque evolaverit, inſidiarum telis ſeſe proponit, atque vel cæteris volucribus præda fit, vel ab aucupibus capitur, & obtorto collo necatur: ſic adoleſcens, dum honeſtæ diſciplinæ finibus coërcetur, à vitiis pleriſq; & flagitiis abſtinet: Quamprimum verò convulſis diſciplinæ officijq; repagulis ſolutè libereq; verſari cæperit: ſtatim corruptelarũ illecebris irretitur, varijs erroribus, flagitijs & periculis implicatur. O felices igitur & fortunatos vos adoleſcentes, ſi parentũ ac præceptorũ imperio, & inſtitutioni vos totos committatis, ſi diſciplinæ jugum, damnoſæ libertati anteponatis, idq; tàm diu æquo feratis animo, dum errorum & cupiditatum ſcopulos prætervecti, virtutis ſapientiæq; portum aſſequamini, & mores vitamq; veſtram ex rationis præſcripto ipſi regere ac moderari poſſitis.

DIXI.

ORATIO SECUNDÆ CLASSIS, RECITATA AB HECTORE KORNFAIL, in Würmbla, Austriaco.



IN brabeo nostro, Auditores humanissimi, imago hominis ritè sacrificantis, ob oculos ponitur, estq; adscriptum hoc Emblema: MENTE MANUQUE. *Quod ut melius intelligatur, operæ precium fuerit de sacrificiorum ritu & usu nonnihil è sacris bibliis delibatum in medium proferre.*

Sacrificiorum originem antiquissimam esse, inter omnes constat. Nam statim ab initio mundi homines partim natura duce, partim oraculis divinis admoniti, Deo æterno & præpotenti, rem sacram facere cœperunt. Duo autem summa sacrificandi fuerunt genera: ἱλαστικὸν & εὐχαριστικὸν. ἱλαστικὸν *latinè expiatorium, in quo animantibus ritè mactatis, sanguineq; fuso, hominum delicta, & errata expiabantur. Quod genus sacrificij amplius in usu non est: quippe quod typus duntaxat fuerit veræ illius hostiæ Christi Jesu, qui in ara crucis immolatus, iram patris placavit, omniaq; perfecit, quæ ad gratiam, & salutem mortalibus restituendam, requirebantur.* Εὐχαριστικὸν *verò animi grati, acceptorumq; beneficiorum memoris testificandi caussa institutum fuit: idq; vel animantibus, vel rebus inanimatis, ut thure, vino, alijsq; terræ fructibus constabat. Nam aut pecudes mactabantur, aut frumentum terebatur, aut similia oleo conspersa & in sartagine frixa offerebantur, aut vinum fundebatur, quod libamen dicebatur, aut thus atque odores incendebantur, atque*

atque adeò quibuscunq; tum mortales poterant rationibus Jehovæ magnificentiam celebrabant, eiq; & aëris salubritatem, & terræ fœcunditatem, cæterorumq; bonorum copiam & ubertatem acceptam ferebant. Etsi autem hoc quoque sacrificij genus obsoleviſſe videatur: tamen ejus expreſſam quandam imaginem intueri licet in novi fœderis ſacrificijs, inter quæ principem locum tenet illud ſacroſanctum epulum, quod Εὐχαριστίαν & Cœnam Domini appellamus, in quo corporis & ſanguinis Chriſti communicatione factâ, beneficia ejus morte nobis parta commemorantur, animisq; gratis celebrantur. Huc deinde pertinent preces, & gratiarum actiones, quæ pro cæteris beneficijs fieri debent. Sic enim ipſe Deus Pſalm. 50. repudiatis antiquis ſacrificijs, hunc novum ſacrificandi ritum nobis commendat. Num, inquit, taurina carne veſcar, aut hircinum ſanguinem bibam? Fac Deo ſacrificium laudis: tum rerum adverſarum tempore, me invoca, & te eripiam. Idem planè D. Paulus in epiſtola ad Hebræos à nobis requirit: ut nempe aſſiduum laudationis ſacrificium, hoc eſt, labiorum fructum, nomen ipſius celebrantium, libemus. Eſt porrò ſacrificij Chriſtiani genus, Beneficentia & Liberalitas in pauperes. Quicquid enim in homines egenos & inopes erogatur, id Chriſtus ſibi tributum ait, viciſſimq; ejus ampliſſimam remunerationem pollicetur. Quo pertinet & ſui ipſius conſecratio, qua noſmetipſos Deo totos offerimus, & conſecramus. Quod qua ratione fieri debeat, docet Apoſtolus, ut membra necemus, noſtraq; corpora, hoſtiam ſanctam Deoq; acceptam præſtemus, hoc eſt, acri peccatorum ſenſu fracti, & proſtrati, ad miſericordiam divinam confugiamus: naturam noſtram vitioſam agnoſcamus, & quantum fieri queat corrigamus, ab omni maleficio temperemus, pravas cupiditates comprimamus, & verò totum noſtrum animum à ſenſu ſtudioq; corporis abductum, ad nutum & imperium divini Spiritus convertamus ac conformemus. Sed longiorem de ſacrificiorum generibus orationem, neque hic locus, nec temporis brevitas admittit. Cæterum hoc inprimis attendendum eſt, Deum in omni ſacrificio non tàm externas actiones, quàm bonam mentem & puritatem ſpiritus ſpectare & approbare. Neque enim mens illa beatiſſima, & puriſſima, omniq; concretionis expers, vel ſtrage pecudum, vel carnium nidore, vel odoribus & unguentis, humano artificio confectis, ducitur ac tenetur: Nec item cantibus, & precibus inaniter & ſine mente fuſis delectatur. Sic enim Jehova ipſe apud Eſaiam: Quid, inquit, mihi cum tot veſtris ſacrificijs? ne deinceps inane fertum

admovete: à suffitu abhorreo. Et apud Hieremiam negat, se quicquam de sacrificijs præcepisse. At cur tandem negat, cum videamus illa tanto studio fuisse ex illius imperio præscripta? Ut ostendat, nulla sacrificia, nullas ceremonias, nullum omninò honoris cultum sibi probari, qui non ex pura mente, veraq; fide proficiscatur. Atque huc spectat & simulacrum in brabeo nostro effictum, & expressum, in quo cernitur ara, eiq; impositus ignis ad sacrificia paratus, in quem homo propè astans, oculosq; in cœlum attollens, dextra manu thus inijcere, sinistra verò pectus tundere videtur. Nam primùm ara symbolum est cordis humani: ignis verò mentis, quæ instar flammæ sursum enititur, atque ad ipsum VNUM, *hoc est, rerum universitatis parentem Deum sese extollit. Ut enim pyramis (quæ figura igni tribuitur) ima sui parte latior paulatim in acutum tendit: sic animus humanus Dei amore inflammatus, sursum à terra fertur, suoq; acumine infinitum illum divinitatis orbem, cujus centrum ubique, peripheria nusquam est, attingere, seseq; cum suprema sanctissimi numinis unitate conjungere conatur. At quoniam cum ea conjungi nequeat, nisi illi sit amicus, nec illi amicus esse possit, nisi ad ejus similitudinem sese conformet; similitudo autem illa in pietatis & sanctitatis studio, & exercitatione tota consistat: Idcirco oculis ad cœlum conversis, thus incendendum, lævaq; manu pectus tundendum est. Quod pietatis symbolum, quia obscurum est, paulò distinctiùs & planiùs explicandum videtur. Perspicuum est, constatq; inter omnes, thuris vim atque naturam hanc esse, ut facilimè inflammetur, & odorem suavissimum emittat. Itaque prisci sacrorum antistites, illud sacrificijs adhibuerunt, ac pietatis nostriq; erga Deum amoris symbolum esse voluerunt. Ut enim thuris fumus, ab igni & ardore excitatur: sic pietas, omnisq; cultus divinus, ab interna amoris divini flamma suscitetur necesse est. Deus enim non lachrymam arboris, aut externi odoris suavitatem, sed animum rerum cœlestium amore flagrantem postulat. Læva deinde manus, pectus tundens, nihil aliud indicat, & innuit, quàm fletu, atque suspirijs, veraq; animorum ad Deum conversione flagitia concepta expurganda, atque delenda, omniq; studio connitendum esse, ut animus à corporis contagio avocatus, in terris cœlestem vitam meditetur, atque imitetur.*

Quæ cum ita sint Auditores humanissimi, etiam atque etiam elaborare nos decet, ut mente manuq; hoc est, non externis duntaxat gestibus, sed multò magis animo à vitijs, pravisq; cupiditatibus repurgato, & pietatis atque amoris

moris divini facibus inflammato, ad religionis nostræ sacra accedamus, eaque oculis mentis nostræ in cœlum sublatis, obeamus, & peragamus, ut tandem Dei opt. max. gratiam & amorem, hujusq; comitem sempiternam beatitudinem consequamur. DIXI.

ORATIO TERTIÆ CLASSIS, RECITATA à GENEROSO DOMINO HENRICO BARONE à Wildenfels.



IN nostro congiario, Auditores, expressa est effigies & imago Pantheræ, cum hoc Emblemate: ALLICIT UT PERIMAT. *Est autem Panthera bestia, à feritate & immanitate sic appellata, facie truculenta & terribili, pelle maculosâ, notisq; orbiculatis, ac nitentibus tanquam ocellis distincta ac variata: quæ odorem de se mittit longè suavissimum, quo reliquas feras ad se allicit, arreptasq; dilaniat atque devorat. Quo simulacro voluptas, domina blandissima, depingitur: quippe quæ simili modo homines illecebris suis delinitos, toto impetu ad se rapere soleat. Neque verò omnis voluptas in vitio ponenda, fugiendaq; est. Sunt enim quædam animi delectationes, quæ ex scientia, & contemplatione rerum, atque ex virtute rectèq; factorum conscientia capiuntur: quæ tantùm abest, ut sint aspernandæ, ut omnibus modis expetendæ esse videantur. Quædam verò corporis sunt oblectationes, quæ à sensibus oriuntur. His quatenus frui liceat, quàm non, diligenter nobis cogitandum est.*

Quæ

Quæ enim ex aspectu, odoratu, & auditu hauriuntur, minus sunt obnoxiæ turpitudini: dum modo in ijs certa ratio, moderatioq; adhibeatur. Nam qui perpetuò nitet unguentis, aut ambrosios odores sumtuosius consectatur, aut oculos picturarum & imaginum varietate impensius oblectat, aut musicis concentibus, neglecto præsertim officio nimio perè vacat, is in vitio est, gravemq; reprehensionem meritò incurrit. At quæ gustatu, tactuq; percipiuntur voluptates, omnium sunt importunissimæ: quæ nisi rationis imperio, quantum fieri possit, coërceantur, hominem sæpenumerò in omne scelerum & calamitatis genus conijciunt. Itaque cùm omni ætati, tum adolescentiæ in primis hujusmodi voluptates fugiendæ sunt. Hæc enim ætas ob sanguinis fervorem, & humorum mutationem, & importunos animi motus ad luxum, & libidinem maximè propendet, ideoq; in maximo, & probitatis, & valetudinis periculo versatur. Nam qui turpes voluptates consectatur, is primò Deum, qui ubique pari intervallo à nobis distat, atque acutis scelerumq; vindicibus oculis omnia lustrat, gravissimè offendit. Deinde, animi sui statum labefactat, tantasq; menti tenebras offundit, ut nec modum à Deo, & naturâ præscriptum, nec ullum, sive decus, sive probrum, sive emolumentum, sive detrimentum perspicere queat. Præterea corpori multa mala invehit: cerebrum lædit: vitales spiritus absumit, nervosq; debilitat, coloris fœditatem, omniumq; virium debilitatem inducit, tandemq; præmaturum atque acerbum vitæ interitum affert. Rarissimè enim voluptarij ad senectutem perveniunt, quippe quibus idem ferè, quod vernis arborum floribus accidere solent: quorum pleriq; ante maturitatem vel erosione vermium, vel tempestatibus pereunt. Ad hæc famæ & existimationi suæ labem aspergit: rem familiarem dissipat & perdit, conscientiã vulnerat, atq; ad extremum nihil præter inustum & impressum dedecus, & gravissimam pœnitendi caussam, & doloris materiam uberrimam sibi reliquam facit. Hæc nimirum est illa venefica, quæ venenum melle oblitum propinat: Hæc est illa pulchra, belleq; depicta pyxis, quæ salutaris medicinæ loco cicutam & aconitum continet: Hæc est illa bestia μελανδρυ, quæ blandissimo principio tetrum exitum subtexere solet: Hæc denique est truculenta & immanis illa Panthera, quæ adolescentes, odoris suavitate ad se invitat, atq; dilaniat, hoc est, in exitium præcipites agit, & brevem oblectationem perpetuis miserijs, & cruciatibus compensat.

Quæ cum ita sint, Adolescentes optimi, etiam atque etiam providete, ut fœdas

fœdas voluptates non modo ne consectemini: sed ultrò quoque aut ab impuris & improbis sodalibus oblatas prudenter declinetis & avertatis. Illudq; idcirco perpetuò animis vestris infixum habete: Allicit ut perimat, *& turpi, breviq; voluptati, decus virtutis sempiternum anteponite: conscientiam bonam cum bona fama conjungite: atque adeò, quantum fieri potest, cavete, ne turpium voluptatum vinculis constricti eò incidatis, unde aut nunquam, aut non absque summa difficultate evadere possitis. Quin potius imitamini Demosthenem, à quo cum Lais iniquum pretium postulasset, ὁ πείσμων τοῦτο, inquit, μετανοεῖν, id est, tanti non emo panitere. Cavete contrà exemplum Lysimachi, qui cum in Thracia siti coactus deditionem fecisset, hausti aquâ: ob quantillam, inquit, voluptatem, quantum decus amisimus, quantam cladem accepimus! DIXI.*

ORATIO QUARTÆ CLASSIS, RECITATA à GEOGRIO CARLICK de Nezetitz, Bohemo.



INter reliquas virtutes, quæ hominibus plurimum & commodi, & ornamenti afferunt, Auditores ornatissimi, non postremũ locum obtinet ea modestiæ pars, quæ Græcis Ταπεινοφροσύνη, *Latinis humilitas appellatur. Hæc enim præclara est, atque laudabilis animi affectio, seu virtus, qua qui præditus est, is suo se modulo metitur, atque nec opinione nec dictis, nec factis sibi plus tribuit, quàm æquitas postulet, ratio præcipiat, conscientia proponat: Cæteros verò sive doctrina, sive honore, aut dignitate aliquâ præcellentes, suspi-*

cit ac reveretur. Etsi autem humilitas omni ætati convenit: tamen inprimis adolescentiam decet, atque commendat. Pleriq; enim adolescentes, ob sanguinis calorem, qui audaces facit, & propter imperitiam, temeritatemq; affectuum, sibi omnium sapientissimi videntur, atque ut ait Aristoteles, ne summa quidem ac difficilima quæq; desperanda sibi censent: qui morbus etiam bonis ingenijs familiaris esse solet. Quamobrem Adolescentes studiosi, sic nobis planè persuadeamus, nullam esse virtutem, quæ majorem laudem, fructumq; uberiorem afferat, quàm humilitatem. Hæc enim cupiditates nostras coërcet ac comprimit, easq; rationi obedientes facit: hæc animos à vitijs, quæ ex arrogantiâ, tanquam à fonte promanant, abducit: hæc amorem, & benevolentiam tum à Deo, tum ab hominibus conciliat, nobisq; ad omnem laudem, ac felicitatem aditum præmunit ac patefacit. Contrà verò nihil intolerabilius, nihil Deo & hominibus odiosius, nihil bonis ingenijs nocentius, ac turpius est, quàm arrogantia. Nam qui arroganter de se sentit, ac loquitur, suoq; unius judicio fretus, cæteros despicit, ac pro nihilo putat: is in gravissimum divini numinis, & bonorum virorum odium, offensionemq; incurrit, & nisi maturè resipiscat, meritas pœnas superbiæ divinitus constitutas, tandem subire, ac perferre cogitur. Deinde falsa persuasio, & inanis arrogantia, omnē industriam infringit, ac labefactat. Nam qui præmaturam doctrinam & sapientiam, opinionis errore sibi fingit: is plerunque omnem curam, & diligentiam remittit, atque vel in primo studiorum ingressu tanquam in salebra hæret, vel certè in medio cursu deficit, nec ad veram, solidamq; eruditionis & virtutis laudem unquam facilè progreditur. E contrario autem qui humiliter ac demissè de se sentit, atq; vel nihil, vel parùm se scire arbitratur, is quotidie magis ad scientiæ cupiditatem exardescit, & præceptorum, aliorumq; bonorum virorum ope & opera adjutus ad altiora paulatim emergit. Atque id ipsum numismatis quoque nostri effigies proponit, atque demonstrat, in qua aqua è fistularum latebris in altum erumpens cernitur, addito hoc Emblemate:

FORTIOR E LATEBRIS emergit ad æthera virtus.

Quemadmodum enim aqua, ex longo intervallo, per latentes fistulas dimanans, cum primum nacta est exitum, magno cum impetu exilit, atque ad varios hominum usus longè lateq; diffunditur: Ita adolescens, qui virtuti doctrinæq; deditus submissè, humiliterq; diu vixit, tandem maturitatem adeptus,

adeptus, è tenebris in lucem evocatur, atq. ad munera publica administrandum, obeundumq; magna cum laude adhibetur.

Quæ cum ita se habeant, Adolescentes suavissimi, omni studio in eam curam, cogitationemq; incumbere debemus, ut, si inani doctrinæ opinione tenemur, ea animum nostrum ne invadat, & occupet: aut si jam invaserit, ut quamprimum inde ejiciatur. Nam ut vasa liquores non admittunt, antequam aër ex ijs emigret: sic quoque nec animus noster salutaribus doctrinis imbui potest, nisi vana persuasio prius expurgetur, ac dimoveatur. Quapropter cùm morbus tàm pestilens commodiùs depelli non possit, quàm infractione quadam animi, ac demissione: communem profectò sensum amisisse videbimur, si non humilitatem omni studio colendam: arrogantiam contrà veluti pestem fugiendam, atque devitandam esse statuamus. DIXI.

XVIII. PANEGYRIS, Anni 1594.

SUB RECTORATU D.M. GEORGII SIGELII, PASTORIS Ecclesiæ Altorphianæ.

ORATIO PRIMÆ CLASSIS, RECITATA à CHRISTOPHORO SCHLAUDERSPACH, Norib.

QVanquam officium ac munus, quod mihi nunc assignatum est, Auditores præstantissimi & humanissimi, satis commodè, satisq; graviter, atque ex animi mei sententia ac voluntate sustinere me posse diffidam: Quippe commoditati ingenium, gravitati ætas, voluntati imperitia, reiq; propositæ difficultas, itemq; metus, quem partim natura, partim amplissimus hic consessus mihi adfert, & auget, impedimento sunt; animo tamen non deficiam, aut debilitabor: nec quod certa ratione & consilio mihi impositum est, id inconsulta temeritate recusabo, ac deprecabor. Nemo enim, ut opinor, tàm iniquus suscepti muneris mei æstimator erit, qui si quantum

quantum possim, præstitero, quòd quædam non possim, idcirco me reprehendendum existimet. Quin sic mihi persuadeo, me in vestra humanitate, haud mediocrem oneris mei levationem inventurum esse: quam meam de vobis spem & expectationem ut exigui temporis attentione sublevetis, bonaq; cum venia, me meosq; condiscipulos audiatis, majorem in modum vos oro, & obtestor.

In congiario seu præmio, Auditores, quo Amplissimi Domini Scholarchæ me cæterosq; primi ordinis adolescentes jam donarunt, atque decorarunt, viri cujusdam in sella considentis, ac duorum stipatorum ad aures ejus assistentium; itemq; pueri, flexis genibus nitentis, manusq; supplices sursum tendentis, simulacrum conspicitur: idq; totum ad Apellis pictoris nobilissimi picturam expressum & conformatum est. Hic enim calumniam depicturus, primò Calumniæ idea. *virum quendam prælongis auribus, & duas fœminas, Ignorantiam videlicet, ac Suspicionem, ad latera illius adstantes figurabat. Deinde Calumniam egregiè quidem splendideq; comtam: sed vultu gestuq; corporis terribilem, & truculentam, quippe, quæ manu sinistrâ facem ardentem vibrabat, dextrâ verò adolescentem capillis prehensum, Deiq; immortalis fidem obtestantem, secum raptabat. Eam anteibat vir quidam pallidus, & macilentus: sed acri attentoq; oculorum sensu præditus, qui Livor dicebatur. Aderant præterea in comitatu, aliæ quædam mulierculæ nimirum, Insidiæ, Dolus, Fraus, Proditio, quarum hortatu domina, ad quidvis audendũ incitabatur. Ad extremum pœnitentia, virgo pulla veste induta, habituq; planè lugubri & capite reflexo, veritatem è longinquo venientem cum lachrymis ac pudore excipiebat. Ecce tibi veram expressamq; calumniæ effigiem: ex qua facilè perspicias, nullum hominum genus, ut detestabilius, ac perniciosius ita nec frequentius, aut acceptius esse, quàm sycophantas & calumniatores: & nihil esse tàm sanctum, atq; syncerum, quod calumniæ telis non sit propositum. Cæterùm ut hujus criminis turpitudo penitus pernoscatur, operæ pretium est, quidnam illud sit, & unde existat, & quam latè pateat, breviter perquirere, & investigare. Calumnia quidem varijs modis describitur. Nonio, est mendax, & malitiosa infamatio. Ciceroni, est nimis callida, & malitiosa juris interpretatio. Et Martiano Jurisconsulto autore, calumniari dicitur, qui falsum crimen intendit. A Luciano calumnia definitur accusatio, quæ reo absente, & ignorante, facta, alteraq; tantùm parte audita, contradicente nemine, creditur. Ve-*

rùm vox διαβάλλειν latiùs patere videtur, quàm ut harum descriptionum angustijs comprehendatur. Nam in genere significat criminari, seu verè, seu falsò, seu palàm, seu clanculum maledicere, obtrectare, in odium atque invidiam adducere. Itaque rectè calumniator (ut puto) non solùm appellabitur is, qui alterum falsò accusat, aut leges malitiosa interpretatione ad privatum commodum, & adversarij incommodum detorquet: sed etiam, qui quæcunq; alterius scripta, dicta, & facta, de industria pervertit, atque in deteriorem partem interpretatur: quiq; maledictis tàm absentes, quàm præsentes, nocendi caussa figit & vexat. Sed undenam tàm effrenata calumniandi libido? Qui hujus turpitudinis ortum è sacris literis repetunt, ejus autorem statuunt principem illum omnium scelerum architectum Diabolum, qui omnem veritatis, justitiæq; amorem, ac studium in hominum animis opprimit, & extinguit: atque nefarias mentiendi calumniandiq; cupiditates excitat & inflammat. Verùm qui propiores indagant caussas, Calumniam Φιλαυτίας & invidiæ filiam esse ajunt.

Quæ duo vitia longè turpissima sunt, maximisq; incommodis omnem vitæ rationem perturbant. Etenim insanus amor sui, & quæ ex aliena, quam tibi potius censeas deberi, felicitate percipitur ægritudo, animum hominis non solum teterrimis tenebris circumfundunt, ut neque ad verum videndum, neque ad rectè agendum, vires efficaces habere possit: sed etiam eum ad aliorum hominum perniciem armant, & instigant. Nam qui alijs antecellere cupit, sibiq; plus, quàm par sit arrogat, is cæteros non modò contemnit & pro nihilo putat: verùm etiam de existimatione eorum, præsertim qui aliqua re vulgò præstant, detrahere, & verò virtutem, ac felicitatem ipsorum opprimere, aut certè imminuere & obscurare conatur: usque adeò, ut neque familiaritas, neque propinquitas, nec ulla denique conjunctio à tàm immani ac detestabili scelere eum avocare possit. Hinc odia, inimicitiæ, insidiæ, omnisq; generis scelera, quæque horum comites sunt, infinitæ calamitates. Quod si igitur procreatrices istæ, tot mala rebus humanis important, quid de earum sobole Calumnia, quæ suam nativam labem multiplici improbitatis accessione cumulat, sperare liceat? Nam reliquæ pestes non infinitè feruntur, nec quosvis sine discrimine invadunt: & denique si non alio remedio, saltem fuga declinari, & evitari possunt: At Calumnia nullis regionibus, ac finibus sese continet; sed in omnes terrarum oras, virus acerbitatis suæ longè lateq; diffundit. Maledictum

dictum enim simul atque jactum est, instar sagittæ evolat, & absentem, in quem mittitur, antè vulnerat atque occidit, quàm sentiatur: neque ulla medicina morsibus ejus præcavendis, & avertendis inveniri potest. Itaque Medius Alexandri Magni parasitus, sectatores suos monebat, ut audacter quemvis morderent, quòd, tametsi vulnus consanasset, vulneris tamen vestigium cicatrix esset remansura. Quod si hæc immanis bellua inter privatos dunta-xat, & plebejos homines politioris humanitatis literarumq; rudes versaretur, minus fortasse mirandum foret. At eam in Politias, & Scholas & Ecclesias irrepsisse, suaq; tabifica lue homines etiam eruditos, & publica autoritate præditos inficere, id verò maximoperè & admirandum & dolendum est. Etenim (ut singulos ordines breviter, atque ἐν παρόδῳ perlustremus) an non in aulis principum sycophantæ frequentissimi reperiuntur, qui ut principibus sese insinuent, & opes atque honores, quos furenter appetunt, facilius consequantur, falsis criminationibus bonos viros in invidiam, & odium adducũt? In foro deinde, & judicijs, quanta sit Calumniæ vis, quanta accusationum, & criminationum acerbitas, quàm crebrò judex vel gratiâ delinitus, vel potentiâ fractus, vel pecuniâ adulteratus falsum decernat, quàm sæpè falsi fictiq; testes subornentur, nemo est, qui ignoret. Sed neque Scholæ & Academiæ, in quibus mansuetiores Musæ florere debebant, nefaria ista turpitudine vacant. Quàm immoderata enim maledicendi libido, hac nostra tempestate animos quorundam velut morbos quidam pervaserit, argumento sunt virulenta eorum scripta & dicta, qui convicijs, & contumelijs sese mutuò lacessunt, & lacerant, & alter in alterum, non tanquam in hominem literis deditum, sed velut in barbarum immanissimum, ac teterrimum hostem acerbissimè invehitur: quasi nulla opinionum contentio, & comparatio, nulla veritatis investigatio, absque alterius dedecore & ignominiâ fieri possit. Inter Theologos denique tantus ubique nunc furor exarsit, tanta odiorum acerbitas intercessit, ut alius alium, quem vel dogmate, vel ritu aliquo externo leviter dissidentem animadvertit, contumelioſissimè stylo, & voce persequatur: eumq; non conversum, sed eversum, non emendatum, sed etiam funditus de medio sublatum cupiat. Quæ immanitas, quàm calamitosa, ac funesta plerisq; Ecclesiis accidat, id manifestius est, quàm ut rationibus, aut exemplis demonstrari debeat.

Atque adhuc, quàm longè lateq; calumniæ dominatus pateat, breviter ostendi-

ostendimus. Reliquum jam est, ut qua ratione tàm truculenta bestia cœrcenda, aut cavenda & evitanda videatur, dispiciamus. Nulla, ut opinor, gens & natio unquam fuit, quæ calumniam leviter ferendam, ac non potius acriter vindicandam, reprimendamq; existimarit. Itaque tàm varia, & diversa pœnarum genera in eam à varijs constituta reperiuntur. Calumniatores enim, vel talionis pœna affectos, vel in insulas amandatos, vel grandi pecunia mulctatos, vel in crucem sublatos, vel loris cæsos, atque per urbem circumductos, in exilium pulsos esse, vel eis linguam exectam, vel caput abscissum fuisse, partim historici, tàm sacri, quàm prophani, partim Jurisconsulti literis prodiderunt. Sed præter hanc severitatem, quam leges postulant, philosophia leniores quasdam calumniæ effugiendæ rationes commonstrat, è quibus nonnullæ perquam breviter perstringendæ videntur. 1. Ac primùm quidem magnoperè nobis elaborandum est, ut vitam honestam, omnisq; turpitudinis expertem agamus, & verò cum bona conscientia, bonam quoq; famam conjungamus, Sic nimirum aut nulla, aut certè leviora atque hebetiora calumniæ tela, in nos conijcientur, quæ quidem animo bene conscio fortiter contemnenda & pro nihilo ducenda sunt. Pusilli namque est animi, ut inquit Isocrates, maledicos & nugatores & eos, qui illis aures præbent, curare, præsertim si tibi sis nullius delicti conscius. 2. Deinde moderandum est linguæ, ne ad calumnias & obtrectationes præceps feratur. Nam qui ferociter maledictis in alios irruit, mutua convicia, & contumelias expectet, necesse est, ὁ πῖων τ' ἐπηΦία ἔτω Θ- ῥίον καὶ ἐπαυρόψις, ut Homerus ait:

Si benè vis dici caveas maledicere: qualis
Clamor adit silvas, talis & inde redit.

3. Inprimis verò cavendum, ne absentibus detrahendi caussa maledicè, contumelioseq; dicamus. Nam qui adsunt, & audiunt, non solum pejus de nobis existimant, sed plerumq; etiam quæ audiverunt, spargunt, atque disseminant, aut ad illos ipsos, quibus maledixeris, deferunt, & vel σΦικτικῶς ea mutilant ac diminuunt, aut συκοΦαντικῶς exaggerant atque amplificant. Quibus rationibus non solùm in summum odium, sed etiam non rarò in extremum honoris, ac salutis discrimen adducimur. Quamobrem de absentibus aut benè loquamur, aut si aliquorum vitio id non liceat, Demosthenicum illud usurpemus: ἐπαινεῖν μὲν ὐ δύναμαι, ψέγειν δ' ὐ θέλομαι, Laudare non 4. possum, vituperare nolo. Ad extremum summo studio providendum nobis est, ne cri-

ne criminationibus, & calumnijs temerè fidem adhibeamus. Nam istiusmodi credulitas, non solùm in vitio est, ac perquam affinis stultitiæ, hominum vanitatem, fraudes, & insidias non attendentis, verùm etiam sæpenumerò perniciem & exitium affert: id quod plurimis exemplis, si tempus ferret, probari posset. Itaque in audiendis criminationibus primò etiam atque etiam considerandum est, quis dicat? num vir bonus, prudens, amicus, atque id genus aliæ. Deinde quid dicat, utrum id cum honestate, rectáq; ratione consentiat. Tum, cur dicat, utrùm suum, suorumq; commodum, an aliorum incommodum spectet. Sed longiorem reipropositæ explanationem temporis brevitas non admittit.

Cum igitur & calumniari, & calumnijs aures præbere fidemq; adjungere, æquè vitiosum atque pernicioſum sit: danda nobis est opera, ut utrumque pariter fugiamus, ac devitemus, atque adeò non solum linguam refrenemus, ac contineamus, sed etiam animos nostros prudentiæ, atque innocentiæ præsidio, ita muniamus, ut nullum calumniæ virus aures, mentesq; nostras occupare, atque pervertere possit. Obsignabo hanc orationem memorabili sententia Herodoti, quam & Basilius Magnus usurpavit in epistolis. Detractio (inquit apud Herodotum in Polymnia Artabanus) res est deterrima: in qua duo sunt, qui injuriam faciunt: unus cui injuria fit. Qui enim calumniatur, in eo est injurius, quòd non accusat præsentem: Qui detrahenti credit, is eo est injurius, quòd priùs credit, quàm habeat rem compertam: Et cui detrahitur absenti, huic ob id fit injuria, quòd ab altero, ut malus insimulatur, ab altero talis esse putatur.

DIXI.

ORATIO SECUNDÆ CLASSIS, RECITATA à CHRISTOPHORO FÜRER, Patricio Noribergensi.

QVanquam natura brutis animantibus rationem, & orationem denegasse videatur, eaque idcirco ἄλογα dicantur: tamen simulachra quædam rationis, memoriæ ac providentiæ ijs inesse, nemo, ut opinor, facilè negaverit. Quis enim ignoret, quanta solertia, & quàm multiplex virtutum ac vitiorum imago, non solùm grandioribus bestijs, ut elephantis, leonibus, equis, canibus atque id genus aliis, verùm etiam parvis animantibus, ut apibus, araneis, bombycibus, ac similibus insit? Itaque naturæ genius Aristoteles lib. 8. de historia animalium: Sunt in plerisq; (inquit) animalibus vestigia morum, animi humani inest humanitas, immanitas: clementia, acerbitas: fortitudo, ignavia: metus, fidentia: ira, malitia: atq; etiam prudentiæ imago inest in multis. Inter cætera verò, insigne virtutis vestigium, in aquila nostro brabeo impressa, cernitur, de qua Crates Pergamenus, & Stesichorus Poëta hoc exemplum memoriæ literisq; prodiderunt. Cum aliquando complures messores siti, ut fit, laborarent: quendam è suo grege aquæ hauriendæ caussa ablegarunt: qui cum ad fontem perveniisset, fortuitò incidit in aquilam cum immani serpente acerrimè colluctantem: cumq; animadverteret aquilam arctissimè circumplicatam de vita periclitari, intrepidè accurrit, & falce messoria serpentem dissecuit, alitemq; ab interitu vindicavit. Tum è fonte vicino, aquam hausit, atque ad suos reversus, potum singulis ministravit: cumq;

N. Jdea Gratitudinis.

omniq́ jam & ipse bibiturus, urceolum ori admoveret: ecce improvisò advolavit aquila, eiq́ poculum è manibus excussit. Messor ira incensus, dum avem velut ingratam, acceptiq́ beneficij immemorem exsecratur: interim socios suos extremo spiritu exangues concidere, & mori videt. Ex quo ille & fontem veneno à serpente infectum, & sibi gratias ab aquila cumulatissimè relatas esse, intelligit.

Hoc egregio exemplo, Adolescentes studiosi, admonemur de pulcherrima virtute, quæ jucunda accepti beneficij memoria, cum remunerandi, referendiq́ studio conjuncta continetur: & recenti vocabulo Gratitudo, à veteribus Gratia, & Gratus animus, itemq́ Pietas appellatur. Hæc autem tùm Deo opt. max. tum hominibus, benè de hominum genere meritis debetur. Etsi enim nullam partem divinæ in nos liberalitatis non modò referendâ, sed ne cogitandâ quidem gratiâ consequi possimus: tamen gratias ei persolvere dicimur, cum ipsius beneficia assiduè in mentem revocamus: bonitatem ejus gratis animis, verbisq́ prosequimur: & vitam, more eq́ nostros ad ipsius voluntatem conformamus, & denique ex bonis divinitus in nos collatis quosdam veluti rivulos ad reliquos homines dimanare patimur. Cujusmodi exempla in sacris literis, præsertim in hymnis Davidis vatis sanctissimi, regisq́ potentissimi, admirandum posteris relicta inveniuntur. Quod verò ad gratiam hominibus persolvendam attinet: primus locus debetur parentibus: nam horum operâ in hanc lucem suscipimur, singulari cura enutrimur, multiplici labore educamur, omniq́ beneficiorum genere ab ijs afficimur, & cumulamur, quos propterea præcipuo quodam studio colere & observare, omniq́ pietate prosequi debemus. Quod si enim ciconia solâ naturæ incitatione parentes suos senio confectos alit, & quoties migrandi postulat necessitas, eos humeris suis inter volandum sustinet: quod si merops quamprimum per ætatem volare potest, parentibus suis in speculatentibus victum conquirit, ac subministrat: quantò magis homo, cujus animo, divinæ legis atque rationis effigies impressa est, erga parentes suos gratum & pium sese præbere debet? Atque talis quidem fuit Atheniensis filia, quæ patrem extrema ætate in carcerem conjectum fame q́ necandum, uberibus suis diu lactavit & aluit. Et Romæ (autore Plinio) puerpera quædam matrem suam vinculis constrictam, capitiq́ supplicio afficiendam, lacte suo clàm nutrivit tamtisper, dùm custos carceris id resciscceret ac patefaceret. Quod pietatis exemplum magistratui tantam movit admira-

Cimona. vide Val. Max. l. 5. c. 4.

tionem, ut non modo matrem è carcere dimiserit, verùm etiam utriq; perpetua alimenta curaverit, atque etiam locum illum pietati consecrandum censuerit. Consimile est exemplum apud Lycurgum, de duobus adolescentibus Catanæis, qui cæteris bonis omnibus relictis, solùm parentem suum per medias Ætnæ flammas humeris suis extulerunt. Sed plura exempla persequi infinitum foret.

Alter deinde gratiarum locus debetur cujusq; honestæ disciplinæ magistris ac præceptoribus, qui salutaribus præceptis, ac monitis animos nostros informant, atque ad virtutem & sapientiam, omneq; officij munus instituunt & erudiunt, ac propterea animorum parentes à veteribus verè appellantur, qui tantò majorem gratiam ijs persolvendam existimarunt, quantò animus corpori præstat & antecellit. Et Aristoteles, τὸ φιλοσοφίας, inquit, κεινωνήσαι μὴ ἰσόρροπον ἂν γένοιτο. Itaque, ut animum gratum erga Platonem præceptorem testificaretur: aram ejus nomini exstruendã, statuamq; consecrandam curavit, in qua inscriptum erat, Hunc esse illum, quem meritò omnes probi commendare atque imitari debeant. Sed Græca audire præstat:

Βωμὸν ἀριστοτέλης ἱδρύσατο τῆνδε πλάτωνος,
ἀνδρὸς ὃν οὐδ' αἰνεῖν φῶτες κακοῖσι θέμις.

Hoc est:

Hæc ab Aristotele est diva ara locata Platoni,
Quem vel laude, nefas, si mala lingua vehat.

Alexander Magnus tàm gratus in Aristotelem præceptorem fuisse fertur, ut eum non minus, quàm patrem Philippum amaverit, quòd ab hoc vivendi, ab illo benè vivendi rationem accepisset. M. Tullius quàm gratus erga præceptorem A. Licinium fuerit, testatur oratio, quam pro ipso habuit. Trajanus Plutarchum in tanto honore habuit, ut eum Romæ consulem crearit. Marci Antonini optimi Imperatoris tàm eximia in præceptores fuit pietas, ut ipsorum imagines aureas in larario reconditas asservaret, eorumq; sepulchra hostiis, ac floribus exornaret. Gratianus Cæsar Ausonium Gallum consulem fecit, aliaq; beneficia maxima in eum liberalissimè contulit. At quorsum hæc exempla? quorsum? ut adolescentes intelligant, nulla merita pluris æstimanda esse, quàm quæ ad animi decus & honestatem pertinent: ac proinde, si non majorem, at æquè magnam præceptoribus atque parentibus gratiam deberi. Cùm enim in rebus humanis nihil illustrius, nihil pulchrius & optabilius sa-

pientiâ,

pientiâ, & virtute, & quæ utriq; comes esse solet, felicitate: consequitur profectò, nemini mortalium nos arctioribus vinculis ad gratias persolvendas, obstringi, quàm ijs, qui ad tàm præclara animi bona adipiscendum duces atque autores nobis extiterunt. Porrò in parentum numero habendi quoque sunt Magistratus, qui Rerumpublicarum, Scholarum atque Ecclesiarum salutem, & dignitatem consilio, ope, & operâ tuentur, amplificant, atque conservant: Ideoq; grata mente, singulari observantia, summoq; studio colendi, & observandi sunt.

Postremò grati animi officia ijs etiam præstanda sunt, qui alijs beneficijs, quibuscunque nos affecerunt & ornarunt; elaborandumq; in primis est, ut munus sive donum acceptum pari & æquali, aut etiam majori dono remuneremur. αὐτῷ τῷ μέτρῳ καὶ λώϊον, *ut est apud Hesiodum. Quod si enim (ut Cicero ait) agri fertiles multò plus afferunt, quàm acceperunt, quantò magis nos beneficio provocati vicem rependere debemus? Et certè quò quisque honestiori est animo, eò cumulatius gratiam referre conatur. Ideoq; veteres tres finxerunt Gratias, quarum una oculos aversos, reliquæ adversos habeant: atque illa quidem de beneficio collato, hæ verò de duplici gratiâ referenda nos commonefaciunt. At quæret quispiam: Quid? illi quibus aut nullæ, aut pertenues sunt facultates, poterunt ne gratiam benè de se meritis referre? Non difficile id quidem fuerit, si cogites, non uniusmodi ac simplicem, sed variam atque multiplicem beneficij referendi rationem esse: Neque enim existimandum est, in remunerationibus singularia quædam summaq; munera requiri: quale Darius rex Persarum Syloſonti, nempe pro veste olim donata, imperium Sami: Et Julius Cæsar pro aquæ haustu fertiles agros: Et Ludovicus Imperator pro rapâ aureos numos, dedisse fertur. Sunt enim hæc* χρύσεα χαλκείων, *ut est apud Homerum. Sed sic statuendum est, virtutis hujus amplitudinem animo potius, ac voluntate æstimandam, ac definiendam esse, quàm externis illis donis atque officijs, quæ gratitudinis quidem notæ atque indicia sunt, ipsa verò gratitudo non sunt. Itaque nemo tàm tenuis & afflictæ conditionis est, quin alterius benignitate provocatus gratum sese præbere possit. Nam vel sine re voluntas à bonis viris probatur, & grati memorisq; animi significatio, non minima remunerationis pars existimatur. Quàm necessaria verò hæc virtus sit, Athenienses olim optimè mihi perspexisse videntur, qui fanum Gratijs in media urbe dedicarunt, ut nempe significarent, omnem civilis societa-*

tis rationem, Gratiarum quasi quodam numine contineri. Nullum enim firmius concordiæ vinculum inter homines cogitari potest, quàm gratæ mentis remuneratio, & studiorum officiorumq; vicissitudo. Gratia namque gratiam parit, & animos alios ex alijs nectit, & universos denique cives singulari quadam benevolentia, & charitate inter se devincit, & conglutinat. Adhæc ipse Deus egregio præmio proposito, ad hujus virtutis studium nos allicit & invitat. Nam in primo legis capite, quod hominum convictum ac societatem spectat: Parentes (inquit) colito, ut diu vivas in terra, quam tibi Dominus Deus *attribuet. Par enim esse videbatur, ut, qui gratus esset in eos, per quos vita communi frueretur, in ea ipsa vita diutissimè permaneret. Unde colligitur hominibus gratis nunquam deesse præmia, sed eos plerumque eodem bonorum genere divinitus cumulari, quorum memoriam & gratè, & piè conservarunt.*

Quæ cum ita sint, Auditores, omni studio connitendum nobis est, ut inprimis Deum, perennem atque æternum omnium bonorum fontem, deinde parentes ac præceptores: tum Reipublicæ, Scholarum, & Ecclesiarum curatores: & denique cæteros mortales benè de nobis meritos, libenter diligenterq; colamus: beneficia eorum agnoscamus, ac prædicemus: & quæcunque ad gratiam singulis si minus referendam, certè habendam agendamq; pertinent, studiosè faciamus: ut non minus verè, quàm honorificè illud Virgilij de nobis prædicari possit:

Et benè apud memores veteris stat gratia facti.

DIXI.



ORA-

ORATIO TERTIÆ CLASSIS, RECITATA à NICOLAO-FRIDERICO TABRELLO.

PErspicuum est constatq; inter omnes, Auditores humanissimi, omnem solidam, perfectamq; scientiam tribus potissimum rebus contineri: naturâ, doctrinâ, & exercitatione. Naturam appello ingenium, hoc est: tam vim quandam à natura nobis insitam, atq; ingeneratam, quâ sumus idonei ad quidvis cognoscendum, ac percipiendum: tum incredibilem quandam sciendi cupiditatem, qua animus noster tanquam stimulo incitatus multa conatur, multa molitur, &, quod mirandum est, singulari quadam solertia effingit, atq; perficit. Hinc videas passim, à rudibus nullaq; arte excultis hominibus in naturæ obscuritate, in vitâ & moribus, in numeris & sonis, in Geometria, cæterisq; id genus rebus, ea sæpenumerò animadverti atque notari, quæ alius nemo, quantumvis è scholâ politus, facilè attenderit atque perspexerit. Aratus Solensis (de quo Cicero lib. 1. de Orat. meminit) Astrologiæ ignarus, numero poëtico versuq; Astrologiam elegantissimè tractavit. Sic Nicander Colophonius ab agro remotissimus, solâ ingenij vi & industriâ excitatus, de rebus rusticis præclarissimè scripsisse fertur. Sed ne longius abeamus, intueamur pueros (nam in his naturæ indicia melius deprehendi possunt) an non perpetuò quodam agendi discèdive desiderio incitantur? nonne rebus novis detinentur? spectaculis gaudent? colloquiis & fabellis delectantur? argumentis facilè ducuntur, atque cum alijs disputant? idq; duce

idque duce natura absque ulla arte faciunt. Veruntamen quamvis hæc ita sint, animus tamen compagibus corporis inclusus, atque errorum tenebris circumfusus, quid in quáq; re verum sincerumq; sit, planè atque omninò perspicere non potest: Idcirco opus fuit lumine, quo oculus mentis illustratus & longius prospiceret, & penitius omnia pervideret atque cognosceret. Atque ad hanc rem viri summi maximoq; ingenio præditi omne suum studium, operam, laborem atque industriam contulerunt: partim necessitate compulsi, partim admiratione adducti, partim denique utilitate, gloriaq; studio excitati, atque inflammati. Cum igitur hi omnium rerum naturas incredibili mentis sagacitate, atque solertia pervestigassent: quid in quoque earum genere præstantissimum, quid cognitione dignissimum, quid usibus nostris commodissimum maximeq; necessarium videretur, diligenter annotarunt, & certa ratione præceptisq; ad usum vitæ accommodatis, conformarunt, posterisq; tradiderunt. Ejusmodi verò præceptiones, in unum collectas, methodoq; descriptas, appellarunt artem, in qua si animus studiosè, attenteq; versetur, eam assiduâ exercitatione vel ad verum, vel ad adumbratum vitæ usum accommodet, fit tandem, ut certissimâ viâ, quò tendit, perveniat: aut certè ab eo, quodcunque sibi proposuerit, minus aberret. Quod si igitur tria illa adjumenta ad uniuscujusq; artis & scientiæ cognitionem requiruntur: quid faciendum erit ijs adolescentibus, quibus non discendi cupiditas, sed vel ingenij bonitas, vel institutionis commoditas deest? Idipsum pulcherrimè docet brabeum nostrum, in quo Sycomorus Ægyptia cernitur, eiq; asscriptum hoc Emblema: DEFECTUM INDUSTRIA SUPPLET.

Est verò Sycomorus (ut à Dioscoride ac Plinio describitur) arbor procera, patulis diffusa ramis, ficui persimilis, & foljs moro proxima: abundans lacte: quæque quotannis ter quaterve fructum ferat, non ramis, sed caudici adnascentem, eumq; copiosum, sed immaturum & insipidum, quiq; non maturescit, nisi aut ungue aut ferro confricetur. Itaque phyturgus ei appositus conspicitur, qui è pomis cultro incisis, lac eliciat efficiatq;, ut citiùs maturitatem assequantur. Quorsum igitur hujus arboris effigies spectat? ut intelligamus, industriam cùm cæteris in rebus, tum maximè in studiis literarum plurimum valere: nec ullius ingenium esse tàm tardum, & infelix, quod diligentiæ & laboris assiduitate, ex insciticæ salebris eluctari, atq; ad aliquam doctrinæ laudem pervenire non possit. Quanquam enim natura, quod in quoque rerum

genere

genere præstantissimum habetur, id maximis plerumque difficultatibus circumsepserit: animo tamen forti, atque industrio nulla prorsus difficultas reformidanda, nullus labor, quantumvis durissimus fugiendus est. Nihil est enim tàm obscurum tàmq; difficilè, quod curâ, attentione, studioq; inflammato pervestigari non queat. Hinc præclarè Philemon: Nihil est, inquit, quod invenire non possis, modò quærendi molestiam perferre ne recuses. ἅπαν ὃ τὸ ζητοῦμενον ἐξευρεῖν ἔστιν, inquit Alexis, ἂν μὴ ἀποκάμῃς μηδὲ τὸν πόνον φύγῃς. Et Menander: τὸ φιλεῖν πάντα, inquit, δοῦλα πάντα γίνεται. Nec sanè mirum, siquidē Deus ipse laudabiles conatus atque labores juvare & allevare, suaq; benignitatis aura ad optatum portum pervehere soleat. Id quod Ethnici quoq; non ignorarunt. Sic enim Euripides: τῷ γὰρ πονοῦντι καὶ θεὸς συλλαμβάνει. Deus laboranti subvenit, & opitulatur. Huc accedunt uberrimi, suavissimiq; industriæ fructus. Non solùm enim quod durum fuit pati (autore Seneca) meminisse dulce est: omnisq; labor & molestia incredibili voluptate pensatur: verùm etiam cognitio veritatis, virtutis usus, vitæ tranquillitas, opes, honores, gloria & auctoritas, præmia laborum longè pulcherrima consequuntur. Quamobrem non continuò, si quis ingenio hebetiore præditus sit, spem suam infringi aut industriam languescere patiatur. Siquidem præclarum semper fuerit habitum si prima assequi nequeas, in secundis tertiisve consistere, ut Cicero ait. Imò ne illud ipsum, quod optimum censetur, desperandum est. An non Cleanthes & Xenocrates, cùm ingenio admodum hebetes tardiq; essent, laboris assiduitate tandem perfecerunt, ut inter summos ætatis suæ philosophos numerarentur? Quis nescit Demosthenem plus curæ & industriæ, quàm naturæ & ingenij ad dicendum attulisse? Cùm enim ita balbus esset, ut primam artis suæ literam dicere non posset, & humerum indecorè moveret, & clamores populi ferre non posset, & spiritu esset infirmiori: an non omnia isthæc incommoda labore diligentiaq; superavit? Nam & balbutiem, calculis linguæ subjectis, emendavit, & motum corporis stricto gladio de lacunari supra humerum suspenso correxit: & ad fluctuum murmur ventorumq; turbines declamitans, obstrepentes populi clamores contemnere didicit: & spiritus infirmitatem, arduo ascensu ingrediendo, atque aliquid recitando levavit. Et denique tàm fuit industrius, ut si quando antelucanâ opificum industria vigilans esset, graviter molesteq; ferret. Itaque tantam eloquentiæ laudem consecutus est, ut non solum Demadem naturâ ingenioq; superiorem, sed cæteros

quoq; totius Græciæ Oratores longo intervallo post sè reliquerit: suoq; exemplo probarit, verissimè dictum esse, ἐκ μελέτης πλέας ἢ φύσεως ἀγαθοι, id est, Plures studio atque exercitatione, quàm nàtura bonos fieri.

Hoc igitur præclarissimum exemplum, Adolescentes optatissimi vobis ob oculos ponite & imitamini, rectisq; studiis ad laudem & gloriam contendite: atq; si minus ingenio potestis, diligentiam vobis subsidio comparate: ac prorsus sic statuite, non dissimilem esse rationem humani ingenij ac stirpium, quæ diligenti culturâ & meliores & pulchriores efficiantur. Nam ut sycomorus verberibus pulsata, & lacerata fructuosior evadit, ejusq; pomum cultro incisum, crudoq; succo levatum maturescit atque dulcescit: sic ingenium quantumvis hebes & obtusum, si laboribus acriter exerceatur, tandem eruditionis ac virtutis maturitatem quandam consequitur, hominumq; generi fructus uberes, jucundos & salutares affert. D I X I.

ORATIO QUARTÆ CLASSIS, RECITATA à DANIELE NÔTTELIO, Norib.



IN nostro cõgiario, Auditores humanissimi, impressæ efficiæq; cernuntur duæ viperæ venereo complexu inter sè vinctæ, quarum altera fœmella, libidine æstuans caput maris ori suo insertum, præcidit, & amputat: tum ipsa quoque gravida facta, vicissim à catalis suis alvum maternam exedentibus interimitur. Qua de re, qui ple-

qui plenius & planius quid cognoscere cupit, cum Aristoteles, Theophrastus, & Plinius edocere poterunt. Nos quidem hoc in loco atque hac temporis brevitate, quorsum imago ista spectet, breviter duntaxat atque summatim considerabimus.

Inter reliqua autem vitia, quæ nobis in viperis ob oculos constituuntur, omnium teterrimum & atrocissimum est, quod animi ingrati crimen, vulgò ingratitudo, itemq; impietas appellatur. Nam quis tàm nefario scelere se astringit, is beneficia, quibus affectus est, aut se accepisse negat, aut dissimulat, aut eorum magnitudinem non ponderat, aut memoriam ipsorum deponit, aut nullam pro iis gratiam persolvit, aut denique maleficium pro beneficio reponit. Quo flagitio nil hominum societati perniciosius, ac funestius, nil Deo bonisq; viris odiosius, nil turpius ac fœdius cogitari potest. Cum enim justitia præcipuum humanæ consociationis vinculum sit ac firmamentum; nemo autem justus esse possit, nisi in Deum & homines benè de se meritos pius & gratus extet: consequitur, ut, quicunque gratitudinis, & pietatis expertes sunt omne jus officiumq; pervertant, fidem violent, libertatem extinguant: amicitias dissolvant, atque adeò omnem generis humani communitatem oppugnent & labefactent. Atque id quidem manifestius est, quàm ut multis rationibus atq; exemplis à me demonstrari debeat. Nam qui tàm tetro animi morbo laborat, is nec divinam erga se benignitatem agnoscit ac celebrat, nec patriam grata mente prosequitur; nec parentes ac præceptores colit atque observat, nec denique cuiquam mortalium ullum amoris, aut studij, aut pietatis officium persolvit. Imò verò nonnulli in eam prolapsi sunt impietatem, ut prosperos actionum suarum successus, non divinæ bonitati, sed suæ sapientiæ atque industriæ acceptos referre, & Deum ab omni rerum humanarum administratione removere audeant. Deinde quàm multi cives patriam suam aut tyrannide oppresserint, aut opprimendam alijs prodiderint, aut alias calamitates ei importarint, testis est historia, quæ Coriolani, Catilinæ, Sullæ nefaria adversus eam consilia, machinationes & facinora commemorat. Consimili fato fuerunt multi & parentes, & præceptores, qui à liberis atque discipulis suis, vel crudeliter cæsi, vel aliâ quavis ratione injuriosè tractati sunt. Manasses rex Isaiam vatem, avum maternum, ligna serra dissecandum curavit. Atistabulus rex & pontifex matrem squalore, inediaq; necavit: fratres verò partim in vinculis tenuit, partim insidijs oppressit. Domitius Nero Imperator

matrem Agrippinam, & Senecam præceptorem interfecit. Philologus præceptorem Marcum Tullium trucidandum hostibus prodidit. Johannes Scotus
» Academiæ Parisiensis restitutor percelebris graphicis puerorum stylis compunctus periit. Sed plura exempla nec tempus admittit, nec res ipsa postulat: cum præsertim hac nostra ætate, maximè verò in Scholis & Academijs, magnus plerumque sit eorum numerus, qui suis institutoribus, aut nullam, aut perexiguam, atque etiam interdum pessimam gratiam rependunt. Multi namque reperiuntur, qui (quod Plato conquestus est) pullos equorum imitantur, qui lacte materno exsaturati, matrem calcibus feriunt, hoc est, præceptoribus benè meritis obtrectant, & eorum doctrinam, & institutionem vel temerè exagitant, vel improbè extenuant, vel tàm frigidè laudant, ut vituperasse præstiterit. Nonnulli præmia, quæ Minervæ debebantur, vel non solvunt, vel ita dispertiunt, ut minorem partem Minervæ, majorem Veneri, cæteris q; voluptatum ministris tribuant. Nec denique desunt, qui ob salutarem disciplinæ severitatem, præceptoribus insidias struant, & calamitates machinentur. Quod genus omnium est ingratissimum, ac sceleratissimum, verùntamen HAUD IMPUNE, ut Emblema nostrum monet. Nam primùm Deus ipse tàm immane scelus meritis suppliciis coërcet, & ulciscitur: id quod infinitis exemplis, si tempus ferret, notum & testatum facerem. Etenim ut de multis unum alterúmve commemorem, an non Manasses Deo auctore & vindice, ab hoste captus, tetroq; carceri inclusus ac vinculis durissimis constrictus, annos decem acerbissimas impietatis suæ pœnas dedit? Nonne Aristobulus partim acerbissimo animi dolore; partim sævo intestinorum cruciatu affectus, non procul ab eo loco, ubi fratrem necari jusserat, animam cum sanguine evomuit. An non Domitius Nero impietatis conscientiâ oppressus, & animi pavore mentisq; errore agitatus, tandem ipse necem sibi conscivit? Deinde neminem mortalium esse puto, qui hominem ingratum non odio prosequatur. Quis enim diligat eum, qui patriam, parentes, præceptores violat? qui ingratitudine sua cæteros ad benè merendum propensos, à libertate deterret, fonteq; benignitatis ita claudit, & obstruit, ut nullus inde rivulus ad tenuiores dimanare possit. Adhæc antiquitas ingratitudinem tanti sceleris loco posuit, ut nullam pœnam ei parem legibus sanciri posse, ideoq; divinæ ultioni id committendum existimarit. Solon interrogatus, cur nullum statuisset supplicium in eum, qui parentem necasset? respondit, se non putasse, quenquam fore, qui

fore, qui tàm immane facinus admitteret. Verùm posterior ætas singulare c
supplicium excogitavit, ut nimirum parricida unà cum cane, gallo gallinaceo, c
viperâ & simiâ in culeum insueretur, atque ita in mare seu flumen dejiceretur. c
Quod genus pœnæ M. Malleolus matris interfector Romæ primus sustinuisse fertur. Macedones & Lusitani parricidas lapidibus obruerunt. Ægyptij illorum membra unguibus compuncta & concisa in rogum è spinis extructum, viva conjecerunt & combusserunt. Sed præter hanc cæteras q. ingratitudinis pœnas à diversis populis constitutas, est etiam infamia. Nam qui semel ingratus vulgò usurpatur, is nunquam, aut difficulter admodum, pietatis opinionem ac laudem recuperabit. Nulla enim turpitudinis labes & macula in hominis nomine & existimatione faciliùs inhæresit ac difficiliùs eluitur, quàm quæ ab animo ingrato suscipitur.

Quapropter, Adolescentes optatissimi, cum ingratitudo, tàm odiosa, detestabilis, & execranda, tàm perniciosa ac calamitosa, & tanto deniq. cum dedecore & ignominia conjuncta sit: omni studio providendum & elaborandum nobis est, ut non modò tàm nefarium crimen, sed criminis quoque suspicionem vitare, & effugere queamus.

DIXI.

XIX. PANEGYRIS, Anni 1595.

SUB RECTORATU D.D. PETRI WESENBECII, IURISCONSULTI.

ORATIO PRIMÆ CLASSIS, RECITATA à DANIELE KRETSCHMAIR, Bohemo.



SOcrates intempestivam sapientiæ persuasionem, in adolescente Alcibiade reprehensurus: ἡ γὰρ διανοίας, inquit, ἄρχεται ὄψις ὀξὺ βλέπειν, ὅταν ἡ τῶν ὀμμάτων τῆς ἀκμῆς λήγειν ἐπιχειρῇ, id est, Mentis oculus tunc clarè cernit, quando vigor corporalis aspectus decrescit. Nam cum adolescentia propter ætatis, & judicij infirmitatem, rerumq; imperitiam, acie mentis suæ hebeti adhuc, & imbecilla assequi non possit, quæ vix demum in senectæ etiam ingeniosis & diligentibus patent: sapientissimus vir prudenter sanè juvenem illum à magnarum & arduarum rerum tractatione, quas expedire, si in discrimen ea veniissent, & de quibus consilium

consilium extempore capere non potuisset, avocare voluit. Hujus ergo sententiæ Socraticæ recordatione ipse quoque à præsenti negotio abstinerem, nisi & Scholæ nostræ consuetudinem vobis notam esse scirem, & M.D. Rectoris me huc impelleret observantia, atque authoritas.

Proinde cùm nulla ingenij fiducia, neque proprio judicio adductus in hunc locum prodierim, inq; hac spectatissima nobilissimorum & clarissimorum virorum corona aliquid mihi proferendum sit: veniam me à vestra benevolentia & humanitate, in qua omnia mihi constituta esse existimo, impetraturum, nec ullam mihi importunitatis, seu arrogantiæ notam pertimescendam, confido. Dicam igitur de re proposita, sed dicam quàm fieri poterit brevissimè, ut est in formula creationum veteri, quæ sciam poteróque.

In brabeo nostro, quod jam mihi Amplissimorum Scholarcharum munere datum est, expressa cernitur effigies suis rosetà irrumpentis, eaque fædè devastantis, cum hoc Emblemate: POENA COMES SCELERIS.

Tradunt autem rerum naturalium scriptores, suillum genus in Arabia non posse vivere: eò, quòd ea regio plena sit odoramentorum, quæ porcis venena sunt, utpote qui fœtidis solummodo, & sordidis rebus delectentur. Similiter scribunt, suem Amaracum ferre non posse. Est autem Amaracus herbæ genus, Siculorum lingua à Cynaræ Cypri regis ejusdem nominis filio dictum, quem in hanc herbam conversum fuisse poëtarum fabulis proditum est. Dicitur eadem Græcis σάμψυχον, ἀπὸ τὸ σαίνειν ψυχὴν, reficit enim & recreat spiritus mirificè suavitate temperati odoris. Unde & Plinius inter unguenta nobilia, amaraci quoque facit mentionem: & refert quendam in Cò insula fuisse laudatissimum: ejus varia ostendit remedia, atque ex eo olcum quoque fieri, quod amaracinum vocetur. Cum igitur hujusmodi sit amaracinum; contrà sue nihil immundius, nihil sordium amantius: nihil profectò minus rostro suillo convenit, quàm deliciæ unguentariæ, quippe cui id demum suave olet, quod cœnum olet. Et testatur Lucretius, inter unguenta & odores, peculiari quadam naturæ proprietate, amaracinum maximum inimicum esse suillo generi. Sic enim poëta ille:

Denique amaracinum fugitat sus, & timet omne
Unguentum: Nam setigeris subus acre venenum est.

Hæc igitur antipathia illa est suis cum rosis & amaraco, hoc dissidium, cujus quidem consideratio duplex institui potest; una Theologica; Philoso-

phica

phica altera. Ac ut de priore primo loco dicamus: Bona fragrantia, inquit Apostolus, sumus Deo, in ijs qui salvi fiunt, & in ijs qui pereunt: his quidem odor mortis ad mortẽ; illis verò odor vitæ ad vitam. Quo quidem maximam illam animorũ diversitatẽ exprimit Apostolus, qua videmus Evangelium à mundo variè recipi & judicari. Bonus Christi odor sunt Apostoli, atq; omnes Evãgelij ministri, & sancti viri, suave olentes Deo, dum gloriã ejus provehũt in omni loco, prædicatione verbi, bonis ac sanctis moribus ac exemplis, ardenti ad Deũ precatione pro regni Dei successu, & patientia in adversis rebus, dum quotidiè pro Christo immolantur. His omnibus pij attrahuntur ceu unguentorũ odore, ut cum sponsâ Christum alacriter ad vitam immortalem sequantur, ubi sempiternùm ejus amplexibus fruentur. Contrà increduli, & hostes Evangelij, velut venenatæ quædam bestiæ & sues, bonos odores Ecclesiæ minimè ferentes, Christi odore enecantur, dum universum ejus regnum tanquam rosetum, & viridarium amœnissimum, cum omnibus hujus colonis, & hortulanis hostiliter oppugnant, illudq; funditus eversum esse cupiunt. Inter Judæos enim quàm primùm Christus se mundo manifestare cœpit, exorti sunt, qui illi contradicerent: & quidem non vulgares homines, sed Scribæ, sed Sacerdotes, sed Pharisæi, penes quos tum summa erat in sacris autoritas, & qui summam doctrinæ, & sanctitatis existimationem substinebant. Quod ut inter Judæos fieri cœpit, sic idem posteà inter gentes factitatum est, cùm inter has Christus manifestaretur. Tunc enim adversus Apostolos & horum successores philosophi insurrexerunt, qui doctrinam de Christo suis strophis in contemtum, & dubium vocare conati sunt. Junxerunt cum his operam suam regum & imperatorum ministri, qui falsa insuper crimina Christianis hominibus intentarunt: & nullum tàm nefarium, tamq; inauditum scelus est, quod non illis fuerit objectum. Et ne exteri soli hunc amœnissimum hortum vastare viderentur, inter ipsos Christianos hæretici exorti sunt, qui portentosis simul atq; impijs commentis, & plus quàm diabolicâ obtrectandi libidine linguas suas adversus Christum, & puriorem veritatis doctrinam solverunt. Et, quod olim factum est, hoc ipsum hodiè etiam fit passim. Pergunt enim Christo contradicere Judæi, & ne nunc quidem ejus manum agnoscunt, cujus justo & gravi judicio sese premi, & in extremas miserias detrusos esse, sentiunt. Miscent cum his suas quoque blasphemias Mahometani, qui longè maximam orbis terrarum partem occuparunt. Latrant quotidiè adversus Dei filium Servetiani

vetiani canes, & quotquot hodie vel Arij, vel Marcionis, vel Nestorij, vel Eutychis, vel aliorum hæreses postliminio revocant. Imo cui Ecclesiæ gubernacula sibi vendicant, Pontifices & Episcopi se cum rebus suis non posse salvos esse arbitrantur, nisi Christo per Evangelium nobiscum loquenti contradicant, & illum è solio suo deijciant. Sub horum ductorum signis in lacunis suis grunniunt adversus eundem sues verè Bœoticæ monachi; boant sacrificuli; crocitant Purgatoriani corvi; nocturnæ sepulchrales ululant; serpentum & anguium instar sibilant moniales & Begutæ; rudunt denique asini & muli Romanenses: Qui simul omnes undique tàm nobilium, quàm plebejorum turmas atque cohortes excitant, ut crabronum & muscarum instar vel oppugnent veros Christi præcones: vel imbelli clamoso tantùm stridore illis obstrepant. Hi sunt ergo spumantes illi apri Christi roseti & viridarium vastantes: Hi cornigeri tauri, Christi Ecclesiam incursantes: quorum impetus & furor, nisi divinitus coërceretur jam diu viridarium illud amœnissimum miserè deformatum in situ & squalore jaceret. Sed Pœna comes sceleris est, ut Emblema nostrum habet: nec impunè ferunt, qui tanta impietate adversus Christum & sanctos ejus efferuntur. Constat enim ex historiarum monimentis, quàm potenter Deus superbiam illorum hostium semper ultus sit, quando non graves modò, verùm & ignominiosas pœnas superbis inflixit, ut illorum insolentes spiritus magis coërceret. Ita Sennacherib in templo dei sui à tribus proprijs filijs miserè occiditur. Ita Antiochus, Herodes magnus, Sylla, & tandem Maximinus, enascentibus ex carne vermiculis, qui viventes gravi simul & fœdo dolore depascentes, afflixerunt, fœdè sunt consumti. Venio ad alteram, in qua philosophicam Emblematis nostri explicationem afferre conabor.

Aeta rex Colchorum, ad quem Jason cum socijs suis argonauticâ expeditione institutâ, olim pervenit, hortum seu viridarium quoddam habuisse fingitur, omnis generis floribus, herbis, arboribus fragrantissimum, & aspectu odoratuq; jucundissimum. Et addunt sapientes, tres fontes per viridarium illud deductos fuisse, quorum primus lacte, medius vino, extremus oleo redundarit.

Quid hoc horto, & fontibus in eo scaturientibus aliud, quàm Academiam adumbrare voluerunt veteres sapientes, in quam omnium liberalium artium redundarint flumina? Traduntur in scholis primùm Logicarum artium, quæ

tium, quæ lacteo illo fonte repræsentantur, primordia, quibus teneri discentis animi ceu lacte imbuuntur & nutriuntur. Adduntur deinde sublimiores Ethicorum, Physicorum, & Mathematicorum disciplinæ, quibus ceu vino studiosorum adolescentum ingenia magis roborantur, judicia acuuntur, memoriæ augentur, & ad summas illas facultates præparantur. Tandem tres illæ supremæ facultates, sacrosanctæ Theologiæ, sapientissimæ Jurisprudentiæ, & saluberrimæ Medicinæ proponuntur, quibus, qui ceu oleo inuncti sunt, ad omnia munera totius vitæ humanæ obeunda, promptiores, paratiores, & aptiores evadunt.

Tempe.

Scribunt historici Tempe montes Thessaliæ esse amœnissimos, perpetuâ veris temperie gratissimos, arboribus refertos, volucrum concentibus argutos, fontibus irriguos. At quanto præstantiora sunt hæc nostra Tempe, in quibus & jucunde, & utiliter, & sine flagitijs, & maxima cum laude vivi potest? Ubi & omnis generis disciplinæ à doctissimis viris traduntur, & usu earum exercitatione disputationum & declamationum demonstratur, & cum theoria praxis conjungitur? Addo quòd doctorum virorum consuetudo in magna parte felicitatis numeranda sit. Horum enim collocutionibus, & ingenia adolescentum acuuntur, mores corriguntur, & doctrina per ludum & jocum mirum in modum augetur. O felices eos, quibus in hoc amœnissimo viridario datum est inter studiosos & eruditos homines, eosdemq; humanos & disertos, perpetuò versari, deq; ratione studiorum subinde cum illis conferre! Ut taceam, quanta delectatio accedat variæ lectionis, & scriptionis. Magna certè res est, & plus quàm regiæ dignitatis, cum sapientissimis & maximis viris, qui ab orbe condito extiterunt, familiariter, quoties libeat, posse colloqui, eorum consilia videre, præceptis obtemperare. Hi sunt flores illi odoratissimi, quos ex viridario nostro Academico decerpere possumus.

Sed â

——Pauci quos æquus amavit
Jupiter, atque ardens evexit ad æthera virtus.
Diis geniti, cupidè verumque bonumque tuentur:
Cætera turba lucrum petit: & te fœda voluptas,
Ambitióve tumens, sequitur per fasque nefasque.

Habet enim hoc nostrum viridarium, suos quoque porcos, flores & rosêta fœdè devastantes. Mittuntur in Academiam adolescentes, ut animi ipso-

rum tu-

vim rudes, bonis artibus informentur & expoliantur: ad quam rem natura suppeditat vires ingenij & corporis, mentis ac sensuum integritatem: Parentes adjungunt victum cultumq; corporis, libros comparant, præceptores præficiunt, tranquillum ocium concedunt: Et quibus hæc retineantur, sumtus necessarios impendunt. Quid fit? multos proh dolor videas degeneres animos, qui etsi hunc hortum non ingressi modò; verùm etiam aliquo usque feliciter in eo progressi sunt, quin etiam rosas quasdam decerpserunt: quamprimum tamen harum spinis vel leviter sese confixos sentiunt, manum retrahunt, & discendi voluntatem unà cum spe perdiscendi statim abijciunt. Hinc fit, ut quia se in Academiis vivere sciunt, sibiq; quod libeat, licere statim falsò putant, remotis Magistris, τῶν ἔργων immemores, & πέρατα καὶ ἄπρος δέντα, nonnulli etiam & ἀνάτια consectentur: sympofia frequentent, choreas ducant, deambulationes intempestivas repetant, variaq; ludorum & inanium oblectationum genera exquirant, non cogitantes, quàm malam rem interim gerant, si peregrè profusa pecunia, aut nullos aut immaturos ex hoc horto fructus domum reportarint. Unde postea ex singulis facultatibus singula dedecora tanquam abortum nasci videmus. Pro theologis enim post illatores quidam exurgunt, qui præclaros sese Theologos putant, si memoriter conciones ab aliis conscriptas recitent, & laxa toga, & insolenti oratione atq; arrectis supercilijs sucum rusticis faciant. Pro Jurisconsultis doctis, rabulas famelicos provenire videmus, qui pecuniæ caussa τὸν ἥττω λόγον κρείττω ποιεῖν studeant, sordidum hominum genus, omni studio in eo elaborans, ut lites ex litibus serat, reos non expediat, sed potiùs expilet, nunquam quietos esse sinat. Unde paulatim honestissima professio, & Reipublicæ firmamentum, & pacis quasi nutricula, in sycophanticam & sophisticam conversa, sordidorum istorum porcorum vitio litium quoddam seminarium, & ars litigandi esse incipit. Pro Medicis denique agyrtas, & circumforaneos passim oberrare cernimus, quales Venetijs, Gedani & Francofurti in nundinis videntur, qui theriacam & priùs ignota semina sive pharmaca venum exponunt, quorum vires & mirificos in ejiciendis vermibus, alijsq; morbis curandis effectus magna vocis contentione, & indefessa linguæ volubilitate prædicant, ut rei novitate attonitos, & hiantes simplicium rusticorum animos fallant, & eos pecunijs emungant. Ægyptij olim suem usque adeò spurcam beluam ducebant, ut si quis vel transiens contigisset, continuò properaret ad flumen, se pariter ac vestem

abluturus. Quantò magis hi nostri Margitæ, omni virtute, omni industriâ carentes, ut ἐτώσιον ἄχθος ἀρούρης fugiendi, & omniũ cõtemtui & odio relinquendi sunt? Nec id quidem immeritò. Hæc enim pœna illa est vastati ab ijs pulcherrimi roseti, ut non solùm alijs sint inviſi, sed etiam sibiipsis tandem vel maximè displiceant, donec ad extremum sine honore inglorij occumbentes, non aliter quàm sues exitiali rosarum odore interitum sibi accelerent.

Sed relictis illis porcis grandinosis, finem dicendi facio, vosq; commilitones optimi, colophonis loco, sedulò moneo, & obtestor, ut cum jam ex obscuro classicarum molestiarum vepreto in hanc clarissimam lucem, & amœnissimum publicarum auscultationum hortum translati simus, omni studio in id mecum incumbatis, ut non tàm vastatores, quàm cultores pulcherrimi hujus roseti esse videamur, nec veneficis voluptatum illecebris in Circeos porcos nos transformari patiamur: sed potiùs ex clarissimis nostris præceptoribus ea audiamus, & discamus, per quæ animus virtute, ingenium sapientiâ, lingua eloquentiâ excolatur & adornetur. Sic enim fiet, ut optimarum literarum præsidijs muniti jucunditate harum perfruamur, commodis gaudeamus, ornamentis afficiamur. D I X I.

ORATIO SECUNDÆ CLASSIS, RECITATA à BALTHASARE PISTORIO, Neagoræo Palatino.

Nihil unquam præclari sine multo sudore & labore extitisse, pleni omnes sunt libri, plenæ sapientum voces, plena exemplorum vetustas, Auditores opti-

res optimi. Nam, ——nulli sine Marte triumphi,
Et nisi certanti nulla corona datur.

Scientiâ autem literarum quid præclarius? quid gravius? nam non modò omnibus bonis comparanda, sed etiam omnibus anteponenda. Hoc dignitas, hoc utilitas, hoc suavitas tanquam debitum exigit. Quis enim quæso urbes peperit? literarum dignitas. Quis dissipatos homines in vitæ societatem convocavit? literarum dignitas. Quis eos primò domicilijs, deinde conjugijs, tum mercium permutatione, & sermonis communione junxit? literarum dignitas. Hæc nos ab omni contagione vitiorum reprimit, & revocat. Hæc dubitare nos cogit, utrum sit efficacius ad rectè vivendum, benè institui, aut feliciter nasci. Hæc medicina est, quæ medetur animis, sollicitudines detrahit, timores pellit, luctus levat. Hæc hominum memoriam apud posteros æterna donat recordatione: ut Tibullus canit:

Quem referent Musæ, vivet dum robora tellus,
Dum cœlum stellas, dum vehit amnis aquas.

Quid in Philosophia est, quod cujusquam prædicatio vel transilire vel prætervehi debeat? quæ ars, quæ artis quæstio aut utilitate sterilis, aut vacua suavitate? In hæc nihil flammis, nihil senectuti, nihil furibus licet. Tanto itaque majore consensu in venerationem horum omnes boni consurgere debent, quanto magis de his improbi silent. Quia ergò nulla bona studijs optabiliora, nulla præstantiora neque data sunt mortalium generi, neque dabuntur: nullum vestrum, quem non hæc cogitatio subeat, esse puto: literarum scientiam non esse facilem, sed laboriosam, in qua multum operæ ponendum, sudandum, vigilandum.

Nec sola tamen industria humana ad consequendam literatæ prudentiæ laudem sufficit. Qui enim ad sua studia Deum non adhibet sæpè falsa quadam rerum humanarum specie decipitur. Nam ut in alijs rebus gravioribus, minimè in fortuna situm, aut labore, cur res vel benè vel malè geramus (Deus enim, ut piè Isocrates ait, τὰ τῶν ἀνθρώπων διοικεῖ: Quod & Mardonius apud Herodotum testatur, dicens: ὅτι δεῖ γινέσθαι ὁκοῖ θεὸς ἀμήχανον ὀπτερέψαι) Ita divini numinis afflatus, vel inprimis in addiscendis literis exoptandus, sineq; hôc, omne studium infeliciter succedit, nullumq; fert fructum. Et hinc non tàm à parentibus & præceptoribus, quàm ab ipsis discipulis tristis illa exclamatio auditur: O spes fallaces, ô cogitationes inanes, ô frustra

suscepti labores! Rectè igitur prudenterq; Senatus Noricus D. Scholarchæ Amplissimi & Magnifici Academiæ nostræ Patroni, brabejo nostro, cui navis fluctuantis in æstibus marinis nota insculpta est, DESUPER AUXILIUM, *inscripserunt. Sine hoc enim constare dignitas artibus, virtutibus autoritas, non potest: hoc, hoc est, quo favente omnia secunda fluunt. Quemadmodum enim navis, licet omnibus ornamentis & instrumentis, nautis etiam peritissimis exornata sit: nisi cursum navigationis ad rationem tempestatum dirigat, portu facilè vi ventorum excluditur, & naufragium facit: ita studia nostra, nisi desuper Spiritus sancti flatu regantur, non solùm vana, & inania sunt, sed etiam multorum malorum caussa existunt.*

Quod ut plenè perfectèq; intelligi possit, rem paulò altiùs repetam. In navigatione non tàm navis, & nautarum, quàm tempestatis ratio habenda est. Non solùm enim varius usus, sed & ipsa maria diversa diversas navium formas exigunt. Aliæ enim oneri ferendo idoneæ, onerariæ & frumentariæ dicuntur: ad equites, ad pedites deportandos aliæ sunt factæ, hæ pontones, illæ hippagines appellantur. Remis verò quæ aguntur, actuariæ nominantur. Aliæ ad prœliandum militares inventæ sunt, quibus explorandi caussa speculatoriæ præmittuntur. Orariæ item & celoces suas habent formas, ut aliæ alias. Quarum omnium licet figura exquisitè ab artifice introducta sit, tamen & reliquis instrumentis (ut sunt fori, transtra, antlia, corbis, malus, antennæ, remi, clavus, anchora, aplustra, vela) carere minimè possunt. Præterea κυβερνήτην cæterosq; nautas, & remiges exactè scire oportet, quando solvendum, quando vela danda, deducenda, aut substringenda, quando cursus obliquandus, quando remis incumbendum, procellas item & tempestates providere futuras, latentes scopulos evitare, marinaq; monstra arte eludere oportet. Tandem naves optimæ & nautæ peritissimi, nisi tempestate secunda vela faciant, non solùm prospectantur statim à portu sparsa navigia, sed tota navigatio infelix est. Deficientibus enim in totum ventis, navis in medio cursu resistet; reflantibus reijcietur; vehementiùs autem sævientibus, tanquam tabula, motu & agitatione iratorum fluctuum, tàm diu errabit, donec scopulis allisa vel syrtibus infixa hæreat, rimas agat & naufragium faciat. Ita in hoc nostro scholastico pelago primò omnium sciendum, non quavis, sed idonea, & apta ingenia admittere ad studia, & quidem primam ætatem tantùm.

Quanquam enim nulla ætas ad discendum sera est, tamen & multò aptior

Explic. Jul. Cæs. Scaliger, anno æt. 32. operam tenello literis navare incepit.

senella quàm aliæ ad aliquid memoriæ infigendum, & ut Diogenes dixit, νεαρὰ ἰατρεῖα θεὸς κὴ γέροντα νεῆτειν ἔφυτὸν ἐιῶν. Unde eleganter Ulpianus: Præsumtum est (inquit) ea mancipia quæ rudia sunt, simpliciora esse, & ad ministeria aptiora & dociliora, & ad omne ministerium habiliora: Trita verò mancipia, & veterana difficile est reformare, & ad suos mores formare. Deinde inprimis necesse est, ut quisq; suum modulum spectet, ut Pythagoras monet: χρὴ καθ' ἑαυτὸν ἀεὶ πάντ' ἐφ' ὁμῶν μέτρον. Quod Propertius elegantèr reddidit:

Turpe est, quod nequeas, capiti submittere pondus,
Et pressum inflexo mox dare terga genu.

Quare ea tantùm sequenda, ad quæ natura & Deus nos idoneos esse voluit: summæq; dementiæ est, aliquid in vita, quod ajunt, Minerva suscipere, & persequi. Constans præterea animus, & assiduus, ut etiam integer, totusq; requiritur. Etenim nusquam est, qui ubiq; est, inquit Seneca. Qui philosophiæ dat operam, debet ei se totum committere. Ut enim in peregrinatione vitam degentibus hoc evenire solet, ut multis hospitiis utantur, nullis amicitiis: ita distrahit animum studiorum multitudo. Tandem prima illa teneraq; ætas, corporis licet fortunæq; bonis omnibus, tanquam navis salburra ita onerata sit, ut stabilior sit in cursu: legum tamen bonarum magnete opus habet, qui optatum ex alto portum demonstret: præceptoribus denique fidelibus, qui adversam tempestatem, laboresq; maximos, qui in literas incumbentibus perferendi sunt, monstrent: qui ludorum, & compotationum fluctus frangere, qui ignaviæ ventos domitare, qui superbiæ obstantia freta transire, qui φιλαυτίας scopulos & syrtes effugere doceant. Hæc cuncta multum ad studia faciunt; sed ea non perficiunt. Nisi enim Desuper auxilium veniat, & aura illa divinitus mentibus nostris illapsa ignaviæ tenebras pellat, ambitionis ventos sedet, totumq; studiorum cursum devio vectore turbatum recipiat, rursumq; dirigat, omnis parentum cura, omnis discentium labor, omne docentium studium vanum & irritum est. Quis enim nostrum est, qui possit

——non quod ante pedes modò est
Videre, sed etiam illa quæ futura sunt!

Quare ut navigantes in longinquas terras magnis se laboribus frangunt, tempestate autem secunda tantùm solvunt: ita prudentissimus Senatus Noricus, quia videt studia nostra tanquam in mari immenso vehi, varioq; rerum even-

rum eventu perpetuo fluctuare, non solùm septem ordinum navem, Academiam Altorfianam hanc septem liberalium artium remis instructam, è navalibus Noricis produxit: socijs navalibus defensoribusq; complevit: panem nauticum stipendiumq; militibus & remigibus præbuit: sed etiam omnes, & singulos tàm remiges, quàm nautas gubernatoresq; præsenti hoc Emblemate ad summam diligentiam & studium adhortari voluit, sinulq; monere: laborandum quidem; Desuper *tamen* Auxilium *& sperandum & exorandum esse. A solo enim Deo, ut & cætera bona, ita inprimis veram salutaremq; eruditionem expectare debemus. Hic enim solus est, qui præcipitantem vitiorum tempestatem refrenat, studia fluitantia recipit; & sicubi adhuc tenebrarum aliqua obversatur obscuritas, aut residuus undarum infernalium pulsus murmurat, necesse est tamen ad hujus nutum diluescat & sileat. Tu igitur generosa, nobilis, & ingenua juventus, quæ eandem mecum conscendisti navem, tu quisquis es,*

------disce ergo quem te Deus esse
Jussit, & humana qua parte locatus es in re.

Noli succumbere ignaviæ; assuesce laboribus, nam ut nautas tempestatum, & Medicos juvat meminisse morborum: sic dulcis erit aliquando in studijs præteritorum laborum recordatio. Moram itaq; averte omnem,

Et propera, nec te venturas differ in horas:
ibid. Qui non est hodie, cras minus aptus erit.

In præteritum enim subvenire ne Deus quidem vult, noli de via quam tibi Spiritus sanctus, verus studiorum nostrorum Mercurius monstrabit, declinare, Sola enim ea pergendum via, ut Plato in Critone ait, qua Deus nos ducit. Hac rectum tenere clavum studeto. Omnibus quidem eruditionem liceri concessum; diligentibus tantùm emere; possidere verò Dei est largitio & donum. Desuper ergo auxilium.

DIXI.

ORATIO TERTIÆ CLASSIS, RECITATA à SIGISMUNDO ORTELIO, Noribergensi.

IN brabeo noſtro, Rector Magnifice, quod Ampliſſ. Scholarcharum munere, mihi cæteriſq; tertij ordinis adoleſcentibus datum eſt, expreſſus extat Globus plenus latentis ignis, & fumum foràs quacunque licet, emittentis. Additum eſt hoc Emblema: QUA LICET ERUMPIT. Quod etſi varios atque multiplices explicatus habere videatur: nos tamen de animi perturbationibus inprimis id accipiendum exiſtimavimus. Ut enim ignis globo concluſus exæſtuat, & quacunque parte poteſt, fumum & flammas emittit: Sic ira cæteræq; cupiditates, animo humano velut carcere quodam cohibitæ foràs prorumpere, & menti caliginem offundere, omnemq; vitam temeritate ſua perturbare conantur.

Emblemate igitur noſtro præclarè admonemur, cupiditates animi effusè proruentes refrenandas, atque rationis imperio diligenter coërcendas eſſe. Animus namque humanus duabus veluti partibus diſtinguitur, quarum una mens ſive ratio appellatur, cum mente divina & muneris ſimilitudine, & cœleſti, ut ita dicam, agnatione conjuncta. Altera corpori alligata, in qua tum irarum ardor, tum cupiditas ſeu voluptatis appetitio dominatur. Atque illius quidem eſt, & imperare & præcipere, ut quilibet animi motus ſive affectus ſeſe intra regionem ſibi à natura datam contineat, neque cancellos lege circumdatos egrediatur. Hujus autem eſt, parere & obedire, & ea omnia quæ

ratio præceperit, summa vi persequi. Quod si jam ambæ partes legitimè consentiant (ut quidem ipsius naturæ ordine ac divinæ majestatis imperio fieri debet) summa hominis dignitas & admiranda honestatis pulchritudo, & incredibilis tum privatæ tum communis vitæ commoditas & tranquillitas extabit atque eminebit. Contrà verò simul atquè animi commotiones, quadam quasi conspiratione inter se initâ, seditionem movebunt, & ipsam rationem omni ope amotis machinis oppugnare, atque de omni statu deturbare incipient: summa statim omnium rerum confusio & perturbatio consequatur, necesse est. Namflagitiosæ cupiditatis immanitas non solum animum cujusq; intestino bello lacerat & conficit; verum etiam excurrit foràs, ut vel infinitis injuriis generis humani societatem violet, vel oculos hominum deformitate turpitudinis offendat, & odia maxima contra se concitet atque inflammet. Hinc igitur turbulenta dissidia, hinc cædes, & insidiæ, hinc hominum strages, Rerumpublicarum eversiones, diraq; rerum humanarum exitia nascuntur. Nullum enim tantum bellorum est incendium, quod non vel ambitio, vel avaritia, vel libido, vel iracundia, cum magna hominum pernicie plerumque excitare soleat. At dixerit fortasse quispiam: Stoicos idcircò rectè docuisse, qui omnes affectus vitiosos è natura hominum penitus evellendos esse statuerũt. Minimè verò, animi namque motus (ut à sapientissimis existimatum est) utiliter nobis sunt insiti, ut videlicet cupiditatum stimulis incitati, salutaria appeteremus, & consectaremur: Iracundiæ verò ardore noxia & incommoda averteremus ac propulsaremus. Deinde fieri nequit, ut affectiones ex hominum animis extirpentur. Nam quod à natura nobis insitum, atque ingeneratum est, id corrigi quidem, & emendari potest; at radicitus evelli non potest. Ut enim nulla ratione cavere possum, quo minus avicula supra caput meum volitent; sed ne in capillis nidulentur, id cavere possum & debeo: Ita natura nostra non fert, ut planè non irascamur, nullaq; cupiditate tangamur; Sed ne per iram, aut cupiditatem in aliquam turpitudinem prolabamur, id providere, atque præcavere & possumus, & debemus. Adhæc ne optabile quidem fuerit vel expetendum, nullas in nobis inesse cupiditates. Omnis namque virtus frigida nimis & languida est, nisi affectuum stimulis excitetur. Quia enim omne officiorum genus, ab animo conformatur, nihil poterit fieri acriter, & animosè ab eo, cujus animus non aliquo ardore fuerit incensus & inflammatus. Ex his igitur omnibus perspicuum est, clarissimeq; constat, affectus seu cupiditates

piditates non quidem funditus è natura hominum tollendas, ut Stoici senserunt, sed rectâ ratione atq; consilio frenandas & moderandas esse. D I X I.

ORATIO QUARTÆ CLASSIS, RECITATA à JOHANNE-CHRISTOPHORO Busenreuth, Aldorphiano.



IN congiario nostro Auditores humanissimi, effictam impressaq; accipitris rectâ lineâ sursum evolantis imago cernitur. Estq; ei adjunctum hoc Emblema: TRAMITE RECTO. *Quod ut planè pleneq; intelligatur, sciendum est, eos qui animantium naturas pervestigarunt, in accipitre acerrimum oculorum sensum, & summam alarum pernicitatem, & rectum minimeq; flexuosum volatum notasse. Quas ob causas Ægyptii cùm multas res alias, tum inprimis hominem religiosum, & sapientiæ studiis deditum, illius imagine pingendum existimarunt. Et rectè quidem ac perquàm ingeniosè. Quemadmodum enim accipiter rectis pennis, & contento celeriq; volatu tàm sublimè fertur, ut etiam nubes superet, ac splendidissimum Solis jubar fixis oculis intueatur: Sic animus humanus religionis, & sapientiæ studio inflammatus, sese à corporis contagione quoad licet sejungere & interitum cupiditatibus afferre debet, ut rerum divinarum, atque æternarum contemplationi vacare, omniq; perturbatione solutus cœlestem in his terris vitam imitari possit. Quò & divinus philosophus Plato respexisse videtur, qui hominis animo geminas alas affinxit, hoc est, vim duplicem: unam ad verum inquirendum & cognoscendum: alteram ad bonum appetendum, & adipiscendum*

attribuit. Et in Phædone omnem sapientiæ parandæ vim, & rationem in assidua mortis meditatione ponit: docetq; fieri non posse, ut quisquam sapientiam consequatur, nisi priùs mentem à corpore segregarit, & quasi necem corporis sensibus intulerit, ut nihil obstet, quo minùs animus è corpore tanquam vinculis exsolutus, vera & sempiterna, sine ullo impedimento perspicere & contemplari queat.

Quapropter commilitones suavissimi, pulcherrimum accipitris simulacrum assiduè ob oculos ponere, atque in id omni curâ & cogitatione incumbere debemus, ut à pravis cupiditatibus, omniq; turpitudine abducti, in cœlum evolemus, hoc est, ad veram religionem & cœlestem sapientiam contento cursu ardentiq; studio feramur. Atque inprimis Deum æternum, infinitum, optimum, & quem ille misit CHRISTUM JESUM *cognoscamus ejusq; sanctissimum numen integrâ purâq; mente veneremur: omniaq; nostra studia, & labores ad illius gloriam, & humanæ societatis salutem dirigamus: doneo tandem summi æterniq; Parentis beneficio in eum statum, unde nostrâ culpâ excidimus, cum amplificata dignitate restituamur: atque iis locupletemur opibus, quæ neq; insidiis eripi, neq; externâ vi comminui, neque senio & vetustate corrumpi, neque ulla deniq; calamitate perverti possunt.* DIXI.

PANE-

XX. PANEGYRIS, Anni 1596.

SUB RECTORATU D.D. PHILIPPI SCHERBII, MEDICI.

ORATIO PRIMÆ CLASSIS, RECITATA à MICHAELE SCHMID, Noriberg.

QVænam præmia obedientiæ, & quæ pœnæ contumaciæ sint constitutæ, Auditores humanissimi, docet effigies nostri numismatis; in qua duo equi, columnis alligati cernuntur, quorum alter ferox, & indomitus, abruptis vinculis, effrenatè fertur, & cæco impetu, ac furore præceps in foveam incidit sibiq; ipse exitium, atque interitum accersit. Alter tractabilis est, freniq; patiens, ideoq; salvus & incolumis servatur. Estq; additum hocce Emblema: DISCIPLINA SALUBRIS. *Illorum autem imagine, nobis ob oculos constituuntur duo adolescentes, quorum alter honestam disciplinam amat, & amplectitur: alter eam contumaciter respuit, & aversatur. Disciplinæ amantem appello eum, qui suam imperitiam & imbecillitatem agnoscens, sibiq; ipse diffidens, parentum ac præceptorum*

ptorum autoritate, judicioq; nititur, eiq; totum sese instituendum, erudiendumq; tradit, eos colit & observat: salutaribus eorum monitis obtemperat, & necessarias objurgationes & castigationes æquo animo accipit: atque adeò omnem vitæ studiorumq; suorum cursum, ad illorum consilium & arbitrium dirigit, & accommodat. Contumacem verò & disciplinæ inimicum nomino, qui ingenij sui confidentia, & arrogantia nixus, ducemq; libidinem, non rationem secutus, parentibus ac præceptoribus obedire recusat: immò verò eos deridet, contemnit, atque etiam ob fortuitum aliquod verbum, aut acriorem aliquam admonitionem, summo odio prosequitur, & pro amore inimicitias, pro salutari doctrina, contumelias & obtrectationes: pro fide perfidiam & insidias, & denique pro beneficio maleficium, impiè ac flagitiosè reponit. Atque ita quidem uterque adolescens domi est affectus & constitutus. Attendite porrò Auditores, quemnam vitæ actionumq; suarum cursum quisque foris tenere, & qualis tandem eventus utrumq; excipere soleat. Ambo mittuntur in Academias: sed alter pietatem colit, & artibus atque scientiis animum excolit, atque exornat; sumtus ac tempus benè collocat; castè, continenter sobrieq; vivit; cum bonis & eruditis viris amicitias jungit, eorumq; consuetudine & colloquijs ingenium suum acuit, errores corrigit, mores conformat, & doctrinam mirum in modum auget: Tandem verò, omni difficultate, & labore levatus, omniq; liberali doctrina & morum elegantia perpolitus, domum revertitur; summa cum civium gratulatione, & singulari parentum ac propinquorum lætitia excipitur; ab omnibus gratus charusq; habetur, tempestivo, & honesto matrimonio locupletatur; ad publica civitatis munera obeunda expetitur; prudentiæ & æquitatis laude celebratur; atque adeò firmo bonæ conscientiæ & præclaræ famæ præsidio munitus, vitam degit felicissimam; & denique posteris perennem nominis sui memoriam: patriæ verò exemplum virtutis colendæ & exercendæ laudatissimum relinquit. Alter autem impietatis scelere adstrictus, omnem religionem, omniaq; sacra negligit: virtutis & doctrinarum studia spernit, & pro nihilo putat: honestos viros homines q; literatos odit, & fugit: sui similes impuros heluones, lusores, amatores, grassatores quærit, hisq; omnes vitæ suæ rationes cõmittit, cum his florentem suam ætatem nequiter consumit, patrimonium turpiter profundit: & ocio, nugis, luxui ac libidini deditus, in diem ita vivit, ut penè se hominem esse obliviscatur: nec denique tàm miserum turpitudinis jugum excutere potest, usque

dum in-

dum in summas difficultates & miserias conjectus, ut Phædria Terentianus, prudens sciens, vivus videnscq; pereat. Ad extremum vero, pecuniâ dissipatâ, occasione discendi amissâ, animo vitiis & erroribus depravato, corporis valetudine afflictâ, pudoris omniscq; honestatis jacturâ factâ, perditus iste nepos ad suos redit, estq; parentibus dolori, familiæ dedecori, alienis ludibrio, atque despectui. Nullus patet ei ad præstantium virorum amicitias aditus, nullus ad honores accessus, nulla denique ad optatas, ac fortunatas nuptias via, & opportunitas. Ex quo consequitur, ut vitam miserrimam & cum perpetuo dedecore & angore animi conjunctam agere cogatur.

O fortunatos igitur atque felices vos adolescentes, qui parentum ac præceptorum monitis, atque præceptis, tanquam vinculis vos alligandos, & salutaris disciplinæ freno tàm diu regendos & instituendos præbetis, dum aliquando mores & vitam vestram ipsi prudenter & laudabiliter regere atque moderari possitis? O perditos verò & miseros, qui convulsis disciplinæ & omnis officij repagulis, solutè & effrenatè vivitis, omnemq; institutionem & imperium contumaciter & superbè contemnitis ac repudiatis. DIXI.

ORATIO SECUNDÆ CLASSIS, RECITATA à NICOLAO VOGT, Uratislaviensi Silesio.

PUdet me Rector Magnifice, in tot præstantissimorum virorum conspectu, consessuq; verba facere, neque tamen à me ipso impetrare possum, ut

onus,

onus, quod mihi impoſuiſti, à me deprecer atque recuſem. Etſi enim & loci hujus amplitudo, & ætatis meæ ingenijq; imbecillitas, & rei propoſitæ difficultas, magnum mihi reprehenſionis metum incutiant: majorem tamen autoritatis tuæ, quàm exiſtimationis meæ rationem habendam eſſe exiſtimo. Interim igitur, dum munere ſuſcepto fungor, à vobis, Auditores peto, contendoque, ut, quæ veſtra eſt humanitas, benevolè attenteq; me audiatis. Mihi viciſſim erit curæ, ne plus moleſtiæ quàm jucunditatis oratiuncula mea vobis attuliſſe videatur. Atq; ut hinc exordiar: In numiſmate noſtro effictæ, atq; expreſſæ ſunt Sirenes, inter cadavera & oſſa humana conſidentes: itemq; adoleſcens, qui è longinquo eas conſpicatus, pedetentim accedit: ſed oſſium conſpectu metuq; perterritus, ſubitò in fugam ſe conijcit, relicto hoc Emblemate: AT ME VESTIGIA TERRENT. *Sirenes autem (ut quidam ſcriptores literis prodiderunt) reginæ fuerunt inſularum Italiæ, quæ in ſinu Cumano ſitæ, & autoribus Ptolemæo & Strabone, Sirenuſæ: itemq; ab alijs Sirenum ſaxa & ſcopuli nominantur. In his fuit promontorium Minervæ, celebratum inprimis ob literarum ſtudia, quæ ibi primùm excitari, atque coli cæperunt. Nam in eo extructum fuit Athenæum ſive Gymnaſium, Minervæ, ſapientiæ artiumq; præſidi conſecratum, in quo eloquentia, cæteræq; diſciplinæ tanta famæ celebritate floruerunt, ut inde fabula illa de Sirenum cantu extiterit. Atque hujus quidem rei teſtis eſt Homerus, qui quæ Muſis alioquin tribui ſolent, Sirenibus adſcribere videtur. Nam libro Odyſſeæ XII. eas ad hunc ferè modum de ſe ipſis gloriosè loquentes, atque Ulyſſem ad ſeſe invitantes introducit: Huc huc contende, Ulyſſes laudatiſſime, tuamq; navem ſiſte, ut noſtram vocem audias. Nemo enim unquam prætervectus eſt, qui non priùs cantus noſtri, hoc eſt, eloquentiæ ac multiplicis doctrinæ ſuavitatem audiverit: quique non voluptate plenior, & eruditior à nobis diſceſſerit. Nihil enim in orbe terrarum geritur aut geſtum eſt, nihil à doctis tàm eſt reconditum, aut à natura abditum, aut alicubi tàm abſtruſum & neglectum jacet, quod nobis non ſit cognitum, & exploratum, quodq; tecum non liberaliter communicare velimus. Atque hoc primùm fuit Athenæi illius inſtitutum, hæc cantilenæ Sirenum ſuavitas, hoc eſt, liberalis ad optimas quasq; diſciplinas & ſcientias perdiſcendas invitatio. Verùm poſteaquàm poſteritas tanto bono (ut fit) ad iners & ignavum otium, ad luxum & libidines abuti cæpit, & adoleſcentes neglectis Muſis commeſſationes, & ſcorta conſectati ſunt, & denique*

turpiſſi-

turpissimum valetudinis & patrimonij naufragium fecerunt, Gymnasium illud ab exteris malè audire cœpit: indeq; fabella divulgata est de Sirenibus in monstra, supernè virginis, infernè volucris seu (ut alij volunt) piscis formam habentia commutatis: quæ prætereuntes vocum dulcedine ad se allicere, somnoq; consopitos dilaniare, ac devorare soleant.

Quo figmento antiquitas nil aliud, quàm turpium voluptatum, inprimis venereorum illecebras, ac pestes significare, & cùm omnem ætatem, tum maximè adolescentiam de ijs cavendis, fugiendisq; admonere voluit. Quid enim tetra fœdaq; libidine nocentius ac perniciosius cogitari potest? Hæc, hæc enim, corpori labem, atque perniciem infert: hæc si quid virium & roboris homini inest, (quod certè maximum adolescentibus inprimis inesse solet) si quid igitur inest, id omne conficit atque consumit. Hæc namque & vires enervat, & sensus debilitat, & cerebrum labefactat, & fœdos morbos, acerbos dolores, multiplices molestias parit. Et tamen hanc multi cupidè quærunt, & affectantur. affectantur verò? imò in eam sese penitus immergunt: cum non modo corpori, sed etiam animo; nec animo tantùm, sed etiam famæ & existimationi noceat. Quid enim mentem, quæ in homine principatum tenet, oppugnat & opprimit? Libido. Quid virtutis & sapientiæ studium extinguit? Libido. Quid pudorem exterminat? Libido. Quid dedecus, & infamiam affert? Libido. Multum est turpitudinis in libidine; calamitatis quoque in libidine multum, adeò, ut qui libidinem expetit, exitium & pestem expetere: vel potius qui exitium & pestem expetit, is libidinem expetere videatur. Nam hæc ambo tàm arctè inter se nexa cohærent, ut nunquam divelli atque distrahi possint, id quod perelegans Platonis in Phædone apologus de mutua doloris, ac voluptatis connexione testatur. Socrates enim cùm aliquando è compedibus, crura sua exemisset, eaq; ex re incredibilem voluptatem caperet, dixisse fertur: Quod si Æsopo aliquando in mentem venisset, quam propè molestiam atque dolorem comitaretur voluptas, hujusce modi fabulam comminisci potuisset: Deos aliquando multum elaborasse, ut dolorem ac voluptatem, hostes acerrimos inter se conciliarent, atque conjungerent: sed eam fuisse utriusq; pervicaciã, ut id nullo modo, nullaq; industria consequi potuerint, ideoq; eos excogitasse, ac decrevisse, quoniam natura rerum illos unâ esse non pateretur, ut mutuis saltẽ finibus & nexis quasi vestigiis ita convenirent, ut unius finis, alterius gradus efficeretur. Itaque nihil mirum, si abeunte volu-

ptate repentè subeat dolor: & vicissim labore abscedente, è vestigio succedat voluptas. An non igitur insanire meritò dicuntur, qui blanda tantum voluptatum initia, nec asperos etiam earum exitus considerant? & ob exigui temporis brevem delectationculam, tot tantaq; mala, quæ evitare licebat, ultrò accersunt atque attrahunt? Nam si furiosi rectè existimantur, qui corpora morsibus suis lacerant, aut ferro vulnerant; quomodo sanos censebimus eos, qui (quod multo gravius est) animis, incitante libidine, mortiferũ vulnus infligunt? O dementes igitur ac miseros, qui gulæ & inguinis voluptatibus constricti tenentur? O sapientes, atque felices, qui compressa domitaq; corporis libidine omne suum studium ad animum transferunt: & veras illas voluptates, quas virtus & doctrina procreat, sequuntur? Quantum enim animus ad similitudinem divinitatis efficius, præstat corpori: tantùm voluptas, quæ ex virtute & scientia promanans animo percipitur, vincit illam, quæ corporis sensu & agitatione continetur. Illa enim pernicioso opinionis errore appetitur: hæc sano mentis judicio exquiritur. Ad illam turbulento motu ac quodammodo inviti rapimur: ad hanc libera voluntate studioq; ducimur. Illa, cùm maximè blanditur, evanescit: hæc animum nunquam illudit aut fallit. Illa semper fastidio adhærescit: Hæc satietate animum nunquam explet. Illa denique sempiternas infamiæ notas, cum acerrimo conscientiæ morsu conjunctas, relinquit: Hæc decus & laudem perpetuò conservat, & perennem tranquillitatem, ac jucunditatem animo conciliat. Illa igitur falsa, fluxa & turpis atque pernicioſa est: Hæc vera & constans, omniq; salutis & dignitatis præsidio firmata & communita.

Quapropter Adolescentes jucundissimi, si honestum atque jucundum vitæ cursum tenere: si miserias & calamitates devitare; si bonam conscientiam, bonamq; famam tueri ac retinere: si placidâ aliquando leniq; senectute frui: si denique hujus vitæ munere benè beateq; perfungi cupitis: (omnes autem cupere debetis) ætatis vestræ florem non Baccho, & Veneri, sed Minervæ & Musis consecrate: cupiditates vestras rationis imperio coërcete: gulam, ebrietatem, & inprimis Sirenes, hoc est, lascivas puellas, & impudicas mulierculas refugite: obscœna colloquia & congressus declinate: atque, ut Ulysses navis malo sese alligasse, & ejus socij aures suas obstruxisse dicuntur, ne blandis & insidiosis Sirenum cantilenis in naufragium illicerentur: ita vos quoq; animos vestros sapientiæ & virtutis præceptis alligate: aures atque oculos ve-

stros co-

feros cohibete, eúmq; omnes ad libidinem vias intercludite: honestis occupationibus, & laboribus vos exercete: atque inprimis ad pietatis & optimarum doctrinarum studia omni cogitatione curaq; incumbite: & denique ita vivite, ut vitæ rationem Deo simul, & hominibus aliquando reddere possitis.

DIXI.

ORATIO TERTIÆ CLASSIS, RECITATA à VITO HECTORE, à Streitberg.

IN congiario nostro, Nobilissimi & humanissimi Auditores, duo præcipuè efficta cernimus, quorum alterum navigij est species, in alto mari inter medios undarum motus, interq; immanium scopulorum infestis passim cacuminibus eminentium, pericula fluctuantis. Alterum verò delphinus est, navem ipsam, ducis in modum prænatans, & commiseratione quasi imminentis hominibus periculi adductus, viam illis è scopulis evadendi, ductu suo demonstrans: hac inscriptione addita: TUTIUS AD PORTUM. *Cujus Emblematis interpretatio, quamvis eam ingenij & doctrinæ requirat copiam, à qua me longissimè abesse vel primus aspectus mei cuilibet indicio esse possit: Tamen impositam mihi abs te M.D. Rector explicationis hujus provinciam, timidè quidem, sed libenti tamen animo suscipiam, & qualecunque hoc meum parendi auctoritati tuæ studium, apud lectissimam hanc auditorum coronam me excusaturum esse, de humanitate & benevolentia illorum mihi pollicebor.*

Mare igitur hoc, ut ordine de singulis agam, ob terribilem fluctuum jactationem, metus & horroris plenum, mundi hujus, & ejus inprimis in quam nostra vita incidit, ætatis similitudinem gerit, quam similitudinem facilè deprehensurus est is, qui ad præsentem rerum humanarum statum oculos vel paululum reflexerit, quas non modò publicarum calamitatum ceu turbine quodam violento agitari, verum etiam impietatis & injustitiæ procellis adeò horrendum in modum exæstuare animadvertet: ut quamlibet vel sævissimam concitati maris tempestatem, præ hac, de quâ loquor, impietatis & injustitiæ tempestate merum ludum & jocum dicturus sit: maximè si illam quidem angustis tantum unius alicujus loci contineri terminis: hujus verò fluctibus, omnes (proh dolor) totius orbis angulos inundari: Itemq; illam paucorum tantùm bonis & facultatibus, aut ad summum corporibus, vitæq; huic terrenæ interitum minari: hæc verò animas hominum in sempiterni exitij voraginem absorberi cogitaverit.

Navis verò ibidem expressa species, vitæ humanæ conditionem & statum nobis ob oculos ponit: quæ vita non modo inter vastissimos fluctus, interq; horribilia omnis generis calamitatum fulmina, & tonitrua: sed etiam inter periculosissimos vitiorum scopulos, & in extremâ, ac deploranda prorsus vitæ, & morum corruptione, ac depravatione cursum tenere cogitur. In quo cursu, heu, quàm sæpe optimum quemq; sublatis ad sidera palmis, exclamare audias: O terq; quaterq; beati, quis ante hasce vices rerum, atque hac tempora dura, contigit oppetere.

Iste verò cursus, atque hæc navigatio cùm omni ætati periculosissima est, tum inprimis pueritiæ, atque adolescentiæ tantò periculosior esse solet, quantò minùs illa ob ætatis, & judicij imbecillitatem scopulos istos pervidere, hoc est, vitia, virtutis plerunque specie facum hominibus facientia agnoscere; vel si agnoverit etiam, voluptatum tamen, quas illa pollicentur, illecebris inescata, resistere illis non potest. Unde simplicis & improvidæ ætatis partem multo maximam, infelicibus vitiorum laqueis, priusquam cavere eos possit, irretitam, in certissimum animi & corporis exitium præcipitem ruere quotidie non sine gemitu ac dolore aspicias. Nam quantò expeditior ad omnem prosperitatem via in virtute continetur: tantò certior etiam à vitio & improbitate in miseriam & exitium ruina est. Ac ut navis alicujus concitatissimo fortè cursu in scopulum aliquem incurrentis, jam desperata salus est: ita certè adole-

scentis

scentis quoque salus, si is, vel uni vitiorum illorum sese mancipaverit, in quæ hæc potissimum propendere ætas solet, vel omninò desperata, vel certè tam præcipiti in loco constituta est, ut si ex illis expedire illum vinculis, & ad frugem revocare meliorem coneris, exitium illi sæpenumerò facilius acceleres, quàm feliciter & ex voto cogitata perficias. Unus Dionis Syracusani filius, miserando interitu suo, hæc quæ à me dicuntur verissima esse facilè comprobaverit. Illum cum pater (ut Cornelius Nepos auctor est) ab avunculo Dionysio Siciliæ tyranno, per summam omnis generis intemperantiæ & libidinis indulgentiam educatum, turpissimisq; cupiditatibus imbutum pristino victu deducere conaretur: eò usque commutatum prioris vitæ statum ferre filius non potuit, ut è superiore ædium parte præcipitem sese dare, quàm in virtutis & modestiæ viam redire maluerit. Maximus illorum numerus est, qui ad hosce vitiorum scopulos illisi, salutis suæ naufragium faciunt: multò tamen major futurus, nisi præclarum & singulare contra pestem illam remedium divina comparasset benignitas: Id quod in fideli & diligenti præceptorum educatione & institutione situm est. Qui quidem in obeundo munere & officio suo, aliud nihil, quàm delphini hujus in numismate nostro expressi partes agunt. Nam quemadmodum delphinus, si historicorum monumentis credimus, pro celebratissimo suo in homines amore, nautis in mari periclitantibus apparere, viamq; per quam si navem deducant, scopulos sine noxa prætervehantur, demonstrare solet: Ita bonus & fidelis doctor, non tantum rectam virtutis & officij semitam gregi suo demonstrat, & Ulyssis exemplo, salutarium doctrinarum quasi cera, adversus Sirenum cantus aures illius obstruens, contra pernicioſas voluptatum illecebras animos eorum munit: sed hoc amplius etiam, admonendo, urgendo, excitando, nonnunquam etiam objurgando & increpando, viam illam capessere eos cogit: optimus quisq; etiam illorum doctrinæ & præceptorum suorum in seipso documenta dat: & veluti quendam Polycleti canonem seipsum proponens, viam, cujus ipse alijs ingrediendi auctor est, primus ingreditur. Hoc inquam præsentissimum illud est adversus vitiorum pestem remedium: quo qui usus fuerit, is contra venenum illorum optimè se munitum intelliget. Nam quamvis apud plurimos, in media optimorum magistrorum copia, vitam nihilominus corruptissimam viventes, remedium hoc minus videatur efficax: non in ipso tamen, sed in perversa hominum voluntate hanc hærere

culpam, sciendum est, qui vel vti eo recusant, vel saltem veniã illud concipi non patiuntur. Quos è vitiorum morbis explicare se non posse nihil mirum est, cum nec medicamentum quidem ullum quantumvis pretiosum & salubre, nisi intra corpus assumtum, & in venas diffusum, vim suam in sanitate reducenda, ullo pacto exercere possit.

Connitendum igitur etiam nobis est, & non solùm cupidæ præceptoribus aures accommodandæ, sed vitâ etiam & moribus, ea quæ traduntur, effingenda & exprimenda: Summa, nostro labore, conatu & diligentiâ, horum medicorum fidelium, adjuvandus labor. Vt enim naviculatores ita demum è scopulis navem educunt, eamq; unà secum incolumem conservant: si monstratam ipsis à delphino viam persequantur: non verò si eum à longè tantùm spectantes, quò ipsorum eos impellit libido, vela faciant: Ita etiam non qui otiosis tantum auribus saluberrima præceptorum monita excipiunt: sed qui ex inanis speculationis umbra in actum ea educere, inq; vita & moribus ex præscripto illorum instituendis experiri annituntur, ij demũ & à vitiorum contagio servari, & verò solidam atque constantem virtutis acquirere possessionem solent. DIXI.

ORATIO QUARTÆ CLASSIS, RECITATA à JOACHIMO STRASBURGERO, Lipsensi.

IN numismate nostro, ex Amplissimi ordinis liberalitate & munificentiâ nobis tributo, Nobilissimi & præstantissimi Auditores, vinitoris sive agricolæ ima-

le imaginem expressam cernimus, vitis folia majuscula revellendo, superfluam illius luxuriem depascentis: non solùm ut radijs solaribus, nimia pampinorum antea multitudine exclusis, ad viticulam ipsam fovendam, animandosq; teneros uvarum illius fœtus, concedatur aditus: sed etiam ut succulentus viticulæ ipsius vigor, per folia & sarmenta inaniter dispersus, resectis ijs contineatur, & in fructum ipsum sese penetrando, cùm maturitatem illius adjuvet, tum etiam numerum atque bonitatem reddat auctiorem: Hac adjecta inscriptione. OBSTACULA CEDANT. *Quod Emblema quamvis non unam recipere explicationem videatur, ego tamen alijs meæ tum ætatis, tum ingenij vires haud parum superantibus prætermissis, unam duntaxat & instituto præsenti, & personæ etiam meæ magis convenientem afferre conabor.*

Primùm ergò vinitoris nostri imago, fidelis & diligentis præceptoris personam nobis repræsentat: vitis verò, juventutis præceptorum informationi cõmissæ picturam continet, cui & ipsi sua quædã haud sanè mediocris inest luxuries: quæ ut in arbore aut vite, in stolonum & foliorum se effundit multitudinem: ita in juventute per varij generis ineptias, maximè verò turpium, aut saltem inanium voluptatum cupiditates erumpit: quæ cupiditates non solùm, quidquid melioris forte indolis ad producendos virtutum fructus ætati illi ingeneratum est, id totum in omnis generis vitiorum alimentum & pabulum convertunt: sed etiam doctrinæ & præceptorum salutarium quasi radijs omnem ad animum penetrandi, illumq; ad edendos virtutis normæ congruentes fructus fœcundandi aditum & facultatem intercludunt. Ut enim vepres atque urticæ, omnem agri, quem occuparunt, bonitatem atque pinguedinem utilioribus herbis, & gramineæ sementi interceptam exsugunt ipsæ, ingq; sui augmentum & incrementum convertunt: unde purgamenta meræ pro frugibus agrum illum producere necesse est: Ita profectò voluptatum illicitarum amor & studium, insita à natura teneris adolescentum animis virtutum atque indolis præclaræ semina, veluti umbra sua premere & suffocare solet, & in omne vitiorum & flagitiorum genus degenerare cogit. Quibus quidem, si in veros virtutum fructus adolescendi suppeditari facultas debet, manibus ac pedibus illud agendum erit, quod rusticus hic noster exemplo nobis suo demonstrat. Amputandæ inquam juvenilium ineptiarum & petulantiarum quisquiliæ: refrenandæq; admonitionum & præceptorum salutarium habenis immoderatæ voluptatum cupiditates, omnesq; ad earum illecebras

obstruendæ

obstruendæ viæ: præcidendæ disturbandæq; occasiones: contemnendæ existentes inde in puerorum animis offensiones & querelæ. Hæc inquam, vera est hujus, ut ita dicam, ægri purgandi, & lætissimæ virtutum messis obstacula removendi ratio: non solùm communibus omnium sapientum vocibus, & suffragiis approbata: sed etiam rectæ rationis ipsius lumine demonstrata, utilitatem potius eorum, quos instituendos susceperis, quàm voluntatem æstimare jubentis. Nam ut ægrotum nunquam sanaturus est medicus si morositatis fortè aut offensionis illius metu, amariora illi aliquando miscere pharmaca noluerit: contrà verò, quicquid flagrantis animi illius concupiverit ardor, illi indulserit: Ita certè stultitiæ morbum, qui secundùm divinæ sapientiæ vocem, puerorum animos occupatos tenet, non modò nunquam curaturus: sed omnes etiam tàm corporis quàm animi illorum nervos fracturus est, qui potiorem declinandi præsentis discipulorum odij, quàm solidæ & constantis eorundem olim comparandæ benevolentiæ, rationem ducens, ad quamlibet illorum libidinem connixerit, teneroq; illorum animos vitiorum atque voluptatum veluti sentibus, adeò fœdè occupari siverit, ut salutaribus doctrinæ atque institutionis seminibus, nullus vel in ijs radices agendi, ne dum in molestiæ & liberalis eruditionis fructus excrescendi, locus relictus sit. Quibus quidem jure & meritò ea tandem contingere solet merces, ut ex levissima hac gratiæ pueriles aura, in gravissimas postea, cùm ipsorum illorum, tum omnium bonorum odij & indignationis tempestates incidant. Cùm è diverso puerilium animorum temerè & inconsultè susceptæ odia, in favorem & benevolentiam summam commutatam experiantur illi, qui perniciosis illorum desiderijs, sapienter obviam eundo, disciplinæ suæ habenas plusculum aliquantò intenderint.

Quapropter charissimi commilitones (ad vos enim finem jam spectans se convertit oratio) cùm charissimos præceptores nostros in eam unicè curam incumbere, res ipsa fateri nos cogat, ut doctrinæ & morum honestorum lautissima quasi patrimonia nobis relinquant, divina pariter & humana vicissim à nobis exigit ratio, ut indefessum illorum, in nobis erudiendis & ad veram omnis generis virtutum frugem perducendis studium & curam non modò agnoscamus: sed nostro quoque illis parendi, doctrinæq; illorum lucem obvijs ulnis excipiendi studio subsequamur: Quo facto ut non ipsi tantùm perpetuò gavisuri, sed etiam gaudij hujus socios Deum & homines habituri sumus. Ita

etiam

etiam è contrario, qui hoc neglexerint, & infami olim & tristi ruditatis & vitiorum squalore infelicem ætatem acturi, & debitas contumaciæ & perversitatis suæ pœnas daturi sunt. DIXI.

GRATIARUM ACTIO, RECITATA à NICOLAO HIERONYMO BAUMGARTNER, *Patric. Noribergensi.*

MEne jubes? ô Aoniæ clarissime pubis
Rector, & infirmas premis alto pondere vires?
Scilicet elinguem puerum tàm clara corona
Ferre potest: ludúmne facis, cui dona dedisti?
Non ita de tanto liceat sperare parente.
Ardua jussisti; nec cuiquam mollia: sed cùm
Sit mandare tuum, parendi gloria nostra est.

DEO. O qui lactentes solitus non spernere linguas,
Spemque bonis superas, præcurris vota juvando,
Magne pater rerum, ingenii sator unicè nostri,
Te veneror, quæsoque, ut nostris otia semper
Talia suppeditent studiis: fera bella facessant,
Barbariesque procul, sobolesque impura Getarum
Caucaseos repetat turpi formidine portas,
Strataque Danubium numerosa cæde coloret.
Vincat iò, vivatque pius, regnetque Rudolphus,
Priscaque ad Augusti revirescat limina quercus
Servatam ob patriam, te te, DEUS, auxiliante.

SENATUI NORI. In terras cœlo redeo, magnumque Senatum
Appello parvus, submisso poplite civis,
Commendoque suas (quando persolvere grates
Non potis est animus, nostræque infantia linguæ)
Has sedes, hæc Musarum celeberrima templa

O decus Imperii eximium, ſapientia cujus
Omnes per terras præclarâ eſt dedita famâ,
Te colimus, te ſuſpicimus, ſequi murque volentes,
Proque tua facimus ſolemnia vota ſalute.

SCHOLARCHIS. Nec vos communi patiar ſub nomine abire
Magnæ urbis proceres, curatoresque Lycei,
Cùm veſtra exornet noſtram præſentia pompam,
Si noſtra eſt hæc pompa tamen, Veſtri iſta favoris
Munera ſunt, veſtri hi ludi, veſtreque coronæ.
At gratis ſervare animis hæc dona, diemque,
Laus ea noſtra manet, cœptis ſi arriſerit æther,
Ingeniique aderit cum ver optabile noſtri,
Nempe etiam vobis texemus lucida ſerta,
Qualia conſuevêre bonæ contexere Muſæ
Ad juga Parnaſſi, vel doctæ flumina Cirrhes.

HOSPITIBUS. Nec minus ô quorum aſpectu recreamur amico,
Partibus è variis fauſtum quicunque tuliſtis
Hæc in tecta pedem, multum ſalvete, mihique,
Atque meis optate pios æqualibus auctus
In rebus tàm laudatis, morumque decore.

RECTORI. Nunc ad te, tuaque hæc, Rector, benefacta revertor,
Te noſter canet omnis amor, te proſpera fata
Florentem nobisque diu, Phœboque reſervent,
Sæpiùs ut teneas hæc ſceptra virentia lauro
Auſpiciis bis ſalva tuis animoque ſagaci.

PROFESSORIBUS. Quò, me quò feſtùm rapitis, tot clara per orbem
Lumina doctrinæ? quo vos ego carmine dicam?
Tantarum nam me obnubit incognita rerum
Congeries, laudumque ſequacibus obruor undis,
Præcipuè cùm tot juvenes, lectiſſima corda
Hîc adſint, curâ veſtrà, cultuque polita,
A quibus & grates, & carmina digna Marone,
Aut Colophoneo vobis debentur Homero.

STUDIOSIS. His ego & his mecum ſociorum turba meorum

Officia

Officia & ſtudia, & gratum ſacramus amorem:
Quòd nos illuſtri vultu, facieque benignâ
Tantopere cohoneſtarint: curſuſque ſecundos
Muſeo in ſtadio præſcripta ad candida calcis
Exemplo præiêre ſuo, ne inſcitia noſtra
Hæreat ad metas, hoc flexu ætatis, iniquas,

Τῷ θεῷ δόξα.

XXI. PANEGYRIS, ANNI 1597.

RECTORE D.M. JOHANNE PRÆTORIO MATHEMATICO.

ORATIO PRIMÆ CLASSIS, RECITATA A NICOLAO VOGT, Sileſio.

Quod ſi par meæ voluntati ſuppeteret facultas, Auditores humaniſſimi,

alacri certè animo partes dicendi à Magnifico D. Rectore mihi attributas susciperem: neque hujus loci autoritatem, vestramq; præsentiam, & gravissimum conspectum mihi magnoperè metuendum existimarem. At non est planè non est ingenij mei, tantum tamq; difficilè onus atque munus sustinere. Itaque ut vestræ de me opinioni atque expectationi respondere, & dignum aliquid vestris politissimis auribus in medium afferre possim, id vero non mediocriter pertimesco. Verùm tamen haud leviter me reficit & recreat, tum eximia vestra, erga studiosos adolescentes humanitas, hoc in loco sæpe cognita atq; perspecta: tum etiam obedientiæ ratio, cujus tanta vis est, ut neque subterfugere laborem, aut recusare onus, nec quenquam in crimen & invidiam vocari patiatur. Quamobrem spero, atque ut jubet me vester conspectus, etiam confido, me benignè attenteq; à vobis auditum iri.

Dicendum est autem de argenteo numo seu præmio, quo ego meiq; ordinis adolescentes jam donati ac decorati sumus. Atque ut hinc initium ducam: In nu no nostro primum impressa cernitur effigies feri indomitiq; tauri ad caprificum alligati, cujus arboris vi omnem feritatem & immanitatem exuere, & planè mansuetus ac propè immobilis consistere cogatur. Quæ imago ut planius ac plenius cognoscatur & intelligatur, operæ pretium fuerit, caprifici vim & effectum, quatenus ad rem pertinere videbitur, perquirere & investigare.

Cæteris in rebus in quibus Dei omnium rerum creatoris infinita vis & sapientia, & bonitas elucet, nosq; in sui admirationem allicit & invitat, rectè ut opinor, caprificum quoque numerabimus. Quid enim admirabilius, quàm hujus arboris attactu feras atque immanes bestias domari & mitigari posse?

Cujus rei causa etsi perobscura & explicatu perdifficilis sit, & verò ejus investigatio instituto nostro aliena videatur: justa tamen, ut spero, reprehensione carebo, si quas ex alijs ejus rei causas cognoverim, breviter commemorem. Reperiuntur, qui existiment caprifico vim quandam ναρκωτικὴν inesse, quæ tauris torporem sive stuporem inferat, atque adeo omnem ferocitatem cohibeat ac reprimat: similiter atque torpedo limo submersa & occultata pisces suprà natantes efficit torpidos, & Echeneis navem quantumvis magnam, & remis velisq; incitatam sistit & inhibet. Alij verò arboris illius odore perquàm acri & adstringente tauros coërceri & mansuefieri putant. Magna enim

enim & multiplex odorum vis est, quippe qui animantes partim mirificè oblectent & recreent: partim earum vires graviter lædant & labefactent. Vultures unguentorum, scarabeos rosarum odore exanimari ajunt. Lucretius amaracinum suibus acre venenum esse scribit. Epig. p. 251. *Quin etiam sanguinis fluxionem odor efficacior excitat, & sæpè homines ad furorem & insaniam adigit. Itaque absurdum fortasse non fuerit, si taurus quoque caprifici odore mitescere existimetur. Alij denique alijs rationibus latentem in obscuro veritatem quæsiverunt, quam an invenerint, necne, id vero ijs cogitandum ac statuendum relinquo, qui rerum in natura abditarum contemplationi & indagationi vacant. Quorsum autem ejuscemodi tum belua tum arboris imago spectet, id ipsum docet lemma illud nostrum,* PARIUNT ADVERSA SALUTEM.

Quemadmodum enim caprificus tauro indomito omnem ferocitatem & immanitatem detrahit: sic res adversæ homines effrenatos sibiq; præsidentes comprimunt. Nam quos neque ratio, neque leges, nec disciplinæ, nec denique ullum remedium humana ratione excogitatum à flagitijs avocare potest: eos calamitas avocat, atque ad moderationem modestiamq; traducit. Hæc enim de fragili hominum natura defluxa & caduca vitæ hujus conditione, de rerum humanarum varietate & inconstantia nos admonet, nobisq; varios hominum casus, ancipites eventus, diros & miserabiles exitus, ob oculos ponit: atque adeò in eam mentem nos impellit, ut nobis nostrisq; viribus planè diffidamus, ut ne quid temerè & inconsideratè aggrediamur: ne officio nostro neglecto, alienum appetamus: ne cuiquam vim inferamus, aut fraudem machinemur: ne quenquam insolenter spernamus, ac pro nihilo putemus: ne prosperis rebus atque ad nostram voluntatem fluentibus efferamur: ne voluptatibus nos constringendos tradamus: ne falsæ gloriæ umbras consectemur: ne denique humi defixas cogitationes habeamus, & terrestria tantum ac mortalia spectemus: Sed ut animos excelsos & invictos sursum attollamus, omniq; studio enitamur, ut calamitoso hujus vitæ cursu toleranter & moderatè confecto locum in cœlesti domicilio, omnium calamitatum experte inveniamus. Quantum igitur ad salutem cujuslibet valeant, quamq; porrò necessariæ homini sint res adversæ, verbis exprimi commodè non potest. Videmus qui prosperis rerum successibus utuntur, omnibus copijs circumfluunt & abundant, quàm difficulter mentis statum tenere queant, quàm facile ab of-

ficio deſciſcant, & æſtu cupiditatum in perniciem & exitium rapiantur niſi interdum rebus adverſis tanquã freno quodam injecto, contineantur. Quod mihi videtur Philippus Macedo probè intellexiſſe, qui cùm tres optatiſſimos nuncios uno die accepiſſet, ſublatis in cælum manibus, Deos precatus eſt, ut ſe aliquo item malo ſeu incommodo afficerent. Significabat nimirum rex ſapientiſſimus, nihil ad comprimendam inſolentiam, ad refrenandas cupiditates, ad animi labes eluendas, ad omnes denique vitiorum ac turpitudinis fibras exſcindendas tàm neceſſarium eſſe, quàm rebus adverſis exerceri. Quemadmodum enim in mari Perſico arbores naſci dicuntur, quæ ab undis in litore derelictæ, ſterileſcant: fluctibus autem pulſatæ, atque etiam totæ æſtibus marinis opertæ vigeant, fructuſq; ferant: Sic animus humanus ab omnibus curis & moleſtiis vacuus, nullis incommodis vexatus, nullis mãlorum fluctibus jactatus, hebeſcit & langueſcit, & pravas plerumque cupiditates & vitia concipit: rebus autem adverſis exercitatus, multiplices & uberes virtutum fructus ex ſe fundit. Et ut vitis multiplici lapſu & erratico ſerpens, ferro amputatur, ne ſilveſcat ſarmentis, atque in omnes partes nimium fuſa fructibus officiat: ita pravæ opiniones & vitioſæ cupiditates aſperitate fortunæ tanquam cultro circumciduntur & amputantur, ne profuſa vitiorum luxuriem mentem opprimant, omneq; pietatis & honeſtatis ſtudium extinguant. Et quæſo quid errores evellit, omnemq; levitatem & vanitatem tollit? nonne Calamitas? Quid libidines reſecat, & inſolentiam ac ſuperbiam comprimit? Quid temeritatem & audaciam profligat? Calamitas. Quid nefarios conatus frangit? Quid impetus furentes revocat & reflectit? Calamitas. Quid cæteras animi affectiones, ſuis quaſi finibus coërcet & continet? Calamitas. Quid denique animos noſtros beatæ & immortalis vitæ cupiditate incendit? Calamitas. O morum & diſciplinæ magiſtra Calamitas! ô errorum emendatrix, cupiditatum moderatrix, vitiorum expultrix! Per te ad ſapientiæ omniſq; virtutis diſciplinam mirabiliter inſtituimur & erudimur: per te ab omni maleficio temperamus: per te placida & tranquilla mente conſiſtimus: per te denique ad æternitatem & immortalitatem aſpiramus atque contendimus. Prudentes igitur atque felices, qui rebus adverſis ad ſalutem ſempiternam ſe exerceri intelligunt, easq; idcirco placidè & moderatè ferunt: Dementes contrà & miſeros, qui vitam mollem, nullisq; moleſtijs aut miſerijs implicatam, turpem verò & flagitioſam, acerbæ, calamitoſæ, & moderatæ, atq; honeſtæ vitæ anteponunt.

ORATIO SECUNDÆ CLASSIS, RECITATA à GEORGIO FUCHS, à Schvveinhaupten.

DVo sunt, quæ in nostro brabejo potissimum consideranda videantur: Imago seu effigies, & Emblema: De quo utroque dum verba facio, rogo vos, Auditores optimi, ut quam sodali meo tribuistis benevolentiam atque attentionem, eam mihi ne denegetis. Imago autem est Apollinis, auream bullam ad pectus appensam digito commonstrantis. Bulla verò aurea primum fuit ornamentum regum Romanorum, ab Hetruscis acceptum: quod posteà ad pueros nobiles cæterosque, quorum patres equo meruissent, translatum est. Cujus rei autor primus memoratur fuisse Tarquinius Priscus, qui aurea bulla, & purpurea prætexta, filium suum annos quatuordecim natum, qui in bello Sabino primus in hostes impetum fecerat, donavit, ut ait Plinius lib. 33. cap. 1. Cujus exemplum secuti principes Romani, prætexta, bullaq; liberos suos donaverunt, qua ad annum usque decimumquartum uterentur. Erat hæc bulla ferè rotunda, in cordis humani figuram formata. Sic dicta (ut ajunt) à nomine Græco, id est, consilium, quod hæc ætas propter insciti am atque temeritatem alieno consilio maximè indigeat. Cæterum ex collo ad pectus ea dependebat, at pueri ejus aspectu admonerentur & intelligerent, ita demum se homines fore, si (ut Macrobius inquit) corde præstarent. Cor enim non solum vitæ atque affectuum fons est: sed etiam animæ, ratione, consilioq; præditæ domicilium: id quod tum ex

Cor sapit, et Pulmo loquitur, Fel commovet Iram:
Splen ridere facit, flegit amare iecur.

tum ex sacris literis, quibus traditur, homines habere legem in cordibus inscriptam: & de corde exire cogitationes: tum etiam è philosophorum quorundam scriptis cognoscere licet, qui primariam præcipuamq; animæ sedem cor statuunt, eidemq; sapientiam attribuũt. Unde homines vel cordati, id est homines sapientes & prudentes: vel contrà vecordes, & excordes, hoc est insipientes ac dementes nominantur. Et P. Scipio Nasica, quod sapientissimus esset, Corculum fuit appellatus. Verùm longior hac de re sermo, à me (ut spero) non exspectatur. Ad Emblema nostrum quod attinet, duobus hisce verbis id expressum est: PECTORE CONSILIUM.

Quod præclarè admonet, omnes actiones certo consilio moderandas, nec inconsultò ac temerè quidquam suscipiendum & agendum esse. Est namque cordati hominis, omnia quæ sibi suisq; accidere queant, accuratè præmeditari: cum præsertim vita mortalium, totq; periculis & difficultatibus circumsepta, totq; fortunæ & naturæ telis proposita sit, ut sæpè medio in cursu obruatur & opprimatur. Videmus quàm perversè ac præposterè omnia agant, quantam ignominiam subeant, quamq; nefariam pestem sibi & Reipublicæ machinentur, qui sine consilio judicioq; præcipites feruntur. Cum enim rectus virtutum usus, prudentiæ, consilijq; ratione contineatur, necesse est, ut amoto prudentiæ lumine, nec justè ac liberaliter, nec fortiter, nec temperanter quisquam agere possit. Nam quomodo unicuiq; suum tribuet, aut injuriam à se depellet? quomodo pro honestate pugnabit, pericula propulsabit, fortunam adversam infracto animo, secundam moderatè feret? quomodo modestiam, modum & decus tuebitur, turpes voluptates contemnet, honestis modicè fruetur is, qui nec quid, neque qua ratione & modo, neque cur aliquid facturus, dicturúsve sit, intelligit? Adde quod nihil omnino in vita boni esse queat, si prudentiæ, consilijque moderatio sublata fuerit. Etenim, neque vires, neque pulchritudo, neque opes, nec imperium, nec aliud quid ex ijs, quæ vulgò eximia bona habentur, salutem ac decus afferre possunt eis, qui illis temerè & insipienter utuntur. Hinc Cicero, Nihil (inquit) sunt vires sine consilio. Et Sallustius: Non viribus aut velocitate corporum res magnæ geruntur, sed consilio & auctoritate. In Scholis certè & Academijs (ut de cæteris vitæ generibus nunc taceam) quantum consilij gubernatio valeat, quamque ea necessaria sit, neminem nisi rudem ac imperitum esse puto, qui non animadvertat. Magna in plerisq; est vitæ licentia, multiplices sodalitates, multæ de-

pravationis

pravationis occasiones, pessima exempla, infinitæ insidiæ atque illecebræ. Quotus quisque adolescens in illis reperitur, qui inflammato studio ad eruditionem & virtutem incumbat, atque in his duabus rebus omne studium, maximamq; temporis partem consumat? Nonne plerique ignavo otio, nugis, perpotationibus & lusionibus magis, quam literarum studijs sunt dediti? & leves scurras, lascivas puellas, impudicas mulierculas, cæteros q; id genus voluptatum ministros, potius, quàm parentes ac præceptores sectantur? Sed non satis esse putant, si ipsi omni vitiorum labe fœdati sint, nisi alios quoque turpitudinis suæ contagione contaminent. Itaque fit, ut qui domi modestè vixerunt, diligentemque operam literis navarunt, simulac in Academias ventum est, de priore virtutis & industriæ curriculo deflectant, atque in omne vitiorum genus delabantur. Si unquam fuerunt, nunc profectò talia sunt tempora, quibus adolescentia in summo probitatis & salutis discrimine & periculo versatur.

Quapropter ô Adolescentes, auream bullam ob oculos constituite, nostrumq; Emblema animis vestris infigite: atque ad res quasq; agendas consilium & prudentiam adhibete. Inprimis verò circumspicite atque cavete insidiosas improborum tendiculas, omnesq; voluptatum illecebras, ne earum blanditijs illecti, in omne flagitiorum & calamitatum genus præcipites ruatis. D I X I.

ORATIO TERTIÆ CLASSIS, RECITATA à STEPHANO GEYGER, Noribergensi.

ETsi me quoque R.M. tum pudor meus, tum tenuitatis meæ conscientia, ad suscipiendam provinciam istam timidiorem reddit: tamen cùm multò grauius me crimen incursurum videam, si ad declinandas hasce dicendi partes, plus timorem meum, quàm ad easdem obedienter exsequendas, M. T. voluntatem apud me valere patiar: equidem eruditionem & facundiam, quàm modestum magistratui meo obtemperandi studium, in me desiderari malo: & quæ de Emblematis in congiario nostro expressi significatione assequi diuinãdo potui, summa quà potero breuitate explicare conabor. In numismate igitur nostro, Ornatiss. auditores triplex nobis animaliũ repræsentatur genus, Leo, Asellus & Porcus: ipsõ corporũ positu & gestu, summam indolis ingeniiq; inter eos diuersitatem indicantes. Primùm enim asellus, unà cum porco, humi ambo jacentes, & ab omni opere & labore vacui, otij ignauiæq; turpi voluptate saginantur. Leo verò in pedes posteriores erectus, anterioribus verò lanceam, gladiatoris animosi ritu sublatam, vilibus atque inertibus animalibus illis intentans, à turpi veterno isto excitare ea nititur, hoc lemmate apposito.

PUNGIT INERTES.

Quorum omnium significationem si scrutati fuerimus diligentiùs, ignauo & ignobili illo animalium pari, degenerem & inutilem illam discentium turbam, qui honestissimorum discendi laborum pertæsi, infami otij atq; ignauiæ veterno putrescunt, nobis depingi: leonis verò pictura, præceptoris boni & fidelis imaginem nobis repræsentari animadvertemus. Priorum illorum, maximam ubique copiam, & proventum nimis uberem experimur. Ut enim segetem sine lolio & zizanijs vix invenire licet, ita omnibus, ubiq; locorum, discentium cœtibus, suum quoque lolium, & veluti fucos quosdam ignavos perpetuò admixtos esse videas: quos etsi ex reliquo discentium cœtu arcere, aut ejicere in præceptoris manu non sit; in eam tamen curam incumbere illum decet, ut quo modo leonem hunc ergà ignava ista pecora comparare se videmus, ipse quoque in suum illud ignavum pecus sese comparet, hoc est, omne remediorum genus, ad depellendum pernicioſum istum torporis & pigritiæ morbum adhibeat, nec propriæ tantùm industriæ atque alacritatis exemplo discentibus præluceat, sed etiam admonitionum, exhortationum, itemq; increpationum omnes machinas illis admoveat, omne organorum ad scholasticæ disciplinæ regimen pertinentium genus in auxilium advocet. Id enim nisi fecerit, ut miseræ & improvidæ juventutis salutem & frugem contra officium &

cium & fidem proditurus, ita graves olim Deo & hominibus, neglecti officij sui rationes redditurus est: Quanquam, si verum fatendum est, non tàm in præceptoribus, quàm in discipulis culpa isthæc sæpenumerò hærere deprehendatur, qui dulci quidem, at exitiali tamen torporis & desidiæ veneno deliniti, non modò remedijs nullis quicquam loci relinquunt, sed etiam pro maximo salutaris medelæ hujus beneficio, pessimam sæpenumerò gratiam illis relatam cupiunt, & si aliud nequeant, vel parentes suos, aliosq; quos sui amantiores norunt, indignissimo contra præceptores optimè meritos, aut mereri certè cupientes, odio inflammant; non intelligentes interim, quàm præceptoribus machinantur fraudem, in propria ipsorum capita recidere. Dum enim indigna hac, quam præceptoribus referre parãt, gratia, in hac officij parte cunctantiores illos reddunt, ipsimet sibi omnem ad frugem bonam perveniendi viam, malitia hac sua, præcludunt, & insciti æ, morumq; pravorum cœno perpetuo immersi hærent, dedecus & infamiam, & justissimum bonorũ honestorumq; hominum contemptum, ut meritissimam perversitatis & improbitatis suæ mercedem reportantes.

Quod quidem, charissimi commilitones, ne nobis quoque usu veniat, duabus rebus, etiam atque etiam nobis providendum est. Primùm, ut ipsimet otium atque inertiam, quanta possumus contentione fugiamus, & propter aram illius caudam, quæ nihil est aliud quàm certissimum omnium bonarum rerum exitium, fallacissima faciei illius blandimenta, impuram & inanem voluptatem dico, execremur. Contrà verò laborem & industriam, ut virtutis & honestatis omnis nutriculam, identidem amplectamur & exosculemur. Deinde, si nos inter illos forte non esse intelligamus, qui singulari quadam naturæ bonitate, ad laboris & industriæ amorem ipsi excitare sese norunt, in illorum saltem inveniamur numero, qui admonitionum, & castigationum stimulis, à magistris & præceptoribus juventuti admoveri solitis, non recalcitrant, sed æquissimo animo perferunt, illum ægrotantium morem imitantes, qui bonæ valetudinis recuperandæ desiderio, non modo amarissima quæq; deglutire pharmaca non recusant, sed ustiones etiam & sectiones, aliaq; acerbissima medicantium tormenta, forti animo sustinent: hac interim spe certissima nos consolantes, amaritiem illam, quæ laboris & disciplinæ radicibus inesse animadvertitur, incredibili olim dulcissimorum fructuum suavitate, longè supra spem & opinionem nostram compensatum iri. DIXI.

ORATIO QUARTÆ CLASSIS, RECITATA à SIGISMUNDO KOTZEL à Reisental, Bohemo.

QVanquam in negotio hoc, M.D.R. ab auctoritate tua mihi nunc imposito, justissima imbecillitatis excusatione uti posse videar: tamen, cùm me ad parendum in omnibus rebus Magnif. Tuæ quàm devinctissimum agnoscam: non committendum mihi puto, ut demandatam mihi à Magnificentia tua provinciam refugiendo, plus pudori meo indulsisse, quàm auctoritati tuæ paruisse videar: cùm præsertim ea me spes erigat, humanissimos Auditores balbutiem meam favore suo, erga qualecunq; hoc Magistratui meo obtemperandi studium, benignè sublevaturos. Numisma igitur nostrum, Amplissimi Ordinis munificentia nobis tributum, Cedrum arborem nobis ob oculos ponit, duabus tantùm voculis hisce circumscriptam: SEROTINA PRÆSTANT. Breve negotium, & paucarum syllabarum sono confectum, sed profectò rerum ad felicem nostri institutionem maximi momenti significationem sub obscura brevitate ista occultans. Quam ut brevissimè perstringamus potiùs quàm evolvamus, duo nobis ex rerum naturalium scriptoribus Cedri arboris observanda sunt genera. Unum, quod floret quidem, fructum verò adfert nullum: alterum verò, quod flore caret, fructuum verò dulcissimi saporis ubertate & copia defectum illius abundè compensat. Quo duplici tamque diverso arboris istius genere, duplex quoque discipulorum seu adolescentium, non minori indolis atque ingenii diversitate

versitate inter se dissidentium genus designatur. Quorum priore illi continentur, qui simul ac doctrinæ & institutionis quasi auram persentiscunt, è vestigio in florum & foliorum copiam longè maximam effundantur, hoc est, inanissimæ ostentationis & jactantiæ quasi vento intumescunt, doctrinæq; & eruditionis penè singularis opinione dementati, fallaci illius fuco passim apud imperitos sese venditant: & præ se unis (ut veterum quidam loquitur) omnes divinæ & humanæ sapientiæ antistites, gentemq; omnem togatam, totumq; nomen latinum, rudes & agrestes esse, per summam stultitiam opinantur.

Verùm enimvero ut cedrus illa, quæ florum amœnitate & fragrantia mirè initio superbiebat, hominum postea de fructibus suis spem turpiter destituit, ita istud discipulorum genus, postquam in spem maximorum fructuum, tam ad Ecclesiam, quàm ad Rempublicam ex ipsorum olim studijs perventurorum animos hominum arrexerunt, tandem pro amplissimis eruditionis doctrinæq; thesauris, vilissimos opinionis & persuasionis inanis carbones protulerunt. Alterum genus illorum est, qui dum in discendi versantur curriculo, diligentissimam modestiæ & pudoris rationem habent, ac ne vel minimam fastus aut insolentiæ suspicionem de se præbeant, omni ratione cavent minimè solliciti, quo pacto ingenij sui opes studij assiduitate partas, alijs ostentent, sed potiùs quomodo vel citra hominum animadversionem eas adaugeant: & quemadmodum plantas crescere quidem non videmus, sed crevisse, ita isti quoque unum illud operam dare solent, quò eruditionis & doctrinæ opes jam possidere, magis quàm ad possessionem illarum sollicitè admodum aspirare videantur. De hoc ergo, charissimi commilitones (vestri enim compellatione finem orationi meæ imponere placet) de hoc inquam, duplici adolescentum in studiorum liberalium palæstrâ versantium genere, congiarij nostri intuitu admoniti, in eam curam nos incumbere decet, ut à priore illo genere quàm longissimè nos sejungentes, posteriorum istorum similes esse studeamus, hoc est, fastum omnem, & inanem de nobis ipsis persuasionem, omni contentione fugiamus, intra verecundiæ & modestiæ fines, summa cura nos contineamus. Id enim si fecerimus, ut certissimam studiorum pestem, ejusq; individuum comitem justissimum bonorum omnium odium, effugiemus: ita è diverso non modò felicium in studijs progressuum magnum adjumentum & præsidium, sed etiam veri amoris & benevolentiæ hominum conciliatricem nobis comparabimus. DIXI.

XXII. PANEGYRIS, Anni 1598.

SUB RECTORATU D. SCIPIONIS GENTILIS, JC.

ORATIO PRIMÆ CLASSIS, RECITATA PER NICOLAUM-HIERONYMUM BAUMGARTNER, Patricium Noribergensem.

PErelegánter *Lucretius*:

Floriferis ut apes in saltibus omnia libant:
Omnia nos itidem depascimus aurea dicta.

Verum ut apes non tantum summa sedulitate ex lectissimis quibusq; floscu-lis, suavissimos liquores colligunt: sed etiam dulcissimum mel ex eis confici-unt: ita studiosi adolescentes, non præcepta duntaxat optimarum artium, & salutares quasque doctrinas, à præceptoribus traditas percipere, memoriæq; infigere: sed omni quoque studio elaborare debent: ut quæ vel audiendo, vel legendo didicerunt, ea velut in succum & sanguinem convertant, tandemq; ipsi ex

ipsi ex sese aliquid gignant, quo industriam & doctrinam suam eruditis hominibus probare possint. Nam tantum quisque scire putandus est, quantum idonea & luculenta oratione exprimere potest. Præclarus igitur hujus Academiæ mos est, ut inferiorum ordinum (quos Classes appellant) adolescentes ad publicas acroases, aut ad curias superiores non prius admittantur, quàm & studiorum suorum rationem Academicis probatoribus reddant, & oratiunculâ aliqua, quantum quisque in literis profecerit, publicè testentur. Quoniam ergo Magnificus D. Rector primas mihi inter cæteros tribules meos hoc in loco dicendi partes imposuit, autoritati ejus & imperio sine ulla recusatione parendum, & quantùm mea tenuitas feret, satisfaciendum existimo. Primum itaque brabei nostri effigiem indicabo: deinde quid ea faciendum fugiendumq; nobis proponat, perquàm breviter aperiam & explicabo.

In numismate igitur nostro efficta & expressa est imago Herculis, Anteum gigantem in luctatione suffocantis, estq; adscriptum hoc Emblema: TERRENIS VITIA CRESCUNT. *Ad Herculem quod attinet, equidem vix ullam gentem antiquitate, rerumq; gestarum famâ celebrem fuisse puto, quæ non ejus labores & egregia facta celebrârit, & vel historiâ, vel carminibus immortalitati tradiderit: adeò ut antiquitas illa ethnica, Herculem, tanquàm ideam quandam omnium virtutum, tam animi, quàm corporis proposuisse, posterisq; ad imitandum commendasse videatur. Heros enim ille fortissimus, atque inter ætatis suæ duces præstantissimus, cùm secum statuisset, aut cum gloria vivendum, aut cum gloriâ moriendum esse: omnis generis facinora non modò gloriosa, sed etiam valde periculosa terrâ mariq; suscipienda existimavit. Itaque & tetra atque immania monstra, noxiasq; belluas perdomuit, ac de medio sustulit, & latrones ac tyrannos viribus & virtute vicit atque prostravit, & civitates nefarijs hospitum cædibus infames delevit, homines afflictos & injurijs oppressos sublevavit, flagitiorum licentiam coërcuit, virtutis studia excitavit, & denique innumerabiles orbis terrarum nationes à morum feritate & immanitate ad humanitatis cultum traduxit, & regna honestauit, Respublicas constituit, easq; disciplinâ devinxit, & juris æquabilitate ac præsidio firmissimo sepsit & confirmavit. Eamq; ob causam in Deorum numerum relatus, & divinis honoribus affectus, monstrorum domitor & ἀλεξίκακος, id est, malorum depulsor à veteribus appellatus est. Inter cæteros autem, quos Hercules vicit atque subegit, ajunt fuisse Anteum,*

Terræ

Terræ filium, admirandæ proceritatis gigantem, tantaq; diritate & immanitate præditum, ut in quoscunque peregrinos incideret, eos secum luctari cogeret, atque violenta tandem compressione necaret. Is cùm Herculem quoque ad luctationem provocasset, ab eo ter prostratus ac fusus interijsset, nisi quoties terram matrem attigerat, ab ea robustior & animosior exsurrexisset. Quod simul ac Hercules animadvertit, eum à terra sublatum tam arctè compressit, sublimemq; tantisper sustinuit, dum ipsum suffocaret atque perimeret.

Hoc figmento veteres nihil aliud significasse videntur, quàm Herculem animæ, consilio rationeq; præditæ: Antæum verò corporis atque cupiditatum simulachrum esse. Est namque perennis atque perpetua rationis & cupiditatis pugna, atque ut Ovidius de Medea scribit, aliud cupido, mens aliud suadet, video meliora proboque, deteriora sequor. *Ratio enim est lex naturæ, animis incisa, à turpitudine & exitio deterrens, & honesta atque salutaria præscribens: unde omnia officia, laus, decus, honos, gloria promanat. Cupiditas autem est appetitus vehemens, rationis expers, ad flagitium atque perniciē furibundè sollicitans, unde omne scelus, injuria, turpitudo, dedecus, infamia enascuntur. Etsi autem rationi, cui principatus naturâ debetur, hoc munus assignatum est, ut omnes animi commotiones in sua potestate contineat & moderetur, tamen tanta earum vis est, tot illecebræ, ut rationem omnibus dolis ad se pellicere, eamque suo dominatu opprimere contendant. Itaque omni ratione fulciendus est animus, firmisq; præsidijs muniendus, ut in tam ancipiti ac periculosa luctatione victor existat. De qua victoria perelegans ille versus, tumulo Scipionis Africani inscriptus, rectè usurpari potest:*

Maxima cunctarum victoria, victa voluptas.

Nam ut latinæ historiæ princeps decade 3. lib. 10. præclarè inquit: non est, mihi crede, tantum ab hostibus armatis ætati nostræ periculi, quantum à circumfusis undiq; voluptatibus: & qui eas sua temperantiâ frenavit ac domuit, multò majus decus, majoremq; victoriam sibi peperit, quàm nos, hoste victo, habemus.

Quæ cùm ita sint, Adolescentes optatissimi, omni studio nobis annitendum est, ut Herculis exemplo dirum illud & infestum monstrum Antæum vi & virtute comprimamus ac suffocemus, hoc est, insidiosa nefariæ voluptatis blandimenta repellamus, omnesq; cupiditates rationis imperio compressas & domitas habeamus: & denique eam consequamur victoriam, qua nihil vel

ad glo-

ad gloriam & dignitatem aptius, vel ad oblectationem jucundius, vel ad incolumitatem tutius, vel ad perenne decus elegantius fingi & cogitari potest. Sic demum eveniet, ut quod Boëtius de Hercule dixit: Superata tellus sidera donet. DIXI.

ORATIO SECUNDÆ CLASSIS, RECITATA PER CASPARUM MELCHIOREM BELVVITZ à Nostvviz, Bohemum.

IN nostro brabeo, Auditores humanissimi, curule certamen duarum aurigarum nobis ob oculos statuitur: quorum alter alterum, equis incitatis, omniq; festinatione ad metam properantibus, antevertere, palmamq; ei præripere contendit. Qua imagine nihil aliud, quàm honestæ æmulationis studium significari, nobisq; commendari videtur. Est enim æmulatio vehemens quidam motus animi, ad decus & gloriam aspirantis, dum nemo alijs libenter cedit, sed quisq; obnixè dat operam, ut alios virtutis & dignitatis præstantiâ superet; Hæc contentio permagnam in omnibus studijs & actionibus vim habet, præsertim si exardescat inter eos, qui gloriâ & honore maximè ducuntur. Nam veræ gloriæ desiderium animos mirificè excitat, instruit, inflammat, & ab omni alia cogitatione ad excellentium hominum imitationem, atque ad singulare virtutum & honestarum actionum certamen incitat & impellit. Quis enim tanto stupore oppressus est,

sus est, quem præstantium virorum gloria non afficiat? quem à somno non suscitet? cui stimulos non admoveat? Nonne Herculis præclara fama permovit Theseum propinquum ipsius, ut immanissima monstra viribus ac virtute domaret, & extingueret? aliasq; res magnas atque difficiles gereret? An non Alexander Magnus, conspecto Achillis tumulo, æmulationis studio illachrymatus est, illumq; felicem prædicavit, qui Homerum laudum suarum præconem habuisset? Themistocles nonne illustrium virorum gloria ita fuit instigatus, ut omnem ætatem in virtute consumeret? & aliquando exclamaret: Ε Μιλτιάδε τροπαῖον οὐκ ἐᾷ με καθεύδειν: Miltiadis trophæum me dormire non sinit. Sic Aristoteles, Isocratis laude excitatus, scholas habere cœpit jambico versu suam æmulationem testatus: αἰσχρὸν σιωπᾶν, Ισοκράτης δ' ἐᾶν λέγειν. Turpe est silere, Isocrate dicente. Sic Apelles pictor nobilissimus, cum aliquando artis suæ certamen cum nonnullis iniisset, atque in picta equi figurâ ab æmulis superatus vulgò diceretur: à perverso vulgi judicio ad ipsius naturæ tribunal provocavit: hoc est, equos veros adducendos curavit, qui visis singulorum artificum tabulis, ad solius Apellis picturam adhinnierunt, atque adeò victoriæ laudem ei tribuendam significârunt. Similis contentio inter Zeusidem & Parrhasium pictores fuisse fertur, quorum alter uvas tanta arte penicillo expressit, ut aves ad eas decerpendas advolarent: alter velum tàm egregiè pinxit, ut æmulus id removeri juberet, quo picturam, quæ nulla fuberat, inspicere posset. Sed Zeusis tandem agnito errore suo, palmam Parrhasio detulit. Sic C. Julius Cæsar, conspectâ Alexandri Macedonis imagine, ingemuisse dicitur, quòd nihil dum memorabile gessisset ea ætate, quâ jam Alexander totum prope terrarum orbem subegisset. Sic denique Cicero Scævolam, Pompejus Syllam, Sulpitius Crassum, alij alios in Republicâ æmulati sunt, ut eorum exemplo & prudentiores & meliores evaderent: Possem nunc proferre viros insigni eloquentia præditos, omniq; doctrinæ genere ac philosophiæ laude ornatos, qui nunquam tantam gloriam atq; splendorem consequi potuissent, nisi à principio dulcedine gloriæ deliniti, & æmulationis stimulo concitati fuissent. Sed temporis brevitas longiorem commemorationem non admittit.

Ex his igitur omnibus perspicuum est, ejuscemodi honoris contentionem inter virtutis amatores excitatam, admirabiles rebus humanis utilitates afferre. Quemadmodum enim invidiâ nihil fœdius atque nocentius est, nempè quæ

pè quæ non propriâ virtute, sed alienæ virtutis ac laudis extinctione ad dignitatem aspirat: sic æmulatione nihil pulchrius ac salutarius, quippe quæ non alieni decoris obscuratione & interitu, sed vel paris, vel etiam majoris laudis adipiscendæ studio atque conatu ad principem locum obtinendum enititur. O beatas igitur civitates eas, ô felices item Scholas & Academias, in quibus non figulus figulo invidet, (ut Hesiodus ait) sed prudens cum prudente, justus cum justo, fortis cum forti, modestus cum modesto, industrius cum industrio, eruditus cum erudito certat, & alter alterum prudentiæ, justitiæ, fortitudinis, continentiæ, industriæ & eruditionis laude superare studet: Ita namque evenit, ut dum singuli ad virtutis & sapientiæ studium certatim incumbunt, universa tandem civitas & academia, excellenti gloriâ ac dignitate efflorescat, omniq; bonorum genere cumuletur & augeatur.

Quapropter Adolescentes lectissimi, cùm illustris & honesta æmulatio tantos utilitatis & jucunditatis fructus præbeat; & verò omnibus ex æquo aditus ad gloriam apertus sit, etiam atque etiam vos moneo atque hortor, ut in curriculo studiorum vestrorum naviter versemini, & honestissimo virtutis doctrinæq; certamine inter vos instituto, ad summum laudis gradum enixè contendatis, omniq; cogitatione, curâ, operâ & labore efficiatis, quo eis, quos superiores censetis, aut pares evadatis, aut etiam eos superetis; Quæ victoria ne excidat è manibus, aut nobis cunctantibus præripiatur, pergendum, & (quod Emblema nostrum jubet) properandum est: præsertim, cum, ut Cicero ait, vitæ cursus brevis sit, gloriæ sempiternus. DIXI.

ORATIO TERTIÆ CLASSIS,

RECITATA PER JOHANNEM-SIGISMUNDUM FÜRER, Patric. Norib.

ET mihi, Magnifice Domine Rector, imperio tuo parendum esse video; &, quo promptius id à me fieri intelligas, sine ulla non solùm excusatione, sed etiam præfatione. In Emblemate hoc meo naviculam quandam homunculis onustam, interq; illos unum aliquem, cerâ modicè liquefactâ reliquorum aures obturantem conspicimus, hoc nimirum consilio, ne Sirenii, ex parvulo intervallo navigium insequentis, vectoresq; illos allicere ad se annitentis, vocem exaudire queant, eaque re-structum sibi à Sirenibus exitium effugiant, atque devitent, huc asscripto Emblemate, AD TURPIA SURDUS: *quod ex Homericâ Ulyssea navigationis descriptione sumptum esse, nemini obscurum esse potest: quem Ulyssem Homerus libro Odyssea 12. eo, quo dictum est, modo, Sirenum insulas præternavigasse, ac sese socios q; suos ab interitu, quem ea machinatæ ipsis fuerant, conservasse, memoriæ prodidit.*

Quæ res ut intelligi possit rectius, memoria nobis repetendum est, Sirenas poëtarum fabulis, monstra quædam in mari Siculo dcgentia, fictas fuisse, quæ superiore quidem corporis parte virginum venustissimarum formam referrent: infernè verò in tetrum, & squamarum scabritie horridum & abominandum piscem desinerent: quæ hujusmodi fuerint ingenio, ut præternavigantes, partim corporis venustate & elegantiâ; partim etiam incredibili

vocis &

vocis & cantus suavitate ad sese allicerent, eosque institutæ navigationis cursum ad sese inflectentes, in crepidines & voraginosa maris loca perducerent, perductos demergerent, demersos denique devorarent. Quo figmento nihil sanè aliud, quàm turpium voluptatum vim atque naturam oculos nobis ponere sapiens vetustas voluit, quòd videlicet aspectu quidem minimè invenusto, homines ad se allicere: sed ubi semel eorum occupârint atque subegerint animos, in omne flagitiorum & calamitatum genus eos præcipites conijcere soleant, nec facultatum & possessionum tantùm eos naufragium facere cogant, sed etiam corpus ipsum viribus & sanitate spolient: quin neque hoc solum, sed mentem etiam ipsam de statu suo deturbatam humi affligant, atq; pessundent. Et tantis quidem malis dictas voluptates homines sibi mancipatos mulctare solere, non tantùm omnium, qui omnibus ætatibus vixerunt, sapientissimorum hominum testimonijs, sed innumeris etiam gravissimarum cladium exemplis, quibus tàm publicè universi, quàm privatim singuli, per eas affecti fuerint, planum facere possem, nisi inter homines eruditissimos, & harum rerum cognitione abundè instructos, me loqui meminissem.

Quas quidem si effugere voluerimus, hæc nobis ineunda erit ratio, ut honestissimorum studiorum, præceptionumq; salutarium, tàm è sacrorum librorum fontibus, quàm ex rationis & sanioris philosophiæ monumentis depromptarum ut sic dicam, cerâ aures nostras vel ipsi obstruamus, vel alijs, quorum ad curam istud pertinet, obstruendas præbeamus: nec illorum ingenium & consuetudinem imitemur, qui illud sibi indulgeri ferociter & protervè postulant, ad quod in præsenti tantùm cæco animi impetu feruntur, non autem quod perpetuò deinceps probaturi sunt. Qui quidem ut suo tempore, ubi subsederit cupiditas, ceciderit q; flagrantis ille animi impetus, infelicitatem suam, quâ se oppressos videbunt, non tantùm acerbissimè deploraturi, sed præceptores etiam ipsos, qui ipsorum voluntatem, non verò utilitatem æstimaverint, ut miseriæ suæ auctores unicos in perpetuum detestaturi sunt: ita è contrario, qui in præceptorum potestate æquo animo vixerint, rem & gloriam olim consecuti, & per fugam voluptatum verissimas voluptates adepti, amplissimum modestiæ suæ fructum consequentur, dignasq; gratias suis præceptoribus & agent & referent. DIXI.

ORATIO QUARTÆ CLASSIS, RECITATA PER NICOLAUM-SIGISMUNDUM ÖRTEL, Altorphinum.

CUm multa sint, humanissimi Auditores, quæ si proprio ausu aggrediaris, reprehensionem justissimam; si verò superiorum auctoritati fueris obsecutus, ut nihil aliud, veniam certè excusationemq; mereantur: peto à vobis, ut præsens quoque factum meum in numero isto habeatis, & quam admirationem vobis parit pueritiæ & penè infantiæ meæ, ad contingendam loci hujus dignitatem minimè idoneæ, conspectus, eam obsequij modesti, Magnifico Domino Rectori prompto semper alacriq; animo præstandi cogitatione temperetis. Quod cùm à vobis non difficulter me impetraturum de virtute & humanitate vestrâ mihi polliceor, longiore excusatione omissâ, ad demandatam mihi Emblematis, in congiario nostro expressi, interpretationem accedam: In quo hirundinum aliquot humi incedentium imaginem conspicimus, primùm quidem rudes ad volandum alas ægrè, & magno veluti nixu viriumq; contentione agitantium, volatuiq; assuefacientium: postea vero nullo negotio liberrimoq; & expeditissimo cursu per immensos aëris tractus hac illac sese moventium, hac ad oram adjectâ inscriptione: LABOR ARDUA VINCIT. Quæ hirundines juventutis teneræ (nisi me fallit opinio) prima etiamnum in Musarum castris, ut sic loquar, stipendia facientis, imaginem repræsentant: Hæc enim dum in percipiendis primis artium rudimentis versatur, & rude adhuc literarum ingenium,

ingenium, hac primâ veluti aratione subigit, quantum, Dij boni, laboris perferat, quantum tædij & molestiarum sustineat, quantos sæpenumerò gemitus & suspiria sub hoc laborum & difficultatum onere emittat, quantopere denique conditionem suam cum cujusvis, vel vilissimi hominis conditione permutatam cupiat, neminem esse arbitror, quem sua ipsius non docuerit experientia. Unde verò, dicat aliquis, tanta in hisce studiorum initijs insuavitas? tantáq; omni penè dixerim, felle & absynthio ingratior amarities? Unde verò nisi à summâ & divinâ quadam literarum & studiorum liberalium præstantiâ: quo bono, ut verissimè à sapienti vetustate traditum est, nullum optabilius, nullum præstantius, neque datum est mortalium generi, Dei optimi maximi concessu, neq; dabitur. Jam verò sicut arbores quædam, aliaq; nonnulla plantarum genera, quò præstantiores ferre solent fructus, eò ferè amariores habere solent radices: ita quodvis bonorum genus, quò divinius est, eò difficiliorem parandi illius rationem esse, Deus optimus maximus voluit: nimirum ut homines digni tantum, id est, laboris & industriæ amantis illo potiantur, nihili verò homines, & qui voluptatum turpium spurcicie irretiti fragrantissima honestatis & doctrinæ liberalis Myrothecia postponere solent, ab eodem consequendo arceantur. Neque tamen existimandum est, perpetuò nobis tædiosam hanc & plenam laboris viam terendam, perpetuoq; cum molestijs & difficultatibus illis depugnandum esse: sed potiùs, quemadmodum aviculas hasce nostras, superatis tandem difficilis exercitationis illius molestijs, quoscunque collibitum est aëris tractus libero volatu, summaq; agilitate tranare & permeare aspicimus: ita nos etiam, posteaquam ex illis primorum elementorum perdiscendi laboribus emerserimus, nos quoque è terrâ in sublime evehendi, hoc est, omne scriptorum genus pervolutandi, ac quicquid usquam gentium ullo seculo doctè, sapienter honestéq; & laudabiliter, vel dictum vel factum cogitatúmve est, non modò summâ cum voluptate pernoscendi, sed etiam pro suo cujusq; loco æmulandi, ac ad similem eruditionis & prudentiæ, virtutis denique & honestatis laudem perveniendi, liberrimam nobis facultatem paraverimus.

Hujus igitur, commilitones charissimi, amplissimæ mercedis maximiq; premij cogitatione, duros illos, qui in ingressu studiorum nobis objiciuntur, labores solemur, illud cogitantes, sicuti qui nucleum esse cupit, ei nucem ut frangat necesse est: ita etiam qui rerum non modò scitu jucundissimarum, verùm

etiam

etiam ad Ecclesiæ & Reipub. incolumitatem summè necessariarum cognitionem mercari sibi velit: hoc laboris & industriæ pretium ipsi dependendum esse, quo omne bonorum genus ab immortali Deo venale esse, vetustas tradidit. Quod qui impigro alacriq; animo fecerit, ille demum re & facto divinorum promissorum veritatem in se compleri animadverterit, quæ in hanc sententiam apud Siracidem nobis proponuntur: Quasi qui ares & seras, hoc est, quanta maxima potes corporis & virium contentione ad sapientiam accede, & bonos illius fructus expecta: in hujus culturâ, ubi paululum temet fatigaveris, de proventibus illius celeriter comedes: aspera est rudibus, & tanquam lapis explorationis imperitis: ei verò, qui omni cura illius observat itinera, in lætitiam convertetur, ut ornatum gloriæ ipsam indues, & coronam exultationis tibi impones. DIXI.

GRATIARUM ACTIO, RECITATA PER FRIDERICUM SCHILLING, Uratislaviensem.

DEcet bonos meminisse grato pectore,
Si quid beneficii à quopiam nacti sient:
Nam gratum animum quisquis benefactori suo
Studet probare, benè ad merendum hunc provocat:
At si capit quem oblivio affectum bonis,
Indignus ille nomine est viri boni.
Sophi Sophoclis verba bibistis auribus,
O concio ornatissima atque amplissima,
Latina facta utcunque de Græcis bonis:
Quæ pectori insident meo altè, & vellicant
Subinde mentem cogitantis, plurima
Mihi & meis æqualibus beneficia
Collata Divûm munere & mortalium:
Quæ tanta sunt, ut cogitando ea assequi
Vix posse sperem, nedum ea exæquaverim
Oratione, vel reapse rependerim.

Sed ne

Sed ne tamen turpissima ingrati nota
Mihi imprimatur, aut meis sodalibus,
Hinc non abibo, quin rudi trimetria
Testationem mentis edam publicè,
Suspicionem criminis fœdissimi,
In Persidè vindicati, & Athenis Atticis
Amoliens, INGRATUS HOSPES ne ferar.
Hoc dum exequor, præstate mihi audientiam
Vos quotquot hic adestis, & faventiam,
Quod proferam, mecum omnes isti sentiunt.
Sed unde telam hanc ordiar potissimum,
Nónne à Deo æquum est, omnium largissimo
Fonte ac datore munerum, primordium
Orationis omnis incipissere,
Omnisque facti, quod velis benè cedere?
Dei benigna gratia indies nova
Nostrum in genus, cum manè renascitur novo;
Quòd spiritum istum ducimus, vestigium
Quòd ponimus, quòd luminum orbes flectimus,
Quòd lingua fari, quòd potest pes ingredi,
Quòd infera & terrestria, & cœlestia
Animus peragrat, semina è cœlo trahens,
Auræ Dei pars, separans nos bestiis:
Debemus omne numini ejus unico.
Ille Ordini huic amplissimo primùm indidit
Hanc mentem, ut ista Gratiarum fanaque,
Et templa Musarum extruenda impendiis
Curarit amplis: convocârit undique
Antistites & Antecessores sacros,
Præfeceritque ædi huic, benignè & foverit,
Foveatque adhuc, nec parcat ullis sumptibus:
Modò ut juventus educetur optimis
In disciplinis, grataque fama de Deo
Spargatur hinc & inde latè, ac portio hæc

Cœlestis auræ percolatur. Ille det
Ut propria hæc sint dona nobis, firmaque:
Cœptumque opus perducat ad summum gradum;
Servet patronos ac magistratus bonos,
Quorum sub alis protegamur, & pio
Dei invocemus nomen ore & pectore,
Ipsisque factis comprobemus, esse nos
Dei parentis haud ineptos filios.
Hæc vota duc ad exitum, quæso Deus,
Tibi ut perenni carmine agamus gratias,
Cum Patre Nate, cumque Nato Spiritus
Æterne & immortalis & verax Deus,
Mysterio grandi atque inenarrabili
In unitate trine, simplex & triplex.
Sed quo feror? Ne abyssus in vertiginem
Me involvat ista, cautio est. Revertere in
Terras Camœna nostra, tandem & gratiæ
Cui sunt agendæ porrò jam, circumspice.
Occurrit, en, corona laudatissima
Fulgore quæ suo mihi orbes luminum
Præstringit, ut vix principium vel exitum
Orationis invenire sim potis.
Quis vos patres amplissimi, ut meremini
Laudaverit? quamvis diserto suppetat
Aut Tulliana, aut Attica eloquentia.
Quis facta vestra æquaverit pulcerrima
Dicendo, nota & exteris & civibus?
Nedum hoc meâ me posse sperem infantiâ.
Orbis plagas perambulat laus inclyta:
It fama cœlo vestra: terras it decus
Vestrum per omnes, omnis expers termini.
Adauxit hoc pridem Camœnarum domus.
Extructa vobis, ista splendidissima,
Hoc deerat unum quippe priscis laudibus,

Queis

Queis nulla comparaverit sese urbium
Germanicarum civitati Noricæ.
Nam non modò hæc celebrata mercimoniis,
Longè atque latè mutat illa gentibus,
Dextrum ac faventem filiumque Majæ habet,
Per multa retro computata sæcula;
Sed nunc & artium optimarum mercibus
Instructa, aperuit pridem & emporium alterum,
Ubi liceri æterna mercimonia,
Queis instruatur optima hominis pars datur:
Quæ tantò sunt præstantiora & aureis
Argenteisque, gemmeisque mercibus:
Æterna fluxis & fugacibus bonis,
Quàm sunt remota, aut terra distat æthere, aut
Mens corporis molem anteit præstantia.
Hanc vos tueri gloriam æternam decet,
Ad posterosque istud bonum transmittere:
Id quod videmus ultro vos operam dare,
Prudentiâ atque dignitate amplissimi
Patres, honorandi & verendi maximè:
Pro quo sit ista persoluta gratia,
Quam sempiternam (spondeo) usque habebimus,
Quando viâ aliâ promereri non datur
Huic tenuitati de tanta amplitudine.
Jam, quæ alteris parentibus nostris queant
Condigna reddi præmia unquam aut gratiæ?
Dico Magistris & piis Doctoribus,
Sive hi salutis imbuant mysterio
Mentes tenellas: disciplinis seu bonis
Nos instruant, carere vita queis nequit:
Ni belluina fortè dici debeat,
Cœtúsve Cyclopum, forúmve Cercopum.
Tu nunc caput, princepsque, Rector inclyte,
Cujus paterno munere istud pulpitum

Conſcendimusque, & munerati præmiis
Deſcendimus, primam mereris gratiam.
Sed eſte vos quoque ô parentes alteri,
Per quos renati vivere diſcimus benè,
Age, eſte contenti hocce grati pectoris
Τεκμηρίῳ, quod lege ſoluto carmine
Nunc edimus, ſemperque conſervabimus,
Augebimusque pro virili, ſpiritus
Dum membra vivax iſta animabit, ac reget:
Quid? Quòd Deus probare voluntatem ſolet:
Linguamque mentis nuntiam atque interpretem,
Quamvis facultas par ei haud reſpondeat.
Sed & Hoſpitum jucundus aſpectus juvat,
Reficitque nos, ad ſe vocatque & allicit.
Ut Herculanus attrahit ferrum lapis.
Salvete nobis, Hoſpites graviſſimi,
Salvete ſemper, & favete faventibus.
Humanitatis mutuæ certamina
Certate porrò. Palma ea eſt pulcerrima,
At jurgiis certare, odiisque mutuis
Fœdiſſimum eſt, nec belluas quidem decet.
Concordiâ, Concordiâ, inquam, creſcere
Res parva ſuevit: hanc teneamus firmiter.
Ni parta rectè diſſipari malumus.
Nunc quando metam attingit hæc oratio,
Pedeſtris & Trimetria ad finem propè eſt:
Ad te revertor, unde cœperam, Deus.
Tu nos tuere, tu guberna, tu rege
Tibi dicatos. Gratia aſpiret tua
Laboribus docentium ac diſcentium:
Cœtusque honeſtos congregatos in tuo
Defende, ſerva, promoveque nomine.
Arce famem, luemque, bellaque horrida,
Pax & domos, pax dulcis agros muniat.

Sic vita in hac laudabimus te, & altera,
Cum Patre Natum, cumque Nato Spiritum,
Veracem & immortalem & æternum Deum.

DIXI.

XXIII. PANEGYRIS, Anni 1599.

RECTORE D.D. SCIPIONE GENTILI, JC.

ORATIO PRIMÆ CLASSIS, RECITATA PER JOHANNEM-SEBASTIANUM Stibar à Buttenheim, Franc.

OPtarim equidem, Magnifice D. Rector, ut quemadmodum ego quidem lubenti alacriq; animo imperio tuo morem gero: ita mihi nunc in hac ampliſſima graviſſimorum & clariſſimorum hominum corona verba facienti propitium aliquod numen ſub veniret: eamque dicendi facultatem largiretur, qua politum & elabora-

tum, dignissimoq; hoc consessu dignum aliquid proferre possem. Verùm quamvis cùm ætatis, tum etiam ingenij mei imbecillitas hoc me sperare vix patiatur: non tamen committendum mihi puto, ut plus ad detrectandum imperium tuum mea imbecillitas, quàm ad idem cum fide exsequendum, tua valuisse videatur auctoritas: operamq; potiùs mihi dandam, ut orationis saltem brevitate, ejusdem inopiam & paupertatem compensem. Quod dum facere studeo: vos humanissimi Auditores, majorem in modum rogo, ut humanitatis & benevolentiæ vestræ aura timidam & trepidam orationis meæ causam adjuvare velitis.

In hrabeo igitur nostro, ne diutius rem differam, quatuor hominum effictas cernimus imagines: quarum prima Ulyssis est, qui mercatorio indutus habitu, una quidem manu hastam cum clypeo, altera verò sportam cum varij generis mercibus tenet: à tergo hujus alij duo, tubas inflantes cernuntur. Quartus denique faciem quidem virilem, caputq; galea tectum, reliquum verò corpus muliebri veste amictum habens, Achillem nobis repræsentat, ad armorum conspectum, vehementemq; tubarum sonum, gaudio exultantem, sublatisq; in altum brachijs læto clamore gestientem. Cujus picturæ significationem ex brevi, quam subijcio, historiola cognoscere licebit.

Cùm Græciæ principes, susceptа adversus Trojam expeditione, Achillem belli illius socium asciscere cuperent: à Lycomede Scyriorum rege (apud quem ille etiam in gynæceo ipsius, virginali habitu educabatur) per literas legatosq; petierunt, ut illius ad bellum hoc abducendi potestatem ipsis faceret: qua à rege impetrata Ulysses legatorum princeps Achillem inter regias virgines latitantem, tali quodam astu aggressus est. In arcis regiæ vestibulo, qua virginum transiturus erat chorus, varij generis mercimonia, quibus hæc ætas capi maximè solet, venum exposuit: interq; ea armorum aliquid, ut hastam, clypeum, aliaq; nonnulla generis ejusdem collocavit. Quò cùm illæ accessissent, & unaquæque in id, quod ipsi potissimum allubesceret, oculos conijceret, atque empturiret: Ulysses Agyrten quendam ex alio arcis loco tubam ex compacto inflare, signo quod inter eos convenerat, edito jussit. Ad cujus sonum cùm puellarum chorus, hostem adesse existimantium, trepido cursu dissugeret: solus Achilles in eodem vestigio permanens, ac personæ quam gerebat, oblitus, in hastam & clypeum celeriter involavit: ruptaq; & abjecta veste muliebri, ad impressionem hostium fortiter excipiendum & repellendum se

dum, se paravit. Quo indicio cùm sese prodidisset: facilè ab Ulysse, sociisq; ipsius agnitus, & ad belli, communibus totius Græciæ armis suscepti, societatem abductus est. Quæ sive fabula, sive historia cùm alia multa, tum ingeniorum juvenilium rationem & naturam in Achillis persona tanquam in speculo nobis proponit.

Nam ut hic à natura quidem virtutum omnis generis semina, hoc est, indolem præstantissimam acceperat, qua ad fortitudinem, & res pace ac bello præclarè gerendas exstimulabatur: ita in plurimorum sæpenumerò adolescentum ingenijs occulta quædam naturæ vis, & ad virtutem, artiumq; laudandarum studia propensio inesse animadvertitur. Verùm ut ea in Achille nostro, educationis perversitate & mollitie, quæ præposteræ matris timore ipsi contigerat, ita premebatur, ut non modò in veros virtutum fructus non excresceret: sed jam tum etiam vitiorum spinas producere inciperet: (Nam quid cum Deidamia, Lycomedis regis, nutricij sui, filiarum maxima ipsi intercesserit, ex veterum narrationibus satis constat) ita in aliorum quoque adolescentum animis sæpenumerò generosos illos impetus, in herba (quod dici solet) prius vel extingui, vel languescere videas, quàm vel radices debito modo agere, vel ad justam maturitatem pervenire possint. Cujus quidem cladis & calamitatis causam aliam proferre non possumus, præter eam quæ desidia & socordia, & turpium voluptatum consectatio communiter appellari solet. Ea enim est, quæ omnes corporis atque animi nervos frangere, insitaq; virtutis & honestatis semina obruere, indolem præclaram extinguere, omnem denique naturæ vim & præstantiam corrumpere atque pessundare consuevit. Profectò enim ita comparatum est, ut quemadmodum ager aliquis, ut ut pinguissimo fertilissimoq; solo constet: nisi tamen indefesso labore à colono suo nunc arando subactus, nunc occando contritus, nunc denique sarriendo purgatus fuerit: pro oleribus & herbis utilibus spinas inutiles, pro frugibus lætis & salubribus lolium infelix, pro hordeo grando & nitido sentes, vepresq; horridas daturus est: ita quantumvis egregia naturæ indoles, nisi in assidua quadam ceu palæstra morum actionum laudabilium perpetuò detineatur atque exerceatur: sed segnitie atque otio inerti torpescere sinatur: in vitia teterrima sæpenumerò, & in effrenem ac diram, penitusq; intolerabilem feritatem degenerare soleat. Hæc enim lex, hoc Dei decretum, hæc consilij divini ratio est: ut ignobiliora illa & deterioris notæ bona, ut divitiæ, corporis robur & digni-

& dignitas, generis item & familiæ splendor & celebritas, sæpenumero etiam ignavis & inertibus contingant: virtus verò, quæ bonorum omnium, quæ mundi hujus complexu teguntur, præstantissimum ac divinissimum est: sine laboris & industriæ, assiduæq; exercitationis atque assuefactionis quasi pretio parari nullo modo possit.

Cæterùm quemadmodum Achilli nostro Ulysse opus fuit, cujus vaferrimo commento ex suo illo desidiæ atque inertiæ latibulo protraheretur: ita in universum juventuti, ut ad laborem virtuti parandæ impendendum induci possit, suo quoque Ulysse, hoc est, doctore & præceptore solerti, & judicii rectitudine prædito opus est: cujus officium & munus cùm aliis in rebus, tum in hoc inprimis versatur, ut discipuli indolem & ingenii illius vim non modò sagaci animadversione observet: sed etiam crebrarum exhortationum & monitorum veluti flabellis quibusdam assiduè excitet: & nunc virtutis pulchritudine ostensa ad eam persequendam, nunc vitiorum fœditate demonstrata ad ea detestanda, omniq; contentione fugienda impellat: & nunc recta incedentem via collaudet, nunc ab eadem exorbitantem coërceat. Quod cùm fit, tum verò sicuti arborem bonam Solis fulgore & imbribus tempestivis perfusam rigatamq;, indolem suam minimè occultare, sed fructuum optimorum copiam fundendo exerere, hominumq; oculis objicere videmus: ita quicquid honestatis, quicquid ingenii liberalis, quicquid indolis præclaræ in intimis adolescentis ejusmodi pectoribus reconditum est, tum ut in apertum prodeat, inq; usu ipso spectandum sese præbeat necesse est. ἄμαχον γὰρ κρύψαι τὸ συγγενὲς ἦθος, *ut Lyricorum apud Græcos princeps cecinit. Et ut congiarii nostri Emblema habet,* CÆLARI NESCIA VIRTUS.

Hoc igitur, charissimi commilitones, si nobis quoque evenire, nostræq; indolis (si qua nobis munere divino concessa est) bonitatem in virtutis veræ fructus adolescere cupimus: quibus suo tempore patriæ, parentibus, amicis, nobisq; ornamento atque emolumento esse possimus: non commissum nobis talentum in terram defodere, sed quemadmodum præceptorum nostrorum labores & curas omnes in hoc consumi videmus, ut animadversa in nobis virtutum initia præceptis salutaribus & disciplina honesta excolant, & quasi è tenebris in lucem, hoc est, in actum ipsum proferant: ita nostro quoque studio & conatu hanc ipsorum sedulitatem subsequi, honestas quidem actiones amplectendo, contrarias verò fugiendo oportebit. Neque enim audiendi sunt, qui

sunt, qui juvenilis ætatis scilicet fructum aliquem capiendum, hoc est, cupiditatibus ipsius, omnisq; generis voluptatibus habenas & fræna aliquantulum laxanda esse putant: Parvo enim negotio malos mores temporis progressu nos deposituros, & ad frugem bonam sanitatemq; redituros esse. Certò enim constat æthiopem citiùs dealbari posse, quàm vitiorum sordes, ubi semel fermenti instar animum occupaverint, elui atque expurgari: imò verò vitijs corruptos homines, disciplinæ salutaris medicina sæpenumerò perdi potius atque enecari, quàm ad mentem meliorem revocari. Quare suam illis, quam mentis errore sibi fingunt, felicitatem minimè invidentes, missos illos faciamus: ea interim spe de illorum in nos sannis atque ludibrijs nos vindicantes, quod illos quidem propter morum damna magno aliquando pudore affectos: nos verò modestiæ atque innocentiæ nostræ pulcerrimis atque suavissimis fructibus ornatos visuri simus. DIXI.

ORATIO SECUNDÆ CLASSIS, RECITATA PER JOHANNEM VITUM STIBAR à Buttenheim, Francum.

QUamvis eas ingenij vires, Magnifice Domine Rector, quæ ad obeundam hanc cum dignitate provinciam requiruntur, longè à me abesse intelligam: tamen cùm mihi satius esse arbitrer, imbecillitatis ingenij, quàm vel contumaciæ, vel pudoris rusticani

me argui: auctoritati tuæ lubens meritoq; pareo: Vestræq;, ornatissimi Auditores, humanitatis & benevolentiæ fretus fiduciâ, omissis ambagibus, ad demandatam mihi Emblematis, in congiario nostro expressi, declarationem accedam: In quo Arionis delphino insidentis, & lyræ pulsatione modos facientis, imaginem cernimus, horum verborum inscriptione cinctam: SPERNIT PERICULA VIRTUS. *Quam picturam ex Herodoto, A. Gellio, alijsq; bonis auctoribus desumptam esse, nemini obscurum est: Apud quos Arionem, celeberrimum sui temporis citharœdum legimus, cùm ex Italica peregrinatione, maximis in ea divitijs collectis, Corinthum versus ad regem suum reverteretur: nautarum violentia, bonis ipsius insidiantium, in mare sese præcipitem dare coactum esse: venia tamen ante ab illis impetratâ carminis alicujus, velut in mortis solatium, in ora navis concinendi: cujus suavitate illectum delphinum, naturâ generis nostri amatorem, adnatasse, exceptumq; dorso suo Arionem per medias maris undas salvum & incolumem ad littus devexisse: nautas verò (sicuti nunquam sunt gaudia longa malorum, & cito improborum res lætæ ad tristitiam recidunt) prædâ suo scelere nefando parâ, non diu gavisos esse, sed Corinthum delatos, capitis supplicio debitas scelerisuo, per Arionem patefacto, pœnas luisse.*

Quamvis autem de fide narrationis istius disputare loci & instituti præsentis non sit, tamen certum est, maximarum rerum & ad vitæ salubriter instituendæ rationes magnoperè pertinentium, commonefactiones in ea nobis proponi, quarum ut aliquas saltem delibemus, primùm hominis innocentis & facinorum malorum labe carentis; & verò docti etiam, & artis alicujus præclaræ scientiâ præditi exemplum nobis suppeditat: quorum illum quidem hæc ferè comitari fortuna consuevit, ut fraudibus atque insidijs hominum improborum, non modò pericula omnis generis, sed non rarò extremam quoq; perniciem illi machinantium, sæpè quidem appetatur, at non semper tamen opprimatur, sed plerumque numinis divini adjutus auxilio, non modò eas declinet atque effugiat, sed etiam in auctorum ipsorum capita easdem recidentes, hoc est, eodem illos, quem alijs posuerant, laqueo captos implicatosq; videat. Cujus rei exempla, quæ temporis angustia præterire me cogit, propria cuiq; experientia, sacrarumq; & profanarum literarum peritia, abundè suppeditat: Huic verò, qui artis alicujus excellentis experientiam consecutus est, (dum quidem morum integritatem, vitæq; innocentiam cum ea conjunxerit) in-

vit) indidem perſpicimus, tutiſſimum contra omnia fortunæ adverſæ tela comparatum eſſe præſidium: adeò quidem, ut ſi eum à feris & immanibus forte hominibus non ſatis honeſtè haberi, aut etiam indignè interdum modis tractari contingat, plerumque tamen præter omnem expectationem, rebus penitus deſperatis, talium illi hominum copia eveniat, apud quos arti doctrinæq; ſuæ honor debitus, præmiaq; conſtent: Quin & ab ijs ſæpè hominibus multò & honeſtiùs habeatur, & humaniùs etiam tractetur, qui remotiores ab humanitatis cultu putantur, quàm qui omnem humanitatis & culturæ elegantioris laudem, alijs præreptam ſibi ſolis vindicant. Porrò & hominis prudentis & virtute præditi naturam & fortunam, idem citharœdus noſter, ſicuti etiam ejusdem artis peritus quivis alius nobis repræſentat. Nam quemadmodum iſti varias inſtrumenti ſui muſici fides concinnè inter ſe aptare, aliasq; earum fortius, alius remiſſius intendendo, vicibusq; certis nunc has, nunc illas tangendo, diſcrepantes eorum ſonos ingeniosè temperare, & ad diſcordem quandam, ut ſic loquar, concordiam redigere, atque ita pulcherrimam & ſuaviſſimam harmoniam atque concentum efficere ſolent: ita cum, qui hominem prudentem & virtute præditum ſeſe perhiberi velit: multiplices mentis ſuæ nervos, hoc eſt, varias & diſcrepantes animi affectiones, ad ſuam quandam, ipſis convenientem harmoniam atque concentum reducere, hoc eſt, pro diverſitate rerum ac temporum conditione ita moderari, ita conformare decet, ut quarundam ex ijs nunc impetu repreſſo, quarundam verò ſegnitie excuſſa, in rationis rectæ obſequium, veluti conſenſu quodam unanimi ita conſpirent, ut ad juſſa illius tanquam dominæ & gubernatricis ſuæ exequenda, perpetuò promptæ ſint & expeditæ: & ad ejusdem vel edictum, vel interdictum, illas quidem actiones honeſtas & laudabiles perſequantur, has verò tanquam turpes & flagitioſas fugiant & averſentur. Et quidem ad eum uſque modum, utrumque iſtorum faciant, qui rationis imperio deſcriptus, definituſq; fuerit. Secus verò ſi fiat, hoc eſt, ſi cupiditates ſpreto atque excuſſo reginæ hujus imperio, deviis à ratione itineribus, quò impetus & voluptatum eos rapiunt illecebræ, ferantur: tantum abeſt, ut ullam in homine tali virtutis aut prudentiæ micam ineſſe, dicere poſſimus, ut potius fœdiſſimæ omnis amentiæ, vitiorumq; omnium lernæ ſimilis eſſe animus illius judicandus ſit. Ac quemadmodum hominem aliquem, cujus membra perverſo ac ſiniſtro motu moveri cernimus, paralyſeos morbo affectum dicimus: ita illum,

in quo cæco impetu in diversum à rationis jussu appetitus ruit, nonne meritissimo jure, pro homine sano, gravissimo vitiorum morbo affectum, pro prudente stultum & amentem, pro bono improbum, pro gravi & sedulo dissolutum & perditum, & exitiali animæ facultatum seditione agitatum, deniq; fœcem & vappam potius hominis, quàm verè hominem dicere possimus? Quod si verò parùm fortè referre quis existimet, prudens an temerarius, bonus an improbus; frugi an dissolutus; virtute denique ornatus, an verò vitio contaminatus aliquis dicatur: (cujus generis hominum, proh dolor immane, quantus ubique hodie proventus est.) is quæso, quodnam res ipsa discrimen inter illos faciat, quinam exitus utrosque illorum comitari soleat, capto de Arione & nautis illius exemplo, paulisper mecum consideret. Nam quemadmodum ille, licet infortunium, hominum improborum scelere ipsi conflatum, declinare penitus non potuit: attamen harmoniæ suavissimæ, nervorum in fidibus impulsu à se excitatæ adminiculo, periculum omne, calamitatemq; superavit: Eodem modo, qui prudentiæ lumen in pectore suo accensum gerit, animiq; appetitiones virtutis fræno domitas, inq; rationis rectè obsequium compositas habet; ut maximè aliquando fortunæ ipsi experienda sit iniquitas, singulari tamen animi firmitudine ac robore, omnes vitæ hujus acerbitates, omniaq; pericula fortiter contemnere; contemta animosè, si res postulat, suscipere; suscepta denique gloriosè, cumq; omnium bonorum gratulatione vincere & superare poterit. Quod si verò urgentiora fortè & superatu difficiliora inciderint pericula, illa ipsa in virtutis materiam convertet, eaque ratione acerbitatem illorum, fortiter ea perferendo, non tantùm mitigabit; sed in medijs etiam adversæ fortunæ procellis, sanctorum Dei hominum exemplo, de afflictionibus gloriabitur: O magnum hoc & divinum virtutis & prudentiæ præmium! ô miseros & infelices illos, qui ut virtute ipsa, ita & hac mercede illius ampliſſimâ destituti sunt! Quos quidem currui alicui, qui ab equis, terriculamento fortè aliquo exterritis, & in furorem actis, raptatur magis quam trahitur, non absimiles esse dixeris. Quemadmodum enim is concitatissimo impetu, frustra, ut cum poëta loquar, retinacula tendente aurigâ, per saxa & rupes, per colles & valles sursum ac deorsum, non antè raptari desinit, quàm frustillatim confractus fuerit: ita isti, quorum quasi è potestate exijt animus, vel potius ruptis rationis habenis, vitiorum omnis generis velut æstu quodam perpetuo eò usque agitantur, donec ab eodem absorbeantur:

& non

& non fortunarum tantum, sed salutis etiam, hoc est, vitæ, fumè, atque utinam non & animæ simul funestum & luctuosum sibi ac suis exitium incurrant.

Quod quidem si nos effugere, charissimi commilitones, (vos enim in hoc jam flexu orationis meæ appellare libet) & è contrario suaviter & jucundè, inque animi bonorum & prosperitatis copiâ vitæ nostræ studium decurrere velimus, nulla sanè alia voto isto potiendi ratio ostenditur, quàm ut eam, quam dixi, harmoniam, hoc est, appetitionum & cupiditatum cum ratione sana consensionem, animis nostris conciliare studeamus, & insidiosam vitiorum dulcedinem exsecrantes (quippe quæ quod dulce est, gustu solo præbeant, amarum verò ad satietatem, ut Comicus loquitur, oggerant) virtutis viam alacriter capessamus: ad quam quidem tum ingrediendam, tum constanter etiam premendam, magnum vel potius maximum in eo situm est momentum, ut implorato precibus ardentibus numinis divini auxilio, salutaribus parentum & præceptorum monitis & consilijs, cupidas aures præbeamus: contrà verò adversus sodalitiorum pravorum seductiones, tanquam exitiales Sirenum cantus, studiorum & doctrinarum liberalium cerâ, Ulyssis Homerici exemplo, easdem obturemus atque obstruamus. D I X I.

ORATIO TERTIÆ CLASSIS, RECITATA PER JOHANNEM-HEINRICUM à STEINBACH, Bohemum.

SOlon legum Atticarum conditor, dicere solebat, urbes ac oppida nihil aliud esse, quàm humanarum ærumnarum domicilia, quibus luctus, mœrores, tristitiæ mortalium includerentur. Et sapienter quidem mea sententia, Auditores optimi, nam si æqui judices esse velimus, fateri nos oportet, hominis vitâ nihil brevius, nihil miserius. Non solùm enim mox hinc nobis migrandum est, omnibus relictis: ob quam causam Antiphon hominis vitam carceri unius diei similem esse dixit: Aristoteles verò imbecillitatis exemplum, temporis spolium, fortunæ lusum, inconstantiæ imaginem; verùm etiam tota nostra vita nihil aliud quàm fucus, insciti, dolor, & mœror est, quæ nisi virtutis dignitate & robore fulciatur, celeriter tanquam urna frangitur, omniq; dignitate amissâ, interit: absque virtute enim nihil stabile & firmum, omnia fragilia & caduca. Prudenter ergò in nostro numo, quo nobilissimi & amplissimi Domini Scholarchæ tertiæ classis victores donarunt, urnam flosculis lectissimis exornatam cum hac inscriptione videmus: FLORENS IN FICTILI VIRTUS. Qua monemur nostræ conditionis. Quemadmodum enim urna non propriâ, sed adventitiâ nitet venustate, floresq; è terrâ evulsi, non solùm nativam coloris pulchritudinem retinent; sed etiam urnam, qua continentur, mirificè exornant; oculos hominum sua varietate suaviter afficiunt; & conclavia fragranti suo odore mirè perfundunt: ita hominis ingenium & scientiæ, imò tota vita, nisi virtutis auctoritate & consilio regatur, instabilis & caduca est. Voluptas certè hominem parum ornat: quia impedit prudentiam: & quò major existit, eò magis mentem obnubilat: in malum quoque verti potest, & plerumq; dolorem comitem habet. Gloria aliunde pendet, & brevi flaccescit! Potentia multos parit hostes & odia: Divitiæ sæpè ex iniquitate surgunt, & ut plurimum ad mala quævis hominem impellunt: Forma donum alienum, & extra hominem, ut rectè Bion sensit: quam ipse sibi nec dare potest, nec tueri datam: Fortuna inconstans & mutabilis est. Quare statuo, ut nullum inveniatur malum punicum, in quo non sit aliquod granum putre: ita in mortalium vitâ præter virtutem nihil dari posse, quod careat omni labe & calamitate, quod sit perpetuum & firmum, quod nulla tempestas agitet. Ergò & unicum illa est hominis ornamentum. Nam virtus in rebus ad voluntatem nostram fluentibus superbiam, fastidium, arrogantiam frangit: adversa verò declinat, vel propulsat, & fortiter perfert: & quæ alijs sunt impossibilia, facit possi-

cit possibilia: munit arces, & invictas reddit Respublicas, ut Lacon ille de Sparta dixit. Motus animi appetentis regit & temperat: moderatamq; omni in re servat constantiam: victu, cultuq; corporis ad valetudinem utitur, & ad vires, non ad voluptatem: cavet, ne obsit benignitas & ijs ipsis, quibus benignè videtur fieri, & cæteris. Deinde ne major sit benignitas, quàm facultas: tum ut pro dignitate cuiq; tribuatur: Fugit prodigalitatem & avaritiam: laudem & gloriam, mercedem laborum periculorumq; desiderat, in ulciscendo & vindicando moderationem adhibet. In veritatis verò claritate quantum ornamenti insit, quis non videt? hæc enim semper tantam potentiam obtinuit, ut nullis machinis, aut cujusq; hominis ingenio, aut arte subverti potuerit. Et licet nullum patronum aut defensorem habeat, tamen per se ipsa defenditur; hominum mendacia ridet; calliditatem & solertiam evertit; fictas insidias refutat. Virtus insuper hominum animos comitate & sermonis affabilitate conciliat: curis debilitatas mentes, & laboribus defessa corpora, ingenuis & facetis jocis recreat: &, ut breviter dicam, omnibus prodesse studet, rebus divinis & humanis lucem præferens: castè Deum accedit; pietatem adhibet. Hæc facit nobiles viros rebus gestis florere: imò ipsius nobilitatis initium existit: hæc divitiarum verum usum monstrat, easque tuetur & conservat: hæc, pacem, bellum, victoriam regit: libertatem exornat: servitutem lenit: ærumnarum calamitates mitigat: paupertatem placat: exilia contemnit: cæcitatem, surditatem, aliaq; corporis incommoda patienter perfert. Et ut oratio composita gratiam addit formæ: ita virtus hominem etiam deformem formosum efficit. Quare liceat mihi cum Horatio concludere:

Ad summum, sapiens uno minor est Jove, dives,
Liber, honoratus, pulcher, rex denique regum.

Ad hanc ergò tanquam ad asylum semper confugite, optimi commilitones: hisce floribus ingenia vestra exornate, ut verè de vobis dici queat: Florens in fictili virtus. *DIXI.*

ORA-

ORATIO QUARTÆ CLASSIS, RECITATA PER JODOCUM HEINRICUM ROCKENBACH, Francum.

SI in minimis rebus ostentatio reprehenditur, Auditores præstantissimi, quo tandem odio dignus essem, si quemadmodum Phormio apud Hannibalem de re militari declamavit: sic ego apud vos, doctrinâ & eloquentiâ præstantes viros, ineptè aliquid ostentando, meam infantiam in theatrum producerem. Sed quia, quod facere incipio, id & jussum me facere auditis, & constat omnibus de more Academiæ hujus, qui in talibus festivitatibus jam à multis annis observari solet: ab hac parte excusatione aliqua non mihi opus esse video. Ad Emblematis igitur, quod brabeo nostro additum est, explicationem accedo.

Utcumque autem numismati huic impressa est delineatio, sive schematismus Eclipsis Lunæ, quam partialem artifices vocant, cum Emblemate: NON NISI PHOEBO. *Quo quidem Laconismo, quid rectè significetur, fortasse non obscurum est cogitanti: Lunæ enim corpus tale est, ut proprio lumine careat, id quod ex totalibus ejus eclipsibus, quæ cum morâ contingunt, cælo sereno patet, ubi tanquam prunæ seu ferri candentis specie mortalibus apparet, nec pristinū suum fulgorem recipit prius, quàm ex terræ umbrâ, cui toto eclipsis tempore penitus immersa erat, emergens, solaribus radijs quasi de novo accensa collustrataq́, splendere incipiat. Quemadmodum igitur Lu-*

na ex sese lumen nullum effundit, Phœbi verò mutuatitio lumine irradiata, splendet nitidissimè: sic ingenij humani vires & speculationes, cujus quæso, efficaciæ sunt, si divini favoris splendore non illustrentur? Tantoperè enim ingenij & mentis humanæ acies præstricta atque retusa est, ut ex sese, ne quidem assequi quicquam cogitando, multò minus pervestigando exhaurire possit. Quod si verò divinæ gratiæ splendor accedat, & à Deo, unico fonte omnis boni, cogitationes humanæ gubernentur, tum demum quidquid uspiam in sacris, in profanis cognitu dignum est, felicius intellectui nostro sese prodit, atq; adeò hujus exercitatione & experientiâ omnes artes, omnia opificia, omnia commoda inveniuntur, augentur, expoliuntur. Undè non minus piè quàm præclarè admodum D. Nazianzenus in oratione de Athanasio Episcopo scripsit: Quod Sol est sensibus, id intelligentibus est Deus: ille enim mundum illuminat visibilem; hic invisibilem: & ille quidem visum corporis illustrat; hic verò naturas intellectu præditas reddit splendidas. Sed qui fit, quòd cùm divinæ gratiæ aura æqualiter omnes aspiret, non tamen eam omnes similiter excipiant? Hujus ergo rei imaginem in numismate quoque nostro adumbratam cernimus. Quemadmodum Lunam à Phœbi splendore excluſam videmus, Terræ interstitio: ita sæpenumerò ingenia adolescentũ, etsi divinæ bonitatis gratiâ non carerent, obscurari tamen atque adeò impediri experimur, quò minus ad felicitatis portum evadere queant, terrenis nimirum voluptatum illecebris, & falsis Doctoribus. Mittuntur in Academiam adolescentes inculti & impoliti, ut inutilibus & noxijs herbis extirpatis, hoc est, pravis affectibus & malis cupiditatibus pulsis, virtutis & sapientiæ amor animis ipsorum inseratur, & ingenij tanquam informis speculi maculis absterſis, id est, falsis opinionibus repudiatis, animus veris & salutaribus doctrinis imbuatur. Quid fit? Multi contemto fructu, quem ex studijs percipere possent, ad turpes voluptates & ignavum otium sese convertunt, quibus illecebris ad exiguum tempus deliniti, pauculo melle, multo felle diluto, ita decipiuntur incauti, ut tandem irritâ pœnitentiâ comitante, malam famam cum saucia conscientiâ domum reportent, cùm contrà à veris delectationibus, quas virtus & studia pariunt, omnis turpitudo absit, & numinis offensio, nec eæ dolorem adjunctum habeant, non infamiam, non conscientiæ morsum, non pœnæ metum, quæ omnia fœdas voluptates comitantur. Falsi verò doctores, quantas in omni doctrinarum genere mollibus ingenijs, & jam ante satis caligantibus

gantibus tenebras offundant, experientia ipsa, proh dolor, testatur. Et pestilentiores sunt, quò sanctiora aliis dogmata tractant. Fit enim, ut lepram illam & scabiem, qua ipsi infecti sunt, auditoribus suis tam fortiter afficient, ut illi tandem ad alios docendos emissi, luem illam venenatissimam ad alios propagent, cum maxima Ecclesiæ Christianæ & Rerumpublicarum jactura & dispendio. Unde in omni genere studiorum tantæ dissidiationes oriuntur, ut sæpenumerò à verbis ad verbera descendentes totâ συμπαξιν rubricâ tandem illinant, & ad extremam chirurgos summam manum hujusmodi disputationibus imponere jubeant. Hoc an ita sit, nécne non multis argumentis probandum esse existimo. Credo enim, vobis id, quod vulgari nostro proverbio jactatur, sua sponte jam occurrere: infantes & fatuos veritatem profiteri plerumque solere.

Quocircà commilitones optimi, orandus nobis Deus est, ut divini sui numinis favore, ingenij nostri imbecillioris vires admodum languidas corroborare, studiorum amorem in nobis excitare, animos nostros veris & salutaribus doctrinis ita imbuere dignetur, quò aliquando pulsis cæcorum errorum tenebris, & caligine, ipsi grata, & Ecclesiæ & Reipublicæ fructuosa discere, & ad posteritatem nostram propagare possimus. DIXI.

PANE-

XXIV. PANEGYRIS, Anni 1600.

SUB RECTORATV D.D. NICOLAI TAUREL-LI MEDICI.

ORATIO PRIMÆ CLASSIS, RECITATA PER ULRICUM WINCK-LER Lincensem, Austriacum.

QVod si vel sine re voluntas laudatur, Auditores humanissimi: nemo (ut spero) hoc meum dicendi munus, non temerè meâq; sponte; sed Magnifici Domini Rectoris jussu atque authoritate susceptum improbabit. Etsi namque nihil quicquam egregium, vestrisq; auribus dignum in medium afferre queam: conatus tamen meus cum observantiâ atque obediendi studio conjunctus, gratiam atque exiguî temporis attentionem à vobis, ut spes est, haud difficulter impetrabit. Quapropter, quid de re proposita sentiam, liberè & quàm brevissimè potero, explicabo. Atque ut hinc initium sumam: In brabeo nostro simulacrum coloni, surculum in agro suo depangen-

tis, & aquæ aspersione ipsum rigantis: itemq; imago Solis plantam istam tepore suo foventis atque augentis, nobis ante oculos statuitur. Estq; adscriptum hoc Emblema: SINE NUMINE FRUSTRA. Ex quo (ut ego quidem arbitror) perspicere atque intelligere licet, omnem omnium rerum actionumq; humanarum prosperitatem à Deo optimo maximo pendere: nec quicquam sine ipsius præsidio ac numine feliciter institui ac suscipi, neque geri fieriq;, neque perfici atque absolvi posse. Etenim ut colonus, quantumvis diligenter agrum suum colat: arbores serat: eas circumfodiat: rivulis sarculo accersitis irriget: ex radice prodeuntes erigat: incurvescentes bacillis aut vinculis reflectat: luxuriantes circumcidat & amputet: erucas cæteraq; bestiolas abigat atque depellat: nihilq; omninò prætermittat, quod ad illarum incrementum pertinere videatur: nullum tamen laborum suorum emolumentum, nullos ex laboribus suis fructus percipiet, nisi prepotens illa vis Solis, cunctis rebus nascentibus salutarem, maximeq; vitalem calorem largientis, accesserit: sic in actionibus humanis, etsi ingenij solertia, prudentia, ars atque industria minimè sit contemnenda: tamen ut hæc ipsa Dei voluntate ac moderatione dirigantur, ejusq; benignitate provehantur, necesse est. Ut enim non satis est oculos habere acres atque acutos, nisi splendore Solis omnia dilucescant: sic frustra ratione atque consilio valemus & vigemus, si gratia divina, quæ mentis nostræ lumen est, à nobis abscedat. Atque (ut res uno, alterove exemplo fiat dilucidior) quænam civitas, quæ Respublica, quod regnum, sine divino consilio (nobis tamen plerumque incognito) unquam aut constitutum fuit, aut stabile firmumq; permansit, aut denique sive externa aliqua vi, sive domestica seditione corruit? Nam ut Solis ex ortu regiones aëris, omnesq; animantes, & stirpes & herbæ collustrantur, recreantur, & singulari quadam voluptate complentur; ejusdem verò recessu obscurantur, & quasi tristitiâ quadam contrahuntur: ita opes, dignitates, & imperia divini numinis præsentiâ & ope constituuntur, & efflorescunt, suumq; statum tuentur; abscessu verò illius, ad occasum atque interitum feruntur & impelluntur. Testes sunt Assyrij, Medi, Persæ, Græci, Lacedæmonij, Thebani, Macedones, Romani, quorum Respublicæ & regna non vetustate velut senio, nec Parcarum violentiâ, nec casu & temeritate; sed singulari sanctissimi numinis decreto & floruerunt, & conciderunt. Idq; tum sacræ, tum profanæ literæ infinitis exemplis declarant atq; testantur. In bello deinde suscipiendo conficiendoq; num

doq; num quidquam rectè geretur, si divina vis atque benignitas absit? Quid juvat delectus habere maximos, ingentes comparare exercitus, equitatum innumerabilem armis instruere, si numē adversum infensumq; habeas? Neque enim in multitudine & fortitudine militum, neque in ducum excellentiâ, sed in cælestis numinis ope, victoria salusq; bellica consistit. Quid de privatis denique hominum studijs & actionibus dicam? Num cujusquam labor prosperè procedet, nisi divinam gratiam adjutricem habeat? Quot hominum millia in divitijs accumulandis omnes suas curas & cogitationes defigunt, earumque causa immensos labores & pericula subcunt? Quàm multi matrimonium copijs locuples, fide firmum, concordiâ jucundum, virtute honestum, tempore diuturnum ardenter concupiscunt? Quàm multi ad honores & dignitates, ad Magistratus, imperia & potestates adspirant? Quàm multi denique ad sapientiam & eloquentiam, ad cæteras artes atque scientias inflammatis studijs contendunt? At quotus quisque est, cui conatus adeò feliciter successerit, ut id quod vellet, & quemadmodum vellet, aliquando tandem assequeretur? Qui fit, quòd pauci admodum votorum suorum compotes evadunt? imò verò, quod exitus plerumque ab opinione eorum, qui ingenij acumine insolentiùs efferuntur, & sapientissimi haberi cupiunt, longè sint diversi? frustra, frustra nimirum vigilant: frustra consultant: frustra in omnes partes versant ingenium: frustra denique in magnis assiduisq; laboribus vitam conterunt, quicunque neglecta divina luce, ingenio, judicioq; suo nimium confidunt, omnesq; vitæ rationes non in Dei numine, consilio ac voluntate, sed in proprijs viribus, propriaq; sapientiâ constitutas habent.

Quæ cùm ita sint, Auditores optimi, necesse est, ut quisque conatuum, studiorum, actionumq; suarum prosperos successus, atque exitus exoptet, ne vitam propria prudentiâ constituendam ac sustentandam existimet: ne opinione propriæ cognitionis insolenter efferatur: ne acumine & ingenio suo nitatur: sed gratiam divinam suo judicio semper anteponat, totumq; se divino numini regendum tradat atque committat.

DIXI.

ORATIO SECUNDÆ CLASSIS, RECITATA PER GEORGIUM ROTTENGATTER, Noriberg.

IN brabeo nostro, Rector Magnifice, vosq; cæteri Auditores humanissimi, effictus apparet adolescens militari habitu, gladium strictum in manu tenens: & propè eum mulier nuda, duello fracta & superata, humiq; strata conspicitur. Quorsum verò hæc imago spectet, quidve significet, agite paulisper mecum vosmet ipsi considerate. Ac ut mihi quidem videtur, vehementem atque acrem virtutis cum turpi voluptate pugnam nobis ante oculos ponit atque constituit: & verò pravas cupiditates fœdasq; libidines, veluti nocentissimas furias ac pestes, imperio rationis, ac virtutis robore coërcendas atque comprimendas esse, monet. Quid enim abjectius, quid turpius, quid perniciosius, quid acerbius atq; molestius est flagitiosæ voluptatis consuetudine? Hæc, hæc est illa venefica, quæ hominibus lenocinio ad se allectis venenum melle oblitum propinat, eosque brutis animantibus similimos, imò verò etiam abjectiores atque deteriores reddit. Insidiatur autem hæc furia imprimis adolescentiæ; hæc namque ætas improvida est atque petulans, & ad libidinem maximè proclivis: ideoque insidiosis voluptatum illecebris facilè irretitur, atque inanissima spe delusa, in sempiternam fraudem conijcitur. Quemadmodum enim imprudens & imperitus viator, ardente cupiditate iter ingressus, in viam incidit obliquam, & vel vepribus ac dumetis horridam, vel latrocinijs aut immanium bellua-

rum la-

rum lustris infestam, vel præcipitijs periculosam, tandemq; erroribus atque periculis ita implicatur, ut nec regredi, nec insistere, nec progredi possit: sed aut spinis pungitur & sauciatur, aut à latronibus dispoliatur vel jugulatur, aut à bestijs dilaniatur, aut de saxo præceps agitur, atque adeò aut miserè perire cogitur, aut certè non sine maxima jactura summaq; difficultate evadit: ita adolescens libidinosus, & temeritate atque amentiâ præceps, dum iter affectat ad vitam in omni jucunditate traducendam, à recta ratione aberrat, atque ad improbos sodales, ad pestiferos adulatores, ad lascivas & impudicas mulierculas, cæterosq; id genus homines impuros defertur, quorum blanditijs, lenocinijs, & corruptelis depravatus, in omnem scelerum & flagitiorum gurgitem abripitur, & denique infinitis doloribus atque miserijs obruitur & opprimitur. Tantúmne igitur periculi à voluptate nobis impendet? Tantum profectò. Nam menti tenebras offundit, libertatem eripit, virtutis robur infringit, corporis valetudinem affligit, rem familiarem disperdit, dedecus atq; infamiam infert, vitam acerbam atque amaram efficit, atque adeò totius hominis statum labefactat, & deniq; importuna morte in flagitijs oppressum, ad tetras inferorum tenebras, cum sempiternis cruciatibus conjunctas, detrudit.

Quonam igitur præsidio magnitudo tanti periculi declinanda est? Virtute, virtute opus est: *qua acriter excitata, contra omnes cupiditatum impetus decertet. Nihil enim ad hominis dignitatem aptius virtute: nihil ad incolumitatem tutius: nihil ad decus elegantius: nihil ad oblectationem jucundius. Quid enim humanæ menti lumen præfert? Virtus. Quid animum invicto labore confirmat? Virtus. Quid ad divini numinis imitationem nos effingit? Virtus. Quid decus & dignitatem hominis tuetur? Virtus. Quid sanitatem, fortunasq; conservat & auget? Virtus. Quid denique totius hominis statum florentem atque beatum efficit? Virtus. O virtus igitur omnium bonorum mater, & rectè beateq; vivendi dux atque magistra! Nihil enim in vitâ boni sine te: nulla vera solidaq; gloria, nisi per te. Tibi, tibi, si qua est in his terris felicitas, adscribenda est.*

Quapropter Adolescentes suavissimi, quantum animo, quantum labore possumus, conniti atque elaborare debemus, ut virtutem summo studio consectemur & amplectamur: nec unquam ab illius conjunctione nos segregemus: voluptatibus autem non solùm repugnemus & obsistamus, verùm etiam illis magna contentione superatis clarissimum triumphum agamus. DIXI.

ORA-

ORATIO TERTIÆ CLASSIS, RECITATA PER BENEDICTUM AMMON, Noribergensem.

VT alia multa nobis in hac rerum universitate præpotens naturæ auctor & opifex proposuit, ex quorum intuitu commonefactiones multiplices de morum & vitæ conformandæ ratione peteremus: ita ne brutas quidem animantes, & inter has formosam illam & tremendæ velocitatis Indiæ belluam, Tigridem vulgo dictam, ab hoc veluti officio magnis de rebus, vitæq; officijs homines commonefaciendi, remotam esse voluit. Ea est enim, Auditores humanissimi, quam in congiario nostro cum globo vitreo, imaginem illius repræsentante, effictam cernimus, hac adjecta inscriptione: FALLIT IMAGO. *Quam belluam B. Ambrosius, alijq; veterum scriptorum nonnulli, memoriæ prodiderunt, cùm à pastu aut prædâ domum reversa, cubile suum, raptis sibi à venatore per absentiam suam catulis, vacuum reperiat: concitatissimo statim cursu raptorem ipsum quoque velocissimo equo, & in recentem subinde mutato fugientem insequi: illum verò percepto à longè illius fremitu, sphæram vitream, imaginem belluæ repræsentantem, humi proïjcere: quâ inventâ illam, quoniam fœtuum suorum unum se recipere existimet, revocato insequendi impetu, ad lactandum eum ibi se componere. Verùm ubi fracto mox vitro, inani se imagine delusam viderit, iracundiæ incitatam stimulo, multo majore quàm antea velocitate raptoris vestigia persequi. Sed tamdiu ab illo, repetito aliquoties alterum*

splen-

ſphærarum objectu retardari, donec ille in navem ingreſſus, irritam belluæ feritatem, fruſtraq; in littore ſævientem evaſerit. In qua quidem animantis hujus naturâ duo nobis, quorum alterum quidem fugiamus; alterum verò imitari ſtudeamus, ob oculos poſita ſunt. Primum iſtorum ſimilitudo illa eſt, quæ ingeniis noſtris, cum belluæ hujus ſtoliditate intercedit, imaginem ſobolis ſuæ pro vera ſobole amplexantis. Quam quidem multò maximam hodie generis humani partem imitari facilè deprehendet, qui oculos parumper in mundo circumferens, pleroſq; mortales deſpectis & neglectis bonis veris, fallaces & vanas illorum imagines & umbras, veluti canes quosdam Æſopicos, per ſummam dementiam captare, amplectiq; animadverterit. Dicam ſi potero paulo clariùs. Hominem ad purum numinis divini cultum, juſtitiaq; & cæterarum virtutum ſtudium, tanquam verum & unicum naturæ ſuæ bonum, à Deo optimo maximo conditum eſſe, divina pariter & humana, id eſt, rationis ſanæ, & clariſſimorum philoſophorum teſtatur auctoritas. Et in boni quidem hujus adeptione perfectionem & felicitatem hominis ſummam; in ejusdem verò privatione miſeriam illius extremam verſari, ipſum quoque apud omnes ſanæ mentis homines extra controverſiam eſt. At verò ſæculi noſtri mores quid ferunt? An non, ſi ad verum exigere rem voluerimus, pro pietate ac numinis divini cultu, ſummam vel profanitatem vel vaniſſimam pietatis ſimulationem & hypocriſin: pro virtute item tetram omnis generis vitiorum lernam miſeros & infelices hominum animos conſtrictos tenere, fateri cogimur? Utcumq; enim ſæpenumero & rerum omnium copia homines tales circumfluere, & verò honorum etiam, & dignitatum ſplendore, inter homines cæteros, velut inter ignes lunaminores, effulgere videamus: tamen cùm in nulla re veriùs, quàm in numinis divini contemptu: itemq; in vitiorum & improbitatis labe poſita ſit hominis miſeria & infelicitas; ſicut è contrario vera illius beatitudo, non in externorum bonorum affluentiâ, non item in multitudinis imperitæ adulationibus, ſed in animi culturâ, & in virtutis ac ſapientiæ poſſeſſione conſiſtere rectè dicitur. Ecquis miſeros & infelices appellare eos vereatur, qui omnem animi religionem, omnem vitæ puritatem & innocentiam adeò à ſeſe ſpernunt, ut ad eos tantùm, quibus Eccleſiæ & divinarum in ea rerum procuratio commiſſa eſt, eam pertinere, ſibi perſuadeant? Id quod à ſæculi hujus (ut divina eos vocat ſcriptura) filiis, ijs maximè, qui proſperis inſuper fortunæ flatibus, velut utres tumefacti ſunt, fieri ſolere,

usu & experientiæ quotidianæ testimonio constat. Cæterùm, ut relicta communi hominum multitudine, ad nostrum hoc scholasticum seu academicum vitæ genus accedamus, par quidem esset, ut qui honoratissimæ huic militiæ nomen dederunt, quantum honore inferioris vitæ ordinibus præstant, tantum etiam virtute ac modestiâ eos sibi superandos existimarent. Verùm in hunc quoque vitæ ordinem, de communis pravitatis & perversitatis fecibus, nimium quantum influxisse experimur. Nam ut fucos illos prætermittam, qui passim in communitatis istius societate versantes, diesq; noctesq; nihil aliud agunt, quàm quod corruptissimis & desperatissimis suis moribus, in odium atque contemptum apud alios ordinem honestissimum & liberalissimum adducunt: illi ipsi, qui bonæ frugi se præstare videri volunt, non parum sæpenumero de hac Tigridis nostræ similitudine traxisse deprehenduntur. Quippe quorum plurimi, nescio quo stultitiæ dementati somnio, stultâ & præproperâ festinatione ad superiorum, quæ dicuntur facultatum studia, sine præparatione necessariâ, hoc est, nullâ aut linguarum elegantiorum, aut antiquitatis eruditæ, aut philosophicarum artium cognitione instructi, hoc est, manibus pariter ac pedibus, quod dicitur, illotis, irrumpunt. Quos quidem, quis non dicat, pro verâ solidaq; doctrina inanem doctrinæ speciem, quâ imperitis olim hominibus fucum turpissimè faciant, consectari? Cæterùm, ut bellua hæc nostra, dum circa falsam sobolis suæ imaginem moras trahit, amissa veræ sobolis suæ recuperandæ facultate, non solùm maximo orbitatis dolore cruciatur, sed venatoribus insuper ludibrio est: ita hos dum fallacem virtutis & doctrinæ larvam amplectuntur: præcisa sibi à semetipsis ad veram virtutem, doctrinamq; solidam perveniendi facultate, in omnibus vitæ actionibus & consilijs ut graviter quotidiè impingant, inq; pudendos ac pernicioſos errores cum summo dedecore, animiq; dolore subinde prolabantur necesse est. Quorum malorũ unica hæc effugiendi ratio est: ut amantissimis præceptoribus nostris, in verâ ac solidâ tum virtute, tum eruditione nobis instillandâ, summâ fide ac diligentiâ perpetuo occupatis, aures animosq; cupidos & obsequentes præbeamus, agnitisq; & devitatis ipsorum auxilio erroribus, veræ virtutis & eruditionis viam, ab ipsis monstratam, impigrè constanterq; teneamus. DIXI.

ORA-

ORATIO QUARTÆ CLASSIS, RECITATA PER ANDREAM QUECCIUM, Altdorfinum.

QVod de Ecclesia, piorumq; in hoc seculo hominum conditione & fortunâ quidam memoriæ nostræ Poëta cecinit:

Sic Deus in mundo est, sic omnis bajulus ejus
Incedit, veluti per mare, perque lutum.
Per mare, perque lutum sed eat licet, it tamen usque,
Atque viam reperit per mare, perque lutum:

Hoc idem pulchra nobis imagine in congiario nostro depingitur, in quo rupem præaltam, supra maris undas eminentem conspicimus: quæ quamvis & horrisonis ventorum flatibus, & immanibus undarum fluctibus perpetuò incursetur: tamen elusò & contempto omni illorum impetu, incolumisq; ab illis, & inconcussa permanens, hujusmodi quendam de illis triumphum, veluti voce emissâ, canit: VINCO FERENDO. *Qua picturâ primùm quidem Ecclesiæ & piorum hominum, dum in mundi hujus peregrinatione versantur, fortuna & conditio nobis ob oculos ponitur. Ea enim est, quæ in mundo hoc tanquam in vasto & procelloso quodam mari, assiduis maximorum periculorum & ærumnarum jactatur tempestatibus. Nam si omnes mundi ætates animo cogitationeq; percurrerimus: nulla gens, nulla natio, nullus uspiam sub Sole hoc reperietur populus, qui tot & tàm varios hostes, tàm feros & crudeles, tàm callidos & versipelles, tantoq; animorum ardore in perniciem illius*

usu & experientiæ quotidianæ testimonio constat. Cæterùm, ut relicta communi hominum multitudine, ad nostrum hoc scholasticum seu academicum vitæ genus accedamus, par quidem esset, ut qui honoratissimæ huic militiæ nomen dederunt, quantum honore inferioris vitæ ordinibus præstant, tantum etiam virtute ac modestiâ eos sibi superandos existimarent. Verùm in hunc quoque vitæ ordinem, de communis pravitatis & perversitatis fecibus, nimium quantum influxisse experimur. Nam ut fucos illos prætermittam, qui passim in communitatis istius societate versantes, diesq; noctesq; nihil aliud agunt, quàm quod corruptissimis & desperatissimis suis moribus, in odium atque contemptum apud alios ordinem honestissimum & liberalissimum adducunt: illiipsi, qui bonæ frugi sepræstare videri volunt, non parum sæpenumero de hac Tigridis nostræ similitudine traxisse deprehenduntur. Quippe quorum plurimi, nescio quo stultitiæ dementati somnio, stultâ & præproperâ festinatione ad superiorum, quæ dicuntur facultatum studia, sine præparatione necessariâ, hoc est, nullâ aut linguarum elegantiorum, aut antiquitatis eruditæ, aut philosophicarum artium cognitione instructi, hoc est, manibus pariter ac pedibus, quod dicitur, illotis, irrumpunt. Quos quidem, quis non dicat, pro verâ solidaq; doctrina inanem doctrinæ speciem, quâ imperitis olim hominibus fucum turpissimè faciant, consectari? Cæterùm, ut bellua hæc nostra, dum circa falsam sobolis suæ imaginem moras trahit, amissa veræ sobolis suæ recuperandæ facultate, non solùm maximo orbitatis dolore cruciatur, sed venatoribus insuper ludibrio est: ita hos dum fallacem virtutis & doctrinæ larvam amplectuntur: præcisa sibi à semetipsis ad veram virtutem, doctrinamq; solidam perveniendi facultate, in omnibus vitæ actionibus & consilijs ut graviter quotidiè impingant, inq; pudendos ac pernicioſos errores cum summo dedecore, animiq; dolore subinde prolabantur necesse est. Quorum malorũ unica hæc effugiendi ratio est: ut amantissimis præceptoribus nostris, in verâ ac solidâ tum virtute, tum eruditione nobis instillandâ, summâ fide ac diligentiâ perpetuo occupatis, aures animosq; cupidos & obsequentes præbeamus, agnitisq; & devitatis ipsorum auxilio erroribus, veræ virtutis & eruditionis viam, ab ipsis monstratam, impigrè constanterq; teneamus. DIXI.

ORA-

ORATIO QUARTÆ CLASSIS, RECITATA PER ANDREAM QUECCIUM, Altdorfinum.

QVod de Ecclesia, piorumq; in hoc seculo hominum conditione & fortunâ quidam memoriæ nostræ Poëta cecinit:

Sic Deus in mundo est, sic omnis bajulus ejus
Incedit, veluti per mare, perque lutum.
Per mare, perque lutum sed eat licet, it tamen usque,
Atque viam reperit per mare, perque lutum:

Hoc idem pulchra nobis imagine in congiario nostro depingitur, in quo rupem præaltam, supra maris undas eminentem conspicimus: quæ quamvis & horrisonis ventorum flatibus, & immanibus undarum fluctibus perpetuò incursetur: tamen eluso & contempto omni illorum impetu, incolumisq; ab illis, & inconcussa permanens, hujusmodi quendam de illis triumphum, veluti voce emissâ, canit: VINCO FERENDO. *Qua picturâ primùm quidem Ecclesiæ & piorum hominum, dum in mundi hujus peregrinatione versantur, fortuna & conditio nobis ob oculos ponitur. Ea enim est, quæ in mundo hoc tanquam in vasto & procelloso quodam mari, assiduis maximorum periculorum & ærumnarum jactatur tempestatibus. Nam si omnes mundi ætates animo cogitationeq; percurrerimus: nulla gens, nulla natio, nullus usquam sub Sole hoc reperietur populus, qui tot & tàm varios hostes, tàm feros & crudeles, tàm callidos & versipelles, tantoq; animorum ardore in perniciem illius*

incumbentes expertus sit, quàm à primâ sui origine in præsentem usque diem experta est Ecclesia: invalida quidem illa & imbecillis: veruntamen Christi, Sponsi & Servatoris sui ope, hostium & tyrannorum omnium victrix. Nam ut maximè cum improbis & nefariis illorum conatibus, non exilia modò & paupertatem, sed etiam gladios, ignes, feras, omneq; tormentorum genus & Ecclesiæ, membrisq; illius intendentium, ipse quoque mendacij pater cum omnibus copiis suis se conjungat: illa tamen super firmissimam Christi fundata petram, nihil non modo malorum istorum, sed ne inferorum quidem portas extimescit. Nimirum pro comperto habens, nihil aliud eos, quàm contra stimulum, quod dicitur, calces jactare: & quæcunque in piorum exitium machinantur, in propria illorum capita esse recasura. Non aliter quàm vel maris fluctus, in scopulum aliquem illisos frangi, & in vilem spumam extenuatos deperire videmus. Se verò adeò nihil detrimenti passuram, ut, quod de duobus olim fratribus Jacobo & Esau divinum prædixit oraculum, majorem minori servituram esse: non magis in illis olim impletum, quàm in se membrisq; suis impletum iri, certissimè persuasa sit: hoc est tyrannos & persecutores crudelitate sua multò magis profuturos, & servituros ipsi esse, quàm cladem aliquam miserabilem illaturos. Etenim quisnam plurimum eos inservire illis neget, quorum virtutem dum improbo dominatu suo opprimere atq; extinguere dies noctesq; annituntur multò clariorem illustrioremq; reddunt? Verè enim sic res se habet, ut ignis aliquis forte stuppâ verberatus, auctior tum clariorq; existere solet: sic & tyrannorum improbitas Ecclesiæ mentibusq; piis alimentum tantum sit & fomes.

Alterum verò, quod numismatis nostri picturâ designari mihi videtur, sunt ingenia præclara eorum, qui operâ institutionis & disciplinæ accuratæ confirmati, virtutisq; & doctrinæ soliditate roborati, non modò contra vitiorum & mundi hujus voluptatum illecebras immoti, invictiq; persistunt, sed improborum etiam invidiam & odia excelso animo despiciunt: suaq; integritatis & puritatis conscientiâ subnixi, perpetuâ animi tranquillitate, lætitiâ & spe, tanquam jugi quodam, ut divina loquitur scriptura, convivio suavissimè pascuntur. Cum è contrario improbis & sceleratis omnia alia evenire videamus: quorum animos, si oculis nobis intueri liceret, nil aliud, quàm gravem flagitiorum tumultum, horribiles ac perpetuos animi angores & pavores, angulos & umbras omnes formidantes, & miseram conscientiæ, velut

in equu-

in equuleo suspense, latera ceu leoninis unguibus radentes, visuri essemus.
DIXI.

GRATIARUM ACTIO, RECITATA à JOHANNE SCHMID, *Noribergensi.*

ERgo ego, quem teneræ puerili in pectore vires,
Et quem delirantis adhuc infantia linguæ
Hinc ligat, hinc tantæ offundit caligo coronæ,
Tanta canam, tantoque gemam, sub pondere pressus?
Ni tua me extollat, Rector venerande, voluntas:
Velle tuum valet huc etenim, quò nostra nequit vis.
O qui summe clues benefactis omnibus auctor,
Fons æterne boni, æternæ pelagusque salutis:
Qui nos è nihiloque creas, in nilque relapsos
Mox vitæ reparas precioso sanguine nati:
Cui, quæcunque sumus perfructi commoda vitæ,
Ac studia hæc sophiæ, Musarumque otia dia,
Otia dia, feros extra subducta tumultus,
Cunctaque debemus; quas ô tibi, Dîe Deorum,
Mortali ore canam laudes, quæ carmina dicam?
Non opis est nostræ: non quicquid ubique cohortis
Per vulgat cœlum angelicæ radiantibus alis,
Æternoque tui præconia personat hymno.
Jam cœlo paullum descende, & proxima cœlo
Calliope loca perlustra, qua diva procellis
Altiùs humanis effert se Norica, fulgens
Tota, & purpureo vincens clara astra Senatu.
Ille & fundator nostri, tutorque Lycæi,
Ille pruinoso horrentes velamine Musas
Haud dedignatus curâ usque fovere benignâ.
Unde ego vos usurpo oculis, ô lecta Senatus

Pignora, Pieriæ tutella decusque cohortis:
Vos, innixa humeris quorum Schola noſtra cohæret,
O nos præſentes dignati ſidere veſtro,
Ac viſi tandem ſtellæ affulſiſſe ſalubres:
Qualis ubi feſſis, poſt ſæva pericula nautis,
Pacatamque maris rabiem Cynoſura reluxit.
Queis ego vos ornem verbis, quo carmine mactem?
Non huc noſtra valet levis ac ludicra Camœna:
Non, ſi Smyrna tuum vatem, ſi clara dares tu
Mantua, conſcendant hi veſtræ culmina laudis.
Nec tu etiam vultus hos ignorabis amicos,
Muſa, locis variis quos noſtro excivit honori,
Quosque adeò huc traxit ſtudiorum nobilis ardor,
Lecta manus: (pia enim fautrix virtutis & artis)
Nunc tua quo benefacta canam celeberrima verſu
Rector, Athenæi præluſtris gloria noſtri.
Qui Palinurus uti, Pelagi ſurgentibus undis,
Uſque gubernando vigilax adfixus adhæres,
Atque geris curam noſtræ, indefeſſe, ſalutis.
Sed ne Muſa nimis campo ſpacieris aperto,
Cætera multa brevi, quæ reſtant, contrahe gyro.
Vos ô, quos veneror, doctrinæ lumina, myſtæ
Pallados Eunomiæque, ſagaci corde politi,
Dicta quos cultum claravit fama per orbem,
Ingenii formatores, morumque benigni.
Vos ego ſubmiſſus ſermone appello modeſto:
Veſtris uſque pius cœptis arrideat æther.
His juxta atque tibi, juvenum lectiſſime, cœtus,
Stemmate quique antiſtatis, quique arte decori,
Ingenio mores quique adjunxiſtis honeſtos:
Pro meritis, inquam, veſtris, vultuque benigno,
Et quo præſentes nos condecoraſtis honore,
Spondemus memoremque animum, grateſq; perennes.

DIXI.

XXV. PA-

XXV. PANEGYRIS, Anni 1601,

CELEBRATA

SUB RECTORATV D. M. GEORGII GLACIANI, FACULTATIS ORATORIÆ PROFESSORIS.

ORATIO PRIMÆ CLASSIS,

RECITATA à GEORGIO ROTTENGATTER, Noribergensi.



ANtiquorum Græcorum sapientia, Nobilissimi atque Splendissimi hospites tum ex multis aliis rebus illuxit, tum imprimis ex apologis, sive fabulis, aut picturis, quas proposuerunt populo. Nam utar hoc in augustissimo conventu, multis exemplis, veluti Stesichori, de equo ad Phalarin, Æsopi de vulpe ac leone ad Samios: Amasis de pelvi ad Ægyptios, Cebetis & aliorum. Ante oculos nobis est splendidissimum munus, ab Amplissimo Senatu Norico juventuti decretum. Ejus hæc est imago: duo

go: duo sunt canes ejusdem matris, quorum alter ferculum olfacit, & devorat: alter leporem indagatur & corripit. Et addita sunt hæc verba, auro magis aurea: MORES DISCIPLINA FACIT. *Sapientissimè profectò, & exemplo summi illius Lycurgi: qui cum intellexisset Lacedæmonios plurimum in origine sua, quam ab Hercule repetebant, gloriari: & virtute relicta, fumosas captare laudes, ut antiquùs Poëta de sui temporis nobilitate dixit: consilium hoc cepit, & concione convocata duos catulos, alterum ad venationem & prælium educatum; alterum ad culinam, in medium producit, eodemq; tempore ferculum projicit, & leporem emittit. Ibi venaticus fastidito ferculo feram insectatur; alter verò, qui culinam olebat, escam invadit & vorat. Mihi hac de re sermonem instituenti præclarissima hæc visa est imago, & nostræ ætati convenientissima. Quid enim antiquissima illa disciplina, & majorum nostrorum severitas, quò tandem migravit? Equidem ita à magnis viris accepi, olim & Græcos & Romanos hac solâ re ad tantum potentiæ virtutumq; fastigium, tàm pleno gradu ascendisse: quippe quibus disciplina, ut ait Jurisconsultus, antiquior fuit, quàm liberorum charitas. Proh Deûm atque hominum fidem! quicquamne majoribus nostris carius atque sanctius esse potuit, quàm ipsorum liberi? ita verò seriò potuit. Nolo de disciplina militari, neque de Ecclesiastica, neque de ipsorum civium plura dicere, quàm meæ ætati convenit, quandoquidem adolescens sum, & ab omni dicendi studio inops ac penè infans. Cæterùm compertum est, quemadmodum disciplinæ militaris contemptus, hostibus aditum conciliat, ad invadendam & occupandam Rempublicam: sic censuræ Ecclesiasticæ, quæ olim in maximo usu fuit, neglectum omnibus sceleribus in Republica fenestram aperire, ut in quadam Epistolâ præclarè ostendit Cyprianus. Mihi hoc tempore circa disciplinam scholasticam occupato esse libet, quæ quidem mihi duabus de causis à majoribus nostris instituta esse videtur. Primum ut juvenum mentes eximiis virtutibus; deinde ut literis & doctrinâ imbuantur. Utrumq; si ritè fiat, permagni Reipublicæ interest. De prima educatione præclarè scribunt Aristoteles, Plato, Plutarchus: adeoq; neminem ad studia literarum & Philosophiæ admisit antiquitas, quin liberaliter à pueris fuisset educatus. Sed hoc tempore contrà fit, nam promiscuè in hoc sacrarium recipiuntur ij, qui & à majorum virtute, & ab ingenio excluſi sunt. In castris nonnunquam delectu habito, si quis vel manu, vel pedibus ridiculus sit, militiâ solvitur. Atque olim apud*

Romanos,

linteones, piscatores, dulciarij, alijq; sedentarij opifices ex castris pellebantur. Laudabiliter profectò. Quenam igitur hæc est insolentia, ad studia literarum, quæ & rei utilitate & præstantiâ arti militari non cedunt, imò hujus sunt veluti dominæ, promiscuè omnes sine delectu admitti? Opifices ergo, linteones, piscatores, indigni sunt, qui in hostem pro patria pugnent? Qui verò Rempubl. administrẽt, digni erunt? Ad venationẽ non omnes promiscuè usurpantur catuli neque ad bellũ omnis generis equi; sed sensu tum stirpis, tum patriæ habito. Quæ est ergo hæc ignavia, ad hanc rem tàm præclaram, tàm insignem vilissimos etiam admitti, adeoq; sæpè vulgi quisquilias & floces? Deinde morum & virtutis prior cura esse debet, postrema literarum. Nunc verò cõtra reperiuntur in censu nostro non pauci, qui laudabiliter in literis profecerunt. Quotus verò quisque est, qui animum exornet præclaris virtutibus. Itaque literarum & eruditionis summa habetur ratio; morum atque virtutis non item. Nimis magni fit, purè loqui latinè de quapiam re, in utramque partem posse disputare: verùm elegantibus moribus indutum esse, sobrietati atque frugalitati studere, ab omni petulantiâ atque lasciviâ alieniss imum esse, quantumvis hæc sint multò præclariora, nemo non dicam, non æstimat, imò unusquisque hujus rei curam abijcit. Æmilius Paulus in milite suo, penè nihil præter obedientiam efflagitabat. Equidem haud scio, an nostrâ ætate, & in hac militiâ quicquam magis dignum videri possit, quàm benè monentibus morem gerere. Quod eundem Lycurgum instituisse, author est gravissimus Plutarchus: literas, inquit, modicè docuit cives suos Lycurgus: reliqua disciplina erat omnis obtemperandi. Severè igitur instituendi sunt adolescentum animi, & gradatim in studiis literarum grassandum est. Non sunt è re nostrâ (fatendum est enim) nimiæ istæ transilitiones. Prius lingua sermone culto imbuenda: latinæ, græcæq; literæ addiscendæ sunt, quàm ad graviores scientias aditus fiat. Nunc contra plerique, antequam literarum tyrocinia deposuerunt, ad jura ruunt & ad forum, supra modum investes atque implumes, & suasmet ipsi spes, ut prudens scriptor de Buthridio adolescente ambitiosissimo loquitur, anteire parant: quod multos etiam bonos pessumdedit, qui his omnibus spretis, tardâ cum severitate ad præmatura vel cum exitio properant. Quod si nunc ad naturam optimam institutio accedat, sed solida, sed severa, tum verò aliquid eximium enasci oportet. Doctrina, *ut cecinit Poëta Lyricus*, vim promovet insitam, Rectiq́ue cultus pectora

roborant. *Neque enim sufficit majorum virtutes, à tot avis, proavúsq; per occultos naturæ tractus deductas, possidere. Equidem pulchrum est, bono loco natum esse, nobilem & patricium esse: sed majora supersunt. Quare cùm cuidam apud Romanos exercitus mandaretur, quòd esset filius Vitellij ter consulis, cætera ignavus, trepidus, temulentus: historicus subridens: id satis, ait, videbatur: quasi verò satis esset ter consulis filium esse. Mihi verò ij, qui gloriam à majoribus acceptam possident, eò magis omni profectò openiti debere videntur, ne vetustissimam & clarissimam suæ gentis lucem sua ignavia patiantur obfuscari atque extingui. Quò turpius Lacedæmonij, quod originem suam cum Hercule conjunctam esse existimarent, omne virtutis studium deposuerunt: rati solam nobilitatem ad summam felicitatem satis momenti habere. Atque Lycurgus, vir sapientissimus (talis enim fuit) hoc insigni edito spectaculo, conversus ad populum: videtis, ait, ô mei Lacedæmonij, parvi interesse, utrum ab Hercule originem ducatis, an verò minus; nisi majorum vestrorum facta eodem virtutum studio atq; æmulatione æquaveritis. Quo consilio effecit Lycurgus, ut haud multò pòst senes & juvenes inter se pari studio de virtute certarint. Cùm enim senes in convivio carmen in hanc sententiam decantarent:*

Nos quondam eramus inclyti bello viri:

Juvenes exceperunt:

Nos ii sumus, fac si voles, periculum.

Pueri autem subsecuti sunt:

Nos verò aliquando fortes erimus.

Quod spectaculum cùm hoc sereno die Amplissimus Senatus Noricus, veluti alter Lycurgus, nobis edat, ita identidem mihi nobiscum loqui videtur: O nostri splendidissimi juvenes, quorum salute nihil nobis prius potest esse aut antiquius, quandoquidem hæc occasio, Dei gratiâ & majorum nostrorum virtute, vobis suppetit, ut vos è profanâ turbâ eripere possitis: Incumbite quæso, atque utimini tempore. Ineptiæ sunt, nihil nisi multas imagines & avorum facta ostentare posse. Quod nisi ipsi regiam viam in virtutum studio iniveritis, ne quidem Deorum immortalium vobis proderit necessitudo. Qui enim comessationi, epulis & voluptati indulget cum humi repere, & obbrutescere oportet instar saginati canis: qui verò omnibus virtutum & literarum studijs animam irrigat, cum humo tolli, & instar generosissimi canis per de-

per devia & mortalibus inconcessa ferri necesse est, quemadmodum Cassius Poëta de Orpheo canit, & addit:

------Etenim musæ pallebat amore.
Nulla Venus faciem cœpit mentita dolosis
Compedibus, somni fuerat parcusque Lyæi.

Dixi.

ORATIO SECUNDÆ CLASSIS, RECITATA PER BENEDICTUM AMMON, Noribergensem.

Quam vereor, Amplissimi atque Splendidissimi hospites, ne imago hæc difficilior sit, quàm cui ego explicandæ par sim. Ecce enim Nemesis, id est, divina justitia fortunam captivam catenâ ponè se ducit, atque trahit. Pulchrum, me hercule, spectaculum: At enimverò quid est, quod possit puer de tàm ardua re in medium proferre? Quò mihi felicior visa est conditio, qui de catulis, quibus nostra ætas mirificè delectatur, sermonem instituit jucundissimum. Mihi verò de divina justitia dicendum est. Quò igitur me vertam? Numinisne divini potentiam, an fortunæ varietatem vobis commemorabo? Nam de fortuna quid potest à me dici, quod vel cum aliqua voluptate conjunctum sit, vel vos tantò antè non provideritis? Quid enim miseri homunciones sumus, ac ne vix quidem tales? Quibus calamitatibus, cui fortunæ imperio, ab eo tempore, quo in lucem editi sumus, obnoxij non sumus? Quadrimi, trimi, sæpè bimi, à charissimorum parentum amplexu divelli-

mur, & in alienas terras extrudimur, idq; virtutis causa, & præclarè quidem. Veruntamen quæ discrimina non subimus? nunc corporis, nunc animæ, ac salutis nostræ periculum facimus: nunc ad omnia perturbationum, libidinumq; genera plenis quasi velis ruimus, & singulis momentis à recto rationis statu deijcimur, atque deturbamur. Hujusmodi est ætatis nostræ ratio, nunc dolore & lachrymis, nunc gaudio & risu oppleri. Sed hæc fortasse parva sunt, neque hoc tàm illustri confessu digna. Ad ætatem porro aliquam cùm adolevimus, jamq; multos labores, quà discendo, quà peregrinando, quà militando exantlavimus, & fortè omnia hæc pericula effugimus: tum verò domi nos circumvallant, ut cum Poëta loquar, milleno milite curæ. Nonnulli nostrum invadunt Rempublicam: rem profectò liberali homine dignam. Sed putatisne in dignitate, in honore, in Republicâ mera Alcyonia esse. Memini ego me à clarissimis viris accepisse (& verò ita res habet) reliquos labores, & solicitudines præ hisce ludos & jocos esse. Tum demum cum invidiâ, cum improbitate, cum inimicitijs luctandum est: tum magna cura Respublica administranda: vulgi impatientissimi natura temperanda: seditionibus, quarum fragore Reipublicæ orbis veluti circumit, & latè sonum dat, prævertendum est. Postquam jam decursa penè ætate, senio conficiuntur, tunc verò morbis consumuntur atque ærumnis, &, ut cætera rectè animo sint, nonnunquam nostris, id est, liberorum suorum enecantur infortunijs, quemadmodum de Augusto, principe cæteroquin felicissimo, scribunt Suetonius & Tacitus. Quod si mihi liceret, neque ab ætate mea, neque ab hoc serenissimo tempore alienum esset, publicarum etiam rerum discrimina vobis ante oculos ponerem. Ecce enim, jam immanissimus hostis (ut intercutes Rerumpublicarum febriculas, & dissidia taceam) parentum nostrorum cervicibus imminet: & nos speremus fore, ut ætatem nostram commiseretur? Nimis, nimis multa exempla sunt ipsius immanissimæ crudelitatis. Nunquam monstrum illud antè ætati nostræ tenerrimæ atque imbelli pepercit. Quod si Deus immortalis ipsius cursum non sistiterit: rapiet, prosternet omnia sursum versum, neque tantùm militum robustissimorum verùm etiam nostro innoxio sanguine, crudelitati suæ perlitabit. Lacrimas videor mihi excutere, quas debeóne iterum abstergere paulò latiori oratione? Intuenti enim mihi hujus splendidissimi præmij imaginem animus ex intervallo redit. Eccam enim fortunam, omnium harum miseriarum & calamitatum dominam, ut conculcata est, ut prostrata, ut capta & vincula trahens in triumphum educitur! Vicimus

Vicimus ô ſocii, & magnam pugnavimus pugnàm:

Imperatores olim Romani, cum tempore difficillimo res vel domi, vel militiæ fortiter geſſiſſent, bello devictos Reges poſt ſe trahentes in urbem atque triumphum educebant, editis omnium generum ſpectaculis & lætitijs: Pulchrè medius fidius.

At verò vobis, ſplendidiſſimi Hoſpites, quid videtur de hoc Ampliſſimi Senatus Norici ſpectaculo? Deus, Deus, inquam eſt, cujus arbitrio omnia humana negotia vertunt, qui impotenti fortunæ frenum injecit: Adhuc enim nobis ſunt arma, equi, viri: neque prorſus de nobis actum eſt, & utut aliquando pereamus, noſtræq; ſecuritatis atque ignaviæ pœnas demus: tamen magno & tranquillo juvat eſſe animo: quo qui præditi ſunt, ii fortunam pro libitu tractare, atque fabricare poſſunt. Cæterùm quoque Adoleſcentes, (ad vos enim imprimis mea ſpectat oratio) in quos hæc animi magnitudo non cadit, quantumvis nonnunquam cum infortunio negotium habetis, ne deſpondete animum. Quod ſi in officio fuerimus, hoc eſt, pietati & virtuti operam dederimus, omnia pro nobis optimè vortent: adeoq; noſtra expectatione feliciùs. Nemeſis enim, quæ eſt regina cauſarum, ut Ammonius loquitur, & arbitra rerum, fortunam in vincula compegit. Quin ergò recipitis animum, Splendidiſſimi Hoſpites, profectò aliter hujus vitæ humanæ ratio non conſtat. Nunc calamitates hominem occupant, nunc gaudia. Quodcunque accidit, pretio bonæ conſcientiæ ſublevandum eſt. Mundus univerſus irquit elegantiſſimus Arbiter, exercet hiſtrioniam, nunc in ſcenam producit meras triſtitias, nunc effuſiſſimas exultationes. Sæpe enim bona etiam ex tranſverſo incidunt, quæ ne ſomniavimus quidem, nedum expectavimus, nonnunquam etiam mala. Nec enim beata vita eſt, ne putemus adoleſcentes, ad focum & patinas deſidêre, indulgere genio, molliter cubare, voluptatibus collutulari.

Sed nullos trepidum timere caſus,
Nec vano populi favore tangi,
Et ſtricto nihil æſtuaré ferro.
Hoc quiſquis poterit, licebit illi
Fortunam moveat loco ſuperbus.

Verùm, quo abripit me puerum tàm ardua oratio: nimis enim & ſupra ætatem videor vobis philoſophari: Cæterùm Deum immortalem obteſtor, ut

Respublica Norica diu florens sit, adeoq; ejusdem Amplissimus Prudentissimusq; Senatus sæpenumerò nobis hujuscemodi præclara spectacula edere possit. DIXI.

ORATIO TERTIÆ CLASSIS, RECITATA PER JOHANNEM-PAULUM COLER, Patric. Noriberg.

ETsi probe intelligo, ornatissimi Auditores, imperitiæ me & temeritatis jure accusari posse, qui vos, doctissimis adhuc commilitonum meorum acroamatibus, veluti ciborum lautissimorum ferculis suavissimè pastos atque refectos, jam veluti ad vulgares, nec ulla sciti alicujus saporis gratiâ commendabiles, balbutiei meæ cibos vocare audeam: tamen cum mihi persuadeam, cujusvis potius opinionis aleam subeundam, quàm ut pervicaciæ & obedientiæ recusatæ damnari possis, committendum esse: Equidem, quod Magnifici Domini Rectoris mihi imponit auctoritas, utcumq; potero, exsequi malo: quàm parùm obedienter illud detrectando, justissimam bonorum omnium reprehensionem atque odium incurrere. Quod obsequium meum in meliorem partem à vobis acceptum iri, cùm magnam mihi humanitas & benevolentia vestra spem faciat, pluribus ambagibus prætermissis, ad ipsum muneris mihi imposiți negotium accedam.

In congiario igitur, Amplissimi ordinis munificentiâ nobis tributo, Sciurum effictum conspicimus, parvæ corticulæ insidentem, eaq; ceu naviculâ flu-

men va-

men vastum trajicientem, caudaq; in altum erecta, pro velo expanso utentem, cum hoc Epigrammate: VINCIT SOLERTIA VIRES. Nam cùm benignissima rerum omnium parens natura bestiolam hanc propter corpusculi exiguitatem & pilorum in cauda villosa densitatem, (quæ aquis onerata, pondere suo facilè eam in profundum demersura esset) natando flumina superare non docuerit, hanc ingeniosam ea transfretandi rationem ipsi demonstravit. Qua in re, summam maximeq; suspiciendam Dei optimi maximi tum bonitatem, tum sapientiam nos admirari & venerari par est, per quam ipsi non satis fuit, rebus à se conditis omnia, ad naturæ ipsarum perfectionem necessaria, benignissimè & liberalissime contulisse: nisi eorum etiam defectum, quæ quia in unum, ut Seneca ait, non coibant, in eas conferri non poterant, alijs quibusdam & quidem ejusmodi dotibus compensaret, quarum adjumento ea, quæ naturæ ipsarum conservatio & incolumitas desideraret, adeo dextrè & feliciter comparare sibi possent, ut alteras illas, quibus destitutæ sunt, naturæ dotes, non magnoperè desiderare, iisve opus habere videantur. Ex quo bonitatis & sapientiæ divinæ fonte hoc quoque fluxisse, nemini dubium est, quòd hominibus, remotiores à Solis orbita terræ partes incolentibus, ad sublevandam caloris inopiam frangendamq;, & à corporibus ipsorum arcendam frigoris inclementiam, maximam & lignorum & pellium omnis generis vim & copiam suppeditavit, denegatam ijs, qui propter commodam cœli aërisq; temperiem, Solis vicinitate ipsis effectam, ijs, quas dixi, rebus facilè carere possunt. Sic ejusdem bonitatis & sapientiæ divinæ beneficium est, quòd eorum naturæ munerum loco, quibus sæpenumero genus nostrum, à brutis animantibus nimium quantum superari animadvertimus, animum nobis, rationis acumine atque solertia itemq; artium variarum subsidijs excultum atque instructum concessit. Quam quidem rationem ijs omnibus, quibus à bestijs genus nostrum superari dixi, tum dignitate, tum utilitate infinitis partibus antistare, facilè animadvertet is, qui perpendere animo volet, quantò præstabilius sit, rationis beneficio sub imperij nostri jugum bestias mittere, & ad parendum inserviendumq; usibus nostris eas obnoxias habere: itemq; pascendis, vestiendisq; corporibus nostris, varij generis alimenta atque integumenta ab ijsdem nostro arbitratu capere, quàm vice versa ab illis hæc omnia perpeti. Amentissimus profecto sit oportet, qui, ut Marcus Curius olim Samnitibus aurum habentibus se imperare

imperare malle dicebat, quàm aurum possidentem ijs servire: non eodem modo, in cætera animalia, quamvis generi nostro, ijs quas dixi rebus plurimum antecellentia, imperium obtinere malit; quàm vel eximio quodam modo illis instructus illorum esse imperio subjectus.

Pari ratione, ipsos inter se homines, eâdem hac donorum varietate divina sapientia distinxit, ut scilicet in unum omnia non congesserit: sed in alijs quidem, roboris & virium corporis, ipsis denegatarum, locum, ingenij dexteritate & solertiâ expleverit, ita ut jure Poëtæ illud usurpare possint:

Si mihi difficilis formam natura negavit,
Ingenio formæ damna rependo meæ.

In alijs contrà, mentis & ingenij imbecillitatem virium & valetudinis firmitate compensarit: alijs item animi sedati tranquillitatem, & pacis artibus Rempublicam gubernandi prudentiam: alijs verò animum, mortis & periculorum contemptorem, resq; bello & armis, fortiter & præclarè gerendi impetum & scientiam concesserit, ita ut

Hic fatus ad pacem, hic castrensibus utilis armis,

Ut prudenter Poëta ait, deprehẽdatur: alios deniq; opum & divitiarum possessionibus cumulaverit: alios verò, quibus angusta res domi est, bonæ mentis possessione (at quanto externarum opum copijs pretiosiore) exornaverit. Ad hanc porrò naturarum diversitatem inter homines constituendam, hoc potissimum consilio (si divinorum consiliorum rationes mortalibus scrutari fas est) sapientissimus naturæ opifex adductus videtur, ut hoc ceu indissolubili quodam nexu & vinculo humanam consociationem devinciret: animos mutua inter se voluntatum propensione copularet: dum subindè alij ab alijs, quod ipsis deesset, petere & mutuari: deque eo quod ipsis superesset, iisdem impertire, atque ita mutuas inter ipsos necessitates & indigentias sublevare cogerentur.

Quam quidem divinæ sapientiæ ordinationem eâ mente nos intueri par est, ut si quibus fortè vel animi, vel corporis, vel externis fortunæ muneribus paulò cumulatiùs nos quàm alios instructos animadvertimus: nequaquam ea, ut præsentis seculi fert consuetudo, in superbiæ aut arrogantiæ materiam convertamus; sed legis illius, quâ in societatis hujus communionem recepti sumus, memores, in commune potius, & ad provehendas augendasq; aliorum utilitates conferamus: & quam ab alijs voluntatem commodis & necessitatibus

tibus noſtris inſerviendi poſtulamus, eandem nos quoque illis vicem voluntatemq; tribuamus. Sed ad Emblema noſtrum, à quo longiùs paulò digreſſus videor, me recipio.

Cum igitur & Sciuri hujus noſtri imagine, & infinitis alijs, cùm cæterorum animalium, tum experientiæ quotidianæ exemplis (quorum commemoratione tẽporis anguſtia me abſtinere cogit) doceamur, in vitâ noſtrâ longè plurima, ad quæ efficienda corporis vires aut conſtitutio nullam vim habent, ſolâ mentis & ingenij dexteritate effici ac parari poſſe: quid aliud quæſo, chariſſimi commilitones (ad vos enim mea ſe jam convertit oratio) poſtulari à nobis arbitrabimur, quàm ut omni ſtudio & curâ, eam, quã dixi, ingenij vim & ſolertiam excolere laboremus? hoc eſt, ſpretis & repudiatis otij & voluptatum inanium, adde etiam ſodalitiorum pravorum illecebris & corruptelis, tanquã certiſſimis animorum & ingeniorum liberalium peſtibus, artium & doctrinarum liberaliũ ſtudia (in quibus ſolis omnis culturæ hujus ratio conſiſtere videtur) ſummâ diligentiâ & alacritate amplectamur, & conſectemur: Et jam quidem, dum ætas docilis & præclariſſimæ occaſiones divinitus nobis ſuppeditatæ ſinunt, ſementem faciamus: olim verò exhauſtis atq; ſuperatis puerilium ſtudiorum moleſtiis omnibus, copioſam atque lætam inde virtutis & eruditionis & aliorum, qui ex illis ceu fontibus ſalùberrimis emanare ſolent, pulcherrimorum fructuum meſſem percipiamus. DIXI.

ORATIO QUARTÆ CLASSIS, RECITATA PER WOLFGANGUM CHRISTOPHORUM STIBAR à Buttenheim, Francum.

CUm ipse fateor, humanissimi Auditores, tum vobis quoque non difficilis conjectura est, provinciæ huic, quam mihi impositam videtis, sustinendæ & cum laude administrandæ minimè pares esse humeros meos; veruntamen cum Magnifici Domini Rectoris, eam mihi imponentis, autoritati refragari mihi religio sit: vos majorem in modum rogo, ut obsequium hoc meum, omni jure ipsius magnificentiæ à me debitum, in partem meliorem interpretari velitis: idq; facturos vos esse, cùm certam mihi candor & humanitas vestra, spem faciat, recta ad congiarij nostri Emblema pro imbecillitatis meæ modulo explicandum, aggrediar, in quo Horologij imaginem repræsentatam cernimus, quod levi arenularum per angustum foramen defluentium lapsu horas metitur, cum hac inscriptione: PAULATIM NON IMPETU. *Quæ quidem imago simul & inscriptio duo hominum genera, docentes scilicet atque discentes officij sui commonefacit, & quo pacto in curâ illius comparare atque gerere se debeant, instituit. Et docentes quidem in hanc curam incumbere jubet, ut nimiâ atq; immodicâ doctrinarum & præceptionum copiâ & mole commissæ fidei ipsorum juventutis ingenia non obruant; sed sensim & particulatim ea, quorum scientiam illis tradere instituunt, teneris animis instillent, eaque in re cùm*

horologij

horologij ipsius naturam, (in quo arena non uno impetu, sed paulatim per angustum decidendo, horæ perfectionem efficit:) tum ipsius etiam naturæ rationem, agendiq; modum imitentur. Quam naturam in rerum generatione hunc tenere ordinem animadvertimus, ut manu, quod dicitur, non verò sacco ipso sementem faciat: hoc est, non uno temporis momento, suam rebus perfectionem tribuat: sed ea, quæ ad constitutionem earum pertinentia primum ipsis largita est, alijs atque alijs subinde accessionibus augendo, paulatim ad perfectissimum & optimum earum statum eas perducat. Cujus rei exempla in omnium naturæ operum generatione observare licet. Quin etiam naturæ ipsius auctor & parens, Deus optimus maximus, hunc eundem modum agendi, cùm in universitatis hujus creatione; tum in revelanda humano generi naturæ & voluntatis suæ cognitione, tenuisse deprehenditur. Quis enim in sacrosanctis scripturarum divinarum monumentis adeo hospes est, ut ignoret, summum illum rerum omnium opificem, in creanda universitatis hujus machinâ, primum quidem rudem & indigestam cœli & terrarum massam divinâ verbi sui omnipotentiâ produxisse, eamque deinde facta dissimilium elementorum separatione perpolisse: tum omni herbarum atque plantarum varietate pulcherrimè ornasse & vestisse: hinc luminarium admirandorum fulgore simul atque calore vitali collustrasse, atque fovisse: itemq; variorum postea animalium variis, ut sic dicam, fœturis compleviisse & ad extremum homine (cujus usui atque utilitati hæc omnia inservirent) ad imaginis suæ similitudinem formato, supremam præstantissimo huic operi manum imposuisse? Pari ratione cognitionis quoque sui tenues primum & obscurum, multaq; caligine dilutum lumen spargentes igniculos protulit: quos subsecutis seculis novarum subinde patefactionum accessionibus auxit: quoad tandem divino Spiritus cœlestis munere, ad eam splendoris claritatem, qua hominum omnium, qui voluntariam sibi ipsis cæcitatem non accersunt, oculis oblucet, eos perduxit. Sed ad juventutis informationem redeo; in qua si præfixum eruditionis & doctrinæ illi tradendæ scopum attingere velimus, hunc, quem dixi, instituendi modum servandum esse, ex illustri M. Fabij hac de re testimonio clarissimè intelligitur. Sic enim ille: quemadmodum vascula, inquit, anguſti orificii superfusam humoris copiam respuunt: sensim autem paulatimq; influentem & instillatum liquorem recipiunt, receptumq; fideliter continent: ita puerorum anguſti & majorum adhuc incapaces animi,

nimiâ doctrinarum præceptionumq́, copiâ fatigantur & obruuntur: paucis autem & brevibus præceptis sensim, paulatimq́, implentur. Hactenus ille.

Alterum porrò hominum genus, quod officii sui, Emblematis nostri imagine commonefieri dicebamus, ipsa juventus est, quæ si solidum sibi ex liberalium studiorum tractatione fructum constare velit, ad horologii hujus nostri exemplum imitationemq́, ut omninò se componat, necesse est: hoc est, quemadmodum arenulas illius paulatim quidem, at continenter tamen, sineq́, cessatione & intermissione defluere videmus: ita nos quoque omnem à discendi curriculo cessationem & laboris interruptionem quàm longissimè removeamus, utpote in quo, secundum Senecam, ita res comparata est: quasi aquam exputeo extrahas. Nam ut hic si leviter manum remittas, duplo statim aut triplo majore velocitate, quàm attracta fuerat, urna ad ima revolvitur: ita ibi, nisi laboris & studiorum cursum assiduè & pertinaciter urgeas, quod longi temporis studio atq, industria vix consecutus fueras, brevissimo spacio elabetur & effluet. DIXI.

XXVI. PA-

XXVI. PANEGYRIS, Anni 1602.

RECTORE D. M. GEORGIO GLACIANO, FACULTATIS oratoriæ Professore.

ORATIO PRIMÆ CLASSIS, RECITATA ABERASTO ARTOPOEO, Bucholtensi Franco.

METus verbum est, Rector Magnifice, Pomponii, nisi fallor, in Asia: Auscultare disce, si nescis loqui. Hoc ut commendatũ mihi, meisque æqualibus præceptores mei voluêre: ita sanè ab observatione ejus nunquam abhorrui: etiam nunc non abhorrerem, nisi tu aliter velles. Quid enim nos Adolescentuli dignum augustissimo hoc consessu, eruditissimis his auribus adferamus? Veruntamen, quando ad te honor imperii merito tuo devolutus est: nosq; sacramento ad honesta quævis tibi obligati & obstricti sumus: parendi gloriam meam ducam, & quid dicam, insuper, quòd jussus dicam, curæ cordiq; habebo. Vos ego, Auditores splendidissimi, ut idem mecum faciatis, reverenter & officiosè rogo.

In brabeo, munificentiâ laudatissimi Senatus Norici mihi meisq; æqualibus oblato, effigiem Apollinis, stantis in excelsi præruptiq; montis (quem Parnassum esse existimo) vertice, & coronam manu extensa offerentis, video: Ad radices autem montis adolescentem arduo difficiliq; adscensu ad coronam contendere: cui iter per se plus satis impeditum, magis etiam utrinq; laterum impediunt, à dextra quidem Draco, qui ignem ore, oculis & latis naribus halans, sibilis suis ab adscensu repellere eundem satagit: à læva autem Leo immanis rugitu, tremendaq; facie, prohibere laborat; cum hac inscriptione: MERCES JUCUNDA LABORUM. *Quo quidem Emblemate, si quid ego video, hoc significari censeo: Nullis nos debere avocari difficultatibus, aut absterreri molestiis, quò minus ad veræ virtutis & eruditionis culmen pertingere laboremus: cum omnes remoras, omnia impedimenta aut molestias longè superet & excedat, jucunditas consequa, & merces sive præmium, quod nos re feliciter ad finem deductâ, tandem maneat.*

Hoc ut probius mecum, Adolescentes optimi, commilitonesq; charissimi, intelligatis: (nostro enim usu potissimum explicationes hujusmodi institui censeo) videamus breviter, qui labores nobis obeundi, ad virtutẽ & eruditionem adnitentibus? quæ objiciantur remoræ? quomodo ex declinandæ, aut vincendæ? denique quis victoriæ nostræ fructus, quæ merces? consideremus.

Ut omnia pulcra labore & sudore parantur: (δύσκολα γὰρ τὰ καλὰ) ita vel maximè, teste sapientiæ illo magistro Aristotele, τῷ τὸ χαλεπὸν εἶναι καὶ ἀρετὴ καὶ τέχνη. *Sudandum ergo nobis, & variè quidem, nunc in pravis cupiditatibus refrenandis, nunc in artibus dicendi, organicisq; disciplinis capiendis: hinc pedes in ipsas scientias inferendi, & cum ars longa sit, vita brevis, hinc temporis ratio habenda, & ne punctum quidem ejus otio transmittendum. Neque laborandum verò solùm, sed & pugnandum. Hinc enim hostes sese nobis obsistunt ad nocendum & absterrendum à proposito, non promti magis quàm validi, Draconibus non sævi minus, Leonibus non minus fortes, qui conatum hunc nostrum morari, tardare ac transversos tramite recti abripere in momenta singula satagunt. Qui illi hostes, dicatis? ignoratis ergo? at vel hinc discite, quantò plus noceant, qui non sentiuntur. Venter & Gula est; Somnus est; Venus est: uno verbo, Ignavia & Voluptas: quanquam & suam sibi ignavi voluptatem fingant. Ventrem temperantiâ coërcere oportet: Gulæ gula moderatione frangenda, & occasiones fugiendæ: Somnus vigiliis tem-*

giliùs temperandus, & Aristophanicum illud in oculis & animo esse debet:
ὕπνῳ δ' ἀπίσω γλυκύθυμῳ ὀμμάτων, id est:

Artis amans dulcem ex oculis aspelle soporem.

Venerem voluptatesq; alias cavere oportet, non aliter quàm

Carminis insidias magici seps exit opertis
Auribus:

Et cum Socrate ὥσπερ Σειρῆνας παρελθεῖν. Quæ omnia laboriosissima licet sint, χαλεπώτατον γὰρ ἐστὶ τὸ ἑαυτὸν νικῆσαι, tamen ad acriter obnitendum, & ad victoriam usque perseverandum excitare nos brabea debent, & coronæ victrices, pretio & dignitate sua nulla parte cum molestijs illis committendæ. Primum enim brabeum, quod nos manet, si culmen virtutum & eruditionis attigerimus, est sapientiæ magnum, Deus bone, bonum: & quo nescio an aliud sit sublimius: Hæc enim est quæ Deo nos jungit, quæ terris exemtos cælo locat; hæc est, quæ mentes nostras corporis veluti ergastulo conclusas, & tenebris penè Cimmerijs immersas, vinculis exsolvit, & in splendidissimũ Solis jubar producit: hæc denique est, quæ ad eam perfectionem nos perficit, ut mensura reliquarum rerum omnium simus, adeoque, quò propius alia ad nos accedunt, eò perfectiora habeantur. Alterum ab hoc: Rectè factorum & dictorum animus conscius est. Cùm enim rerum cognitione imbuti vitam quoque virtutum studijs conformem agimus: vera animi tranquillitate fruimur, nec malorum aut movemur invidia, aut frangimur irâ, fremituve concutimur: unde prudentissimè Symmachus, in solâ conscientiâ fructum & rationem virtutis esse dixit. Tertium denique Gloria est, & honor immarcessibilis, cujus boni præstantia si non aliunde, certè ex eo satis appareret, quòd nemo unquam post homines natos tàm fuerit obscurus: nemo tàm flagitijs sceleribusq; immersus aut coopertus: nemo denique tàm ab humanitatis cultu abhorrens, qui non gloriæ studio & honore promoveretur; neque verò injuria. Hæc enim gloria verè θεῖον quid est, & quò quisque honoratior inter homines, hoc Deo vicinior & propinquior est censendus. Hinc ergo illud Poëtarum fluit, jactantium, se, quos velint, carminum suorum remigijs è terris in cælum subvehere, & æternitate, Dijs proprio bono, mactare posse. At laudando solùm id præstare possunt, & præstitisse eos reapse argumento præstantissimi quique Heroës sunt, quorum Gloria eorum beneficio vivit, vivetq;, quàm diu labores eorum.

Quæ cum

Quæ cum ita sint, Adolescentes optimi, laboremus & pugnemus, neque terga vertamus hostibus nostris, sed ventrem temperantiâ, somnum vigiliis moderemur; voluptates alias abeuntes cum Aristotele spectemus, &, ut cum Livio concludam: Laborem & periculum impendamus, cum inde honorem & emolumenta tanta speremus. DIXI.

ORATIO SECUNDÆ CLASSIS, RECITATA AB ADAMO HRUSSKA MAJORE, Bohemo.



SI vos, Auditores splendidissimi, ex eo genere Varronum hodiernorum censerem, qui in omnibus juventutis industriæ invident: & honestissimis eorum conatibus, quas possunt, remoras objiciunt: equidem in hunc locum minimè progressus fuissem, utpote optimè meæ mihi infantiæ conscius. Sed quando vos Liviani illius Senis æmulos ex vultu & oculis vestris animadverto, qui ipse se gloriæ seniorum succrevisse meminerat, & ad suam gloriam connitentes, alios lætus adspiciebat: nihil dubito Magnifico Domino Rectori parêre, & de Emblemate mihi in brabeo proposito pauca dicere: cùm sperem, vos & parendi studium, & conatum honestum favore vestro comprobaturos.

In munere Nobilissimi Senatus Norici, Palmam arborem expressam video: ad cujus radices ranæ stabulantur & hydri cum hac περιγραφῇ: INVIDIA VIRTUTIS COMES. *De cujus quidem sculpturæ mystico sensu antequam*

antequam dicam: operæ pretium fortè fuerit, primam originem ejus ostendere, quam videor mihi apud Plutarchum scriptorem gravissimum reperisse. Apud eum enim libello de silentibus Pythiæ oraculis lego: fuisse in Corinthiorum domo, à Cypselo dedicatâ, inter alia Anathemata Palmam æream, ad cujus radices complures ranæ, hydriq; fusiles fuerint. Quod signum etsi Plutarchus explicat, tamen hoc loco nobis commodior videtur clarissimi Viri & Medici, Hadriani Junii interpretatio, qui per ranas & hydros eos indicari censet, qui garrulitate, ranarum coaxationibus simili, & exitiali maledicentiæ, calumnieq; veneno armati, adversus bonos & integrâ vitâ viros consurgunt: eosque non tàm meritissima sua laude privare, quàm bonis omnibus, vitâ denique ipsa spoliare, sed frustra satagunt.

Cui imagini an sensus aptior affingi possit, equidem vix credo, Palma enim ardua, primæq; nobilitatis arbor est; quam (ut rerum naturalium scriptores monumentis suis testatum reliquère) si supernè onere imposito premas, non ad terram adfligitur aut decedit: sed adversum pondus sursum nititur & incurvatur: frondibus etiam suis, & foliorum honore nunquam viduatur. Unde homines ad magna & præclara natos optimè exprimit: quos licet ab una parte ranæ, hoc est φίλαυτοι, & propter stultum hunc amorem sui invidi, odiosâ suâ coaxatione subinde & indesinenter lacessant, virtutesq; & merita eorum ubivis elevare adnitantur: ab alterâ autem hydri, serpentum genus (si Plinio fides) facilè omnium pestilentissimum, hoc est (ut ego interpretor) calumniatores de Medij illius apud Plutarchum prosapia & posteritate, virulentissimis suis linguis clanculum impetant: tamen victi minimè herbam porrigunt, aut de statu integritatis decedunt: sed contrà potiùs audentius eunt, & rectè factorum se conscientiâ tuentur. Neque sine causâ: Quid enim is, qui in media luce hominum versatur, & dicta sua omnia atque facta ad virtutis modum componit, bonisq; omnibus probare postulat: ranulas hujusmodi aut etiam hydros vehementiùs extimescat? Ranarum ea natura est, ut sub noctem aut crepusculum ex aquis humidiusculæ ad coaxationes suas erumpant; & vespertilionibus, noctuis, alijsque id genus tenebrionibus judicium de suavitate cantus (si Dijs placet) permittant. Haud aliter invidi illi, & maligni alienarum virtutum æstimatores, suarum (si quas modò habent) magnidici præcones, lucem intelligentium virorum fugiunt: & apud imperitum vulgus (facilè est autem luscum supra cæcos dominari) bo-

rorum præstantissimorumq. merita, virtutesq. arrodunt; uno verbo, hoc, ut Apuleius ait, agunt, ut meliores obtrectent potius, quàm imitentur; & quorum similitudinem desperant, eorum affectent simultatem: scilicet, uti qui suo nomine obscuri sunt (nisi sceleribus nobiles facti) ex alterius vituperatione clari fiant. Tum verò vel maximè in hoc campo decurrunt, cùm vino jam madent, & cuticulam probè curarunt, ibi enim vinum fastum auget, seq. adeò noctes in Parnasso somniare, alios omnes fungos & fatuos jactant. Quid de hydris autem dicam? illi sibilis, morsibus, veneno, non extremum corpus, sed jecur etiam intimum pererrant. Tales revera calumniatores sunt, qui rectè dicta factaq. mendaciis involvunt, depravant, addunt, demunt, nulla DEI qui ἐνδιαν ὄμμα habet, nullâ salutis suæ ratione habita; quin & confingunt, nullo honoris sui respectu, quæ per somnium nemo cogitârit, per jocum tentârit: neque, ut vulgariter solum noceant, sed ut perimant, pessundent, stirpitus evellant. Num hæc autem tanti sunt, ut vir bonus ijs moveatur? movetur quidem aliquando (quis enim hominum tàm ferreo pectore sit, qui talium furore, ne perfidiâ dicam, non moveatur?) verum commoveri & à virtutis æterno proposito deturbari non potest: sed ut pila, quæ manu valida ad terram impingitur, non hæret, sed resilit, & quò fortius concutitur, eò validius & altius surgit: ita vir bonus, pressus à ranulis hujusmodi, & pestilentibus hydris, tantò altiùs meritis exsurgit: hoc est, ut illi in perpetuis mendacijs deprehendãtur, vitæ honestissimæ studet, cumq. bonâ conscientiâ bonam amat conjungere famam. Fugit deinde hominum ejus farinæ consuetudinem, quantum potest: ne quod carpant, quod rodant, in congressibus inveniant: quod tamen fateor difficile esse: sunt enim plerumq. tales è numero pessimorum inimicorum, ut Poëta vetus ait, fronte hilari, corde tristi, quos neque tu adprehendas, neque vitare scias; & sæpè immanissimis suis technis tegendis, dulcissimum amicitiæ nomen ementiuntur.

At nos bonorum virorum mores & studia, commilitones optimi, æmulemur indies; neque enim nobis nostræ quoque ranæ aut hydri desunt, deeruntve: contrà pestilentissima invidorum & calumniatorum studia toto pectore aversemur & detestemur: & noceant sanè aliquando nobis: (sicut dum inter homines sumus, humani à nobis nihil alienum censere debemus) tamen bonâ conscientiâ consurgamus adversus hosce insultus; & cum hac innocentiæ

innocentiæ famam etiam apud optimos quosq; rectè factis promereri, quantum humana pati possit infirmitas, studiosè admitamur. DIXI.

ORATIO TERTIÆ CLASSIS,
RECITATA à JOHANNE-GEORGIO à MUSELÖE, Franco.



MEmoriæ proditum est, Auditores ornatissimi, clarissimum olim & fortissimum bellatorem, Q. Sertorium, cùm aliquando militum suorum animos, prælij cujusdam clade, quod nimia virium suarum fiduciâ contra ducis interdictum parùm prosperè commiserant, haud leviter consternatos erigere vellet: advocato, in concionem exercitu, equos duos in medium producendos curasse: alterum quidem imbecillum jam, & præ senio macieq; ossibus vix hærentem: alterum verò validum, magnumq;, & cauda ad miraculum usque densa, pulchraq; insignem: & horum quidem illi virum prægrandem, & valido lacertorum robore pollentem; huic verò pusillum pariter & imbecillum, nullaq; vel staturæ vel roboris specie conspicuum adjunxisse. Signoq; his dato, robustum illum, apprehensâ ambabus manibus imbecillis equi caudâ, summâ vi, ut à reliquo corpore eam avelleret, annixum fuisse: pusillum verò, sublimi & torosi caballi sui pilos singulatim carpere cœpisse. Cùm autem validus & lacertosus ille ingenti labore, magno cum spectantium risu, diu frustra fatigatus fuisset: infirmus verò, brevi spatio citraq; negotium validioris equi caudam pilis penitus denudasset: tum verò in medium pro-

dium progressum Sertorium: videtisne, commilitones, dixisse, perseverantiam viribus & violentiâ multò esse efficaciorem: multaq́, quæ uno impetu nequeunt, paulatim confici posse. Horum ergò equorum priorem, cum robusto & quadrato, ut sic vocẽ, aratore suo, in congiario nostro expressum videmus, addito hoc Emblemate: VANA VIRIUM FIDUCIA. *Quæ verba, ut eorum sensum, mandato tuo, Magnifice Domine Rector, brevi & simplici oratione exponam, primùm quidem multò maximam generis humani partem, erroris, in quo versatur, coarguunt: tum etiam doctrinâ salutari eorum, qui attendere volunt, animos instruunt. Error, quem dico, in eo versatur, quod si paululum in mundo hodie oculos circumferas, inq́, hominum actiones, studia, vota, consiliaq́, intendas, ita eorum affectos deprehendes animos, ut in solâ virium potentiâ, earumq, rerum, quas ad eam parandam firmandamq́ facere videntur, possessione & copiâ, rerum omnium in vitâ gerendarum proram & puppim, quod dicitur, constituant. Ex quo veluti fonte infinita illa, apud plerosq́ omnes mortales opum & divitiarum quavis ratione cumulandarum scaturit cupiditas: quod nimirum persuasum habent, si opum magnarum præsidio, & earum rerum, quæ solâ ferè pecuniâ venales sunt, quæ nihil non hodie venale est, viribus, hoc est, hominum favoribus, amicitijs, necessitudinibus, & paratis ad omnia obsequia illorum voluntatibus & studiis instructi atque muniti sunt: tùm verò cœlestem in terris vitam se victuros: nulloq́ negotio quicquid voto concupierint, consecuturos: & uno denique Jove sẽ minores futuros esse. Hæc, inquam, hominum hujus seculi sententia est, hæc omnium votorum summa, hic unus omnibus illorum studijs, laboribus & consilijs præfixus scopus: cui obtinendo, hoc est, opibus & potentiæ comparandæ, augendæ, quicquid in omni vitâ homines arant, navigant, ædificant, unicè deservit. At verò quàm longè ab hoc judicio distat ea, quæ sola actionum & consiliorum nostrorum norma & regula esse debebat, divinarum literarum auctoritas. Ex quibus obvia cuivis sunt, illa divinæ vocis oracula: Non in multitudine virtutis suæ salvatur rex, potens non evadet in multitudine potentiæ suæ. Item alio loco: neque argentum, neque aurum eruere eos poterit, in die furoris Jehovæ, & quæ sexcenta alia, in eandem sententiam, partim in sacris paginis, divino ore prolata, partim ab alijs etiam scriptoribus clarissimis exemplis comprobata reperiuntur. Ex quorum infinitâ multitudine, ut unum alterumq́ tantum delibemus, quid Philistæo illi*

Giganti

Gigantĩ immane & stupendum corporis robur, cum portentosa ejusdem vastitate & mole conjunctum, profuit? Nónne à Davide, penè puero adhuc, quĩ nunquam in acie steterat, nunquam castra viderat, nunquam tubarum sonum, nisi in spectaculis fortè, ut Plinius loquitur, aut sacrorum festorumve solemnitatibus audiverat, fundâ & lapillis tantum instructo, dejectus & prostratus, propriaq; machærâ obtruncatus fuit? Quid verò Midianitarum gentem referam? Quæ cùm locustarum instar, hoc est, cum innumerabili hominum multitudine, Hebræorum fines ingressa, non modò agros & sata eorum quotidiè miserabilem in modum depopularetur: verùm etiam obvios quosque, ut fit, partim occideret, partim in crudelissimam omniq; morte graviorem servitutem abriperet: nónne trecentorum hominum operâ, armisquidem nullis, sed solo, ut verè dicam, oris flatu, hoc est, tubarum clangore, & inani, ut videri poterat, testarum confractarum strepitu, in fugam turpissimam compulsi, & ad internecionem deleti fuerunt? Quid denique Sanheribum, potentissimum Assyriorum regem commemorem? qui potentiæ & numerosissimi exercitus sui fiduciâ eò progressus fuerat insolentiæ, ut ipsos etiam omnium gentium & populorum Deos præ se contemnere, probris afficere, & tantum non in certamen virium & potentiæ provocare auderet: nonnè unius noctis tempore, angeli unius manu ita perculsus fuit, ut amissis centum octoginta quinque millibus hominum, trepidus in regnum refugerit? nec refugerit solùm, sed etiam in numinis seu idoli sui fano, propriorum filiorum armis obtruncatus miserrimè perierit. Prætermitto, quæ ex profanorum, quos vocamus, auctorum monumentis de alijs quàm plurimis proferri possent: quorum exercitus, etsi propter multitudinem, ut quidam loquitur, ipsi terræ graves fuerant, tamen exiguis adversariorum copijs victi fugatiq;, partim fuga turpi, omni etiam servorum ministerio carentes, lintre exiguo salutem quæsiverunt: partim etiam funditus, cum liberis, cum uxoribus, cum familiâ, regnoq; universo perierunt. Quos etsi temporis angustia prætermittere me cogit, tamen Romanorum duces illos, qui Sertorium, qui principium mihi orationis fuit, bello & armis persecuti fuerunt, silentio prætermittere non possum. Hi enim quamvis sub signis suis non minus quàm centum viginti octo millia armatorum haberent: à Sertorio tamen, non plus quàm octo millia barbarorum, & bellandi magna ex parte imperitorum ducente, vel in angustias summas redacti, vel cladibus maximis affecti, vel denique cum exercitibus totis fusi, fugati & occisione occisi fuerunt.

Satis, nisi fallor, ex hoc Auditores plurimis & alijs, quæ vestra ipsorum vobis suggerit memoria, perspicimus, quantus illorum error sit, & quàm graves illius pœnas luant, qui humanarum tantum opum atque potentiæ fiduciâ elati, res arduas difficilesq; moliuntur: quorum hæc nimirum fortuna esse solet, ut cùm maximè laborant, minimùm proficiant: cùm fortissimè pugnant, turpissimè vincantur: cùm ad decus adspirant, ignominiam inveniant: cùm salutem quærunt, exitium incurrant. Cur hoc autem? nisi quia omnipotens rerum moderator Deus, ut omnium flagitiorum, ita etiam fastus & insolentiæ vindex acerrimus, ea quæ in oculis mortalium maxima, firmissima, splendidissimaq; sunt, per ea quæ minima, imbecilla, contempta atque abjecta, dejicere, infringere, prosternere denique atque profligare solet. Neque tamen in eam partem accipi hæc velim, quod Magistratuum prudentum, in rebus ijs, quæ vel ad urbium & oppidorum munimenta & robur, vel ad alias Reipublicæ vires augendas faciunt, comparandis, studium atque curam improbem. Novi enim, utrumque tempus pacis & belli magistratui bono administrandum: & ad hoc, tum pecuniarum, tum aliarum rerum, in quibus Reipublicæ vires positæ sunt, nervos & præsidia comparanda esse: sed eorum tantùm amentiam noto, qui spreta neglectaq; omni divinæ opis, auxilijq; imploratione, in solâ virium externarum magnitudine omne salutis suæ præsidium collocant: contraq; alios, à rebus istis minus fortè instructos, adeo insolescunt, ut omnes illos fungos & vappas, se verò solos sapientes: illos miseros, se beatos: illos servos, sese liberos, immò dominos; illos degeneres, inglorioſos, & nuce cassâ vix emendos, se verò generosos, honoratos, & tantum non orbis terrarum imperio dignos existiment. Quorum ut meritò ridetur amentia dicam an vanitas? ita è diverso sapienter & præclarè vitam instituunt, qui summâ licet rerum illarum abundantes copiâ, fastui tamen & confidentiæ vanæ vela nequaquam pandunt: sed animum ijs superiorem gerentes, à solo Deo pendent, illiq; soli innituntur; ab eoq; solo benè aut malè vivendi rationes, suspensas habent: Quod qui fecerint, ij verò citra controversiam illud consecuti fuerint, in quo maxima Christianæ Philosophiæ pars, summaq; vitæ Christianæ in his terris perfectio consistit.

DIXI.

ORA-

ORATIO QUARTÆ CLASSIS, RECITATA à JOHANNE-CHRISTOPHORO STIBARÀ Buttenheim, Franco.



IN numismate nostro, nobilissimi & humanissimi Auditores, alterum Sertorianorum equorum effictum cernimus: prævalidum nempè & pilosum illum, cum imbelli homuncione suo, caudam illius singulatim depilante, hujusmodi Emblemate adjecto: SEDULITAS VINCIT. *Quæ verba ad eundem scopum, utilissimæ & saluberrimæ doctrinæ nobis suppeditande, cum prioribus Emblematibus tendunt. Primùm namque, quòd* vincendi *verbum hic positum videmus, pugnam aliquam, itemq; hostem, cum quo ea conserenda sit, animo nos concipere oportet. Quippe cùm nulla sine pugnâ victoria, nulla item sine hoste aliquo pugnæ esse possit. Armis enim, ut apud Q. Curtium ait Persarum rex, inter quos odia sublata sunt, nihil opus est. Inter omnes verò humani generis hostes, nullum vel potentiorem, vel capitaliorem, communi illo Dei & piorum omnium hoste, Diabolo reperiri, nemini mortalium, credo, dubium est. Hic enim est, qui ab initio orbis, ad præsentem usque horam, internecino, penitusq; inexpiabili bello nostrum omnium salutem oppugnat: & cum ipse in aciem procedit, tum etiam militum atque satellitum suorum armis nos infestat. Quorum alij vi apertâ contra nos grassantur: quo in genere tyrannos, aliosq; omnes seculi hujus, ut divinæ eos literæ appellant, filios, hoc est, homines vitijs & flagitijs*

gitijs omnibus coopertos, recenſere poſſumus: qui capitali adverſus pios & moderatos flagrantes odio, omni injuriarum, contumeliarum, damnorum & detrimentorum genere eos divexant. Fieri enim, ut B. Cyprianus ait, non poteſt, ut improbos, qui non imitatur, non offendat. Ac ut vinolenti homines injuriæ loco habent, ſi in ipſorum helluationibus à vino abſtinere velis: ita quicunque rectum vitæ iter inſiſtunt, propter morum differentiam improborum odia experiuntur. Verùm, ab iſto hoſtium genere, ætati noſtræ, ut fortaſſe toti piorum cœtui minus periculi eſt: nimirum cùm in fortunis tantùm, aut ſummum in corporibus noſtris affligendis, omnis illorum conſumatur furor: animæ verò ſalus, extra omnem periculi, quod illi nobis intentant, aleam poſita ſit. Quin ſi ad verum exigere rem velimus, plus boni ab hoc adverſariorum genere nobis ſperandum, quàm mali metuendum videtur. Ita namque D. Hieronymo teſte, comparata res eſt, ut Eccleſia perſecutionibus creſcat, martyrijs floreat, oppreſſionibus ſplendeat, caputq; vel maximè efferat: in tantum quidem, ut poſtquam ad Chriſtianos principes pervenit, potentia quidem & divitijs major, virtutibus verò immane quantum minor facta ſit. Alterum verò militum genus, priore illo multis partibus exitialius, vitia ſunt. Hæc enim non apertâ vi, quæ caveri & declinari faciliùs poſſet, ſed amicitiæ, & ſummæ benevolentiæ ſpecie nos aggrediuntur. Sicuti verò multò nocentior adulatoris blanditia eſt, quàm aperti convitiatoris maledicta: ita vitia quoque dum vel ſub virtutum nomine obrepunt, vel voluptatis & dulcedinis illecebrâ venenum ſuum occultant, peſtem & perniciem multò majorem, quàm ullum externæ adverſitatis, calamitatisve genus inferunt. Hinc ergo hoſtis ille eſt, Auditores, contra quem mortalitas quidem tota, maximè verò noſtra, hoc eſt, puerilis & juvenilis ætas, nunquam ſatis cauta eſſe ſolet. Cum quo quidem omnibus, qui benè beateq; vivere volunt, dies noctesq; cominus & eminus depugnandum, & pace cum omnibus alijs hoſtibus, quibuscunque etiam conditionibus factâ, ad unum hunc vincendum & domandum, omnis belli moles & vires convertenda. Neque enim tantus ullius victoriæ fructus eſt, qui cum eo, qui ex hac una ad victores redit, fructu & præmijs, vel utilitatis magnitudine, vel honoris pulchritudine, vel denique voluptatis & jucunditatis ſuavitate conferri, aut comparari poſſit. Quæ ratione autem, & quibus armis, & quo pugnæ genere, hoſtis iſte vincendus, victoriaq; hæc parari poſſit; Emblematis noſtri intuitus facilè docere [illegible]

quod laborum & studiorum honestorum assiduitatem & constantiam nobis commendat. Ea enim est, quæ sedulitatis verbo, hoc loco nobis intelligenda venit; certissima nempè vitiorum omnium medicina, vel potius pestis & pernities, & ut Romanæ eloquentiæ pater eam appellat, expultrix. Notum enim est, & ex ipso veritatis experientiæq;, ut ita dicam, sinu depromptum Poëtæ illud:

Otia si tollas, periêre cupidinis arcus:
Contemptæq; jacent, & sine luce faces.

Notum item Senecæ illud: ad actus rerum excitandi, artiumq; bonarum tractatione occupandi sumus, nunquam lascivire vacat districtis: nihilq; tàm certum est, quàm otij vitia negotio discuti. Nota item celebratissima illa oraculi sententia, quo Græciæ olim civitates, de malorum, quibus gravissimè afflictabantur, fine sciscitantes, aram Apollini duplicare, hoc est, ad Geometriæ, cæterarumq; disciplinarum liberalium studium & laborem, juventutis animos assuefacere jussi sunt. Idq; hoc sensu, quod labor iste sicut ab ambitione, cæterisq; cupiditatibus vitiosis hominum animos abduceret: ita etiam bellorum, quæ verissima dictorum vitiorum progenies essent, omniumq; inde scaturientium malorum fontes esset obstructurus. Neque enim primum obrepentibus tantùm, occulteq; insinuantibus se vitijs, hæc laboris & industriæ perseverantia aditum intercludit: verum etiam, si jam antea fortè animis insederint, paulatim rursus ea expellit atque exterminat: contrà verò amabili virtutis splendore eosdem illustrat atque exornat. Quo nimirum modo, assiduus ferri usus & tractatio, à rubiginis immundiciâ id nonmodò conservat, tutumq; præstat: sed etiam inhærentes jam sordes illas abigit, & nitidum, oculisq; gratum illi splendorem conciliat.

Quod cum ita sit, charissimi commilitones, quisnam quæso tàm degeneri, tàm parvo, tàmq; vecordi animo sit; qui laborem, quo uno veluti pretio Deus optimus maximus, ut omnia, quæ homini contingere possunt, bonorum genera, ita & victoriam hanc glorioſissimam vendere solet: refugiendum aut detractandum, nec ultrò potius capessendum, amandum & perferendum existimet? Quis non item fucos aut vappas istas vel risu, vel commiseratione potius dignos judicet, qui se ad otium ignavum, tanquam inutilia terræ pondera, à natura productos existimantes, omne quod studijs & laboribus honestis tribuere debebant tempus, vel somno inerti, vel alea turpi, vel helluatio-

nibus profusis, vel alijs denique nequitijs consumunt? Quorum, si sapimus, non mores tantùm, sed omne etiam vitæ commercium & consuetudinem, non aliter, quàm serpentis venenati contactum fugiamus: contrà verò impositos nobis ab amantissimis præceptoribus nostris honestissimorum studiorum & exercitiorum labores promptè & alacriter suscipiamus, cõstanterq; exsequamur: æternùm nobis de hoc animo & industriâ gratulaturi. DIXI.

XXVII. PANEGYRIS, Anni 1603.

RECTORE D.D. CUNRADO RITTERSHUSIO, JURISCONSULTO.

ORATIO PRIMÆ CLASSIS, RECITATA à JOHANNE CZIAPLIC, Polono.

QVod olim Poëta dubius animi de seipso, Magnifice Domine Rector: Eloquar an sileam? idem mihi etiam nunc usu venire videtur. Hæreo enim profectò ego quoque, & animi pendeo loquarne an taceam? Silere

Silere me Emblema meum jubet; loqui tua, Rector Magnifice, auctoritas: utrius prior hic, & potior est habenda ratio? an Emblematis? Videtur sanè: nam ut munificentiâ Amplissimi Senatus Norici ἀνύμνολ@- hactenus nunquam fuit; ita certus propemodum esse mihi videor, munere hoc mihi, meisq; æqualibus oblato, prudentissimum & sapientissimum Ordinem silentium ætati nostræ commendare voluisse. Tibine autem, Rector Magnifice, reluctèr, quem Deus & qui Dei vicem huic Provinciæ Noricæ sunt, mihi præfecêre Magistratum, cujusq; adeo me imperijs obsequentem esse voluere? Atqui hoc quoque & ætate meâ, & institutione indignum esse videtur. An fortasse ideo me nunc loqui vis, ut in posterum silere discam; idemq; & verbis & exemplo pluribus, qui eâdem mecum ætate sunt, suadeam? Benè habet, Rector Magnifice, atque ita me ad loquendum animatiorem sentio. Vos, Auditores splendidissimi, oro atque obtestor, ne homini adolescenti ad dicendum temporis aliquid tribuisse vos pigeat.

Emblema nostrum desumptum mihi videtur ex Ammiano Marcellino, historiæ Augustæ scriptore minimè contemnendo. Quod si enim acutè satis video, grues in hoc numismate tres montem excelsum volando transire, ad radices autem montis tres item conspicor aquilas. Quæ imago, quid sibi velit, ex laudato modo Historico capio. Describit is libro 18. necem Barbationis cujusdam rectoris peditum in exercitu Cæsareo: Is cùm esset conscius conjurationis in Constantium, scribit ad eum uxor Assyria nomine, per ancillam, velut flens obsecransq;, ne post mortem Constantij, in imperium, ut ipse sperabat, admissus, despecta se, anteponeret Eusebiæ matrimonium, tunc reginæ decore corporis inter multas fœminas excellentis. At ancilla, quæ Assyriæ à manibus ad eam rem fuerat, factum prodens, effecit, ut cervicibus & ipse, & uxor interierint præcisis. Eam necem concludit pulcherrimo Emblemate scriptor non malus: Ne sit mirum homines profutura discernere nonnunquam & nocentia, quorum mentes cognatas cœlestibus arbitramur: animalia ratione carentia, salutem interdum suam alto tueri silentio solent. Linquentes orientem grues, ob calorem, plagamq; petentes occiduam, cum montem penetrare ceperint Taurum, aquilis abundantem, timentes fortissimas volucres, rostra lapillis occludunt, ne eis eliciat vel necessitas extrema clangorem; iisdemq; collibus agiliore volatu transcursis, projiciunt calculos, atque ita securius pergunt. Hæc de gruibus Marcellinus: quæ Plutarchus in commentario

de solertiâ animalium, de anseribus silvestribus memoriæ prodidit. Plinius libro 10. cap. 23. auctor est, grues pontum transvolaturas stabiliri saburrâ. Cumq; attigerint continentem, è gutture arenam abjicere. Habetis Auditores ornatissimi, hujus Emblematis historiam. Ejusdem παραφὴ est: SALUS SILENTIO PARTA. *Quâ ipsâ, quid aliud nobis commendari putatis, quàm, quod ab initio dixi, Silentium. Etsi enim Amyclæ silentium perdidisse, veteri jactetur verbo, verùm tamen illud silentium non fuit, sed garrulitate velut imminutum atque corruptum. At integri, sive veri silentij tutum semper est præmium: & ut Græci dicunt, ἀκίνδυνον γέρας: & dixisse aliquando pœnituit, tacuisse nunquam: si Simonidi aut Xenocrati, variant enim hic scriptores, credimus. Pœnituit scripsisse, ut audivimus, Asyriam, & exitio ei fuit: nocuit Maximo Martiæ uxoris garrulitas apud Tacitum & Plutarchum, & marito causa necis fuit. Nocuit Scevino in conjuratione Pisoniana erga Neronem, vanitas & inconsulta fiducia, apud eundem Tacitum: contra saluti plurimis tacuisse fuit, & linguam cohibuisse, & in amoribus maximè ac delicijs principibus ij, qui arcana tacere noviſſent, & secreta non evulgassent. Unde reggs apud Horatium dicuntur*

------multis urgere culullis,
Et torquere mero, quem perspexisse laborant
An sit amicitia dignus?

Et gravius apud hos, auctore Q. Curtio, lingua castigatur, quàm probrum. Quare sapienter Aristoteles Callisthenem sectatorem & propinquum suum, ad Alexandrum Magnum profecturum monuit, ut quàm rarissimè & jucundè apud hominem loqueretur, qui vitæ necisq; potestatem in acie linguæ portaret. Cui geminum illud etiam Aristotele antiquius præceptum: Apud regem ἢ ἡδιστα, ἢ ἤδιστα loquendum. Cæterùm hæc tam seria atque sublimia, à me fortasse non requiritis; quare ad eam interpretationem venio, quæ ætati meæ magis convenit: Nobis quoque, æquales charissimi, silentio salus paritur. Si enim ea cujusq; metienda virtute vel honore, vel honestarum rerum scientia est, silentium ad ea omnia prima via, primus gradus est. Unde Sapientissimi omnium temporum homines adolescentes à garrulitate abstractos silere monuerunt. Pingebant olim Ægyptij Harpocratem, silentij Deum adolescentem, qui digitum ori admoveret, cum hoc epiphonemate: Digito compesce labellum. *Quis ille Harpocrates sodes alius, quàm juvenilis sermonis, qui*

nis, qui vix potest non esse imperitus, corrector ac moderator? Zeno adolescentem loquaciorem increpuisse fertur, hoc dicterio elegantissimo: malè tecum actum fili: aures enim tuæ in os tuum confluxêre. Pythagoras primus philosophiæ nuncupator ac conditor, nihil priùs discipulos suos docuit, quàm tacere: eratq; primum apud eum sapientiæ rudimentum, meditari condiscere, loquitari dediscere: Et ne philosophos vobis solùm, hoc est, gloriæ illa animalia, ut Tertullianus appellat, & justò severiores Catones commemorem: vel scortis exosum quoque fuit hoc garrulitatis vitium. Legimus, cùm adolescens quidam Gnathænæ scorti non ignobilis famâ pellectus, ex Hellesponto in Atticam navigasset, & admissus loquacior esset, ac planè φορτικὸς: an non, inquit Gnathæna, ex Hellesponto te venisse dixeras? annuente juvene, ecqui ergo primam ejus civitatem ignorare vidêre mihi? Scisscitante juvene, quænam illa esset! Sigæum, ait illa: atque ita ἀμελῶς ἀπὸ τοῦ ὀνόματος καταστίχαν αὐτὸν, hoc est, concinnè admodum ex nominis ratione silentium illi suadere visa est. Fugite mecum, adolescentes, fugite sodes hoc vitium, vel abjectissimis exosum scortis, & silere discite. Neque enim solum hoc utile vobis erit, sed maximè etiam honorificum. Thucydides scribit, Harmodio & Aristogitone in Hipparchi Pisistratidæ conjuratione, sive occisione potius deprehensis, conjurationis conscium fuisse Leænam quandam nomine: quæ cùm carcere & omnibus tormentis tentata esset, ut socios proderet, illa tamen egregiè fortiterq; siluit. Placuit id Athenienſibus adeò, ut in rei memoriam, silentijq; gloriam æneam ei leænam, sed elinguem posuerint. Confidite Adolescentes: nec nobis deerunt statuæ silentij nostri testes. Erigentur illæ in animis magnorum virorum: & argumento erunt indolis nostræ. Immò etiamsi adultiores fiamus, linguam tamen contineamus, & in hoc quoque laconismum æmemus. Nam si Spintharus olim non putavit, cumulatius se laudare posse Epaminandam, quàm cùm testatus esset: se neminem vidisse, qui plura sciret, & pauciora loqueretur: sufficiat nobis etiam aliquando laus hæc, & demereri eam studeamus. Verùm quo mihi lingua, dices si uti ea prohibeor. Non prohiberis, dum parcè ea uti juberis. Natura te hoc docet, quæ duos tibi dedit oculos, geminas item aures, ut multa videas, multa audias: linguam solum unam, nempè ut modicè loquaris, multum taceas: utque magis hoc tibi inculcaret, oculos auresq; liberas fecit, linguam labris ac dentibus quasi vallavit. Unde Homerus ἕρκος ὀδόντων appellat: ne facilè verba, quæ idem alata ac

volantia vocat, elabi possent. Loqui ergo si vis, loquere sanè, sed modicè & circumspectè. Habet enim hoc quoque suam laudem, sed ex eo, si Lycurgo credimus, quia

Parce loqui, ferè instar & silentii.

Faciamus ergò, ô Adolescentes, quod tàm ex re nostra est, quod honori, quod saluti: & fores linguæ nostræ diligenter obdamus, ne ex eorum videri possimus numero, quorum linguæ Theognis θύρας τὸν ἀπιστεῖσθαι ἁρμοδίας, *fores deesse congruas scribit: quos Julius Pollux ex eo dictos ait* ἀθυρογλώττους *ex Euripidis credo Oreste edoctus. Adcoque proponamus nobis sequendum Demetrij Phalerei consilium, ut verba silentio obsignemus silentium occasione. In quo & ego orationem meam primus obsigno.* DIXI.

ORATIO SECUNDÆ CLASSIS, RECITATA à HIERONYMO BRUNNER, Pragensi.



CUm multis alijs de causis natura de rebus humanis peroptimè merita est: tum in eo seipsam & bonitate & prudentiâ superavit: quòd mortalibus non solùm mentem atque intellectum attribuit: sed etiam ijsdem animalia adjunxit, tanquam socios & rerum agendarum indices: quibus eam mentem indidit, per quam non tantum sibi ipsis consulerent, verùm etiam qua nos ad sui spectaculum & imitationem evocarent. Etenim hominum genus, ut per se vel magnum, vel prin-

vel princeps rerum omnium mortalium est: ita secundum eos animalcula illa maximis cœlitus donata sunt beneficijs, adeo, ut virtute sua industriam atque prudentiam humanam non solùm sæpenumero adæquent: sed etiam cum pudore gentis nostræ, pace non tàm vestrâ, quàm meâ etiam dixerim, longissimè superent. Non dicam hoc loco de clementiâ leonum, prudentiâ elephantorum: non de naturâ muscarum, non de asinorum, gruum aut aquilarum ingenio: quorum natura non adeò nullius momenti fuit, neque adeò contemtibilis, quin olim magnis viris materiam cogitandi dederit, campumq; aperuerit dicendi: mihi verò de eo verba facienda sunt, quod Amplissimi Senatus Norici beneficio, hodierno die communicatum est nobis: de avibus nimirum, quas Ibidas vocarunt Ægyptij.

Est in sinu Arabico genus quoddam serpentum venenatum & volatile, qui quotannis è paludibus in continentem se attollunt: atque adeo magno veluti cum exercitu volantes Ægyptum tendunt. Ibi tum Ibides, aves indigenæ, in ipsis regionis finibus aciem instruunt, atque hoc hostile genus fortiter aggrediuntur atque conficiunt. Quo munere ecquid divinius, & quod huic tempori magis conveniens sit, excogitari potest? In quo ornando, non ero humilis aut abjectus, ut debeo pro conditione atque infantiâ meâ. Ad altiora sese me attollet oratio. Ac mihi quidem de maximis rebus genus mortalium monere videntur hæ aves. Neque enim vos fugit, & ego à viris magnis ita accepi, sapientissimorum virorum varias esse sententias: Utrum expediat magis, hostem adventantem domi exspectare? an verò eum extra regionem cum instructo exercitu excipere? Deinde, an hosti & numero militum, & armis potentiori cedendum sit? an verò contra eum eundum, & virtutis periculum faciendum? quæ duo si rationibus, atq; harum avium exemplis conciliavero: nonnè permultum Amplissimus Senatus Noricus hodierno die, hoc tam luculento munere de nobis merebitur?

Ea est ratio victoriæ, ut non tam in potentiâ ac multitudine, quàm in consilijs atque virtute militari posita sit. Quemadmodum florentissimus rei Romanæ scriptor testatus est: Romanos parvâ manu magnum sæpè exercitum confecisse: hoc est, ut Cæcina ille dicebat, consilijs arma temperasse, veluti trahendo bello, & legationibus ultro citroq; mittendis. Quanquam enim tractationes de pace (ut rex quidam Hispaniæ in ore habuit) arma minimè suspendunt: tamen & hosti moram aliquam injiciunt, & tibi tempus conciliant col-

liant colligendi tui: id quod Cornelius Tacitus ait: multa bella impetu valida, per tædia ac moras evanescere. Et Vocula ille: Sed est, inquit, vallum, muriq́, & trahendi artes, donec è proximis provincijs auxilia, exercitusq́ concurrant. Quod si enim exercitus, hosti par conscribi nequit: ibi hostis mirâ arte deducendus est atque distrahendus: nisi vel cum eo confligere, quod periculosum est: vel fugam inire voles, quod turpissimum est. M. Curius Imperator Romanus cùm intellexisset, Sabinos ingentem exercitum collegisse: occultis itineribus emisit manum militarem cum mandato, ut Sabinorum agros desolatos vastarent, incenderentq́. Quo facto & re cognita, Sabini ad evertendam hanc calamitatem exercitum deduxerunt: seq́ obnoxios fecerunt parvæ multitudini, & cui paulò ante formidabiles fuerant. Et Dionysius Syracusanus cùm Afrorum multitudini resistere non posset, arces suas & castella adventanti hosti ultro dedi jussit, suis militibus inde abire jussis. Ita & Afri exercitum suum sparserunt: Dionysius verò militem suum contraxit. Cæterùm illud ad hostilem potentiam infringendam plurimum facit, si prius levi prælio tentetur hostis, ejusq́ vires non tantùm noscantur, verùm etiam hujuscemodi diuturnis velitationibus paulatim imminuantur. Quod existimavit Sertorius ille, carptim singulos pilos evellendos esse: & fortissimus Cæsar quotidiè equestribus prælijs, quid hostis virtute posset, & quid Romani auderent, periclitatus est. Commemorare possem & eorum exempla, qui hisce rationibus magnos exercitus confecerunt, & eorum etiam, qui quod cum potentiore hoste manū confestim contulerūt, omnes ad unum interfecti sunt. Quorum recens est illud de Ludovico, Ungariæ rege, qui temeritaténe quadam, an verò fatali necessitate, ausus est ducentis hostium millibus opponere viginti quatuor millia hominum. O rem præposteram! ne quid dicam gravius: præsertim cùm securæ, atque honestæ belli trahendi viæ illi non defuerint, etiamsi de regni aliqua parte periclitandum erat. Eo enim, cum internecione totius exercitus, interfecto, Solymannus victoriam suam mirificè persecutus est. Taceo nunc alias artes: ut sunt simulatio fugæ & timoris: quippe quæ imparatiorem & securiorem reddit hostem: & circa injurias illatas patientia magnusq́ animus: quod non solum profani scriptores, sed etiam sacræ literæ (1. Machab. 8.) de Romanis testantur: eos tot hostes superasse consilio & patientiâ. Quod si nunc eo in loco res positæ sint, ut necessitas pugnandi inferatur: ibi tum virtute opus erit: Ita enim Ibides, quæ potentiâ inferiores

erant

erant (est enim serpentum illud genus pestiferum ac venenatum, adeoque armorum & genere pugnæ superius) virtute & consilio salutem sibi quæsiverunt, non torpentes otio, non exspectantes usque dum hostiles copiæ regionem suam involarent, laresq; patrios contactu suo fœdarent atque corrumperent. Id enim alterum est, cujus nos monemur: permultum interesse, ut Scipio ille Romanus dicebat, alienos populêre fines, an tuos uri exscindiq; sinas? Quo exemplo & ex magnorum virorum sententiâ Turca non facilius, neque citius superari posse videtur: quàm si exercitus noster non solum è finibus Hungariæ deducatur, sed etiam Peloponnesus atque Marca, quæ est in umbilico imperij Turcici, armatâ manu invadatur. Quam in sententiam non ita pridem fortissima gens respondit Sinani Bassæ minitanti, nisi sibi tributum penderetur, se totam gentem à limitibus regni ad mare usque glaciale expulsurum. Nos verò, responderunt illi, non præstolabimur adventum tuum; sed quamprimum vim adversus nos parari senserimus, è vestigio educto exercitu extra fines nostros, viscera imperij Turcici invademus. Nolo jam coacervare rationes hujus sententiæ, ut sunt; plus animi esse in ferenti periculum, quàm propulsanti: in hostili loco citius deficere hostem, & ubi belli sit sedes, ibi quoque cladem esse. Est hæc oratio non ætatis atque infantiæ meæ, sed exercitatissimorum hominum. Inspiciamus tantum, si lubet hoc genus avium. Primum enim non sparsim, sed confertim iverunt, & totis viribus. Quâ in re Cæcinam objurgavit prudens scriptor, quod non simul cohortes, sed singulas acciverit: quæ res in prælio trepidationem auxit, cùm dispersos, nec usquam validos pavor fugientium abriperet. Deinde quòd extra regionem suam instructo agmine hostilem impetum dissiparunt, atque confecerunt. Ad quorum animalculorum porrò laudes quod attinet, neque est satis loci, neque in me eloquentiæ ad dicendum. Nam si prudentia in hoc terrarum orbe principem locum tenet: hæc aves hanc laudem sibi vendicant. Si fortitudo, virtusq; militaris Respublicas conservat: hæc horum animalium propria est. Si denique id, quod æthereum est, purius atque sanctius est eo, quod terrestre est: (neque enim aliter fieri potest, quin naturæ principia rebus ipsis, quarum principia sunt, non respondeant) hoc ibidum genus nobis (pace mihi liceat mortales dicere vestra) etiam nobilius est atque sanctius. Sin autem hoc ita est ambitiosum, ut veritati suspectum sit: illud quod reliquum est, mihi concedite: hoc avium genus & cives esse purissimi elementi, & prudentiæ humanæ iconas atque characteres. DIXI.

ORATIO TERTIÆ CLASSIS, RECITATA AB ALBERTO BEHAIM, Patricio Noribergensi.

CVm omnis humana industria duabus rebus comprehendatur, Virtute & Fortuna: sæpenumero alterutra multis mortalium; utraque verò pauciſſimis contingit. Quocirca rarò maximæ res geruntur. Etenim pleraque quantumvis prudenter ac fortiter cœpta, poſtea tamen vertente fortunâ ſecus cedunt, immò in contrarium eunt. Contrà verò, quæ inconſultò & temerariè fiunt, ſæpenumerò feliciſſimum exitum ſortiuntur. Omitto eos, qui utrâq; deſtituti, ad negocia publica rapiuntur: quos neceſſe eſt ludibrium atque ſpectaculum fieri rerum humanarum. In quibus omnibus eſt tum quod expetas, tum etiam quod averſeris. At enimverò magna quædam res eſt virtus: atque haud ſcio, an aliquid majus aut divinius. Quo facilius eſt virtute fortunam, quàm fortunâ virtutem fabricari. Quare, quod à prioribus meis commilitonibus omiſſum eſt, in præſentiâ eſt faciendum mihi: ac cujuscemodi operam illi poſuerunt in naturâ gruum, aquilarum, ibidum: ea mihi in alterius generis hiſtoriâ ponenda eſt, pari tum induſtriâ meâ, tum attentione veſtrâ. Nam quantum illi me ætate anteeunt; tantò minus ego materiâ inferior ſum: quantumq; acceſſionis ab eorum ingenijs ad cauſam factum eſt in illis; tantùm apparatus oſtentatur ab re ipſa mihi. Dicendum enim mihi eſt de crocodilo, cujus hæc eſt natura, hic mos, ut hoſtem fugientem inſequatur, inſequentem verò fugiat. Nimirum eſt propemodum eadem ratio cùm virtutis,

virtutis, tum fortunæ. Utraque enim audaces juvat, ignavos verò aversatur atque odit. Verum enimverò mihi hanc figuram propius ac pensiùs intuenti visa fuit maximè exquisitam atque reconditam referre doctrinam: quæ quo major est ætate atque ingenio meo, eò hoc illustri conventu dignior est, cujus ego majorem rationem habendam esse, semper existimavi.

Quid enim? Turcarum, qui tantoperè & religioni & libertati Christianæ imminent, nonnè hæc est disciplina militaris, in omnibus prælijs in morem crocodili fugientes insequi, & insequentes fugere: vel, ut ait Livius, sumtis redditisq; tergis pugnare? Cum enim duplex sit pugnandi genus, alterum desultorium & velitare: alterum verò statarium & immobile: hoc usurpant nostrates, illud Turcæ. Unde accidit, ut hi levibus repentinisq; incursionibus & regressionibus, nostrarum copiarum volur, cùm propter eundi redeundiq; crebritatem, tum etiam propter armorum levitatem, facilè dissipent atque conficiant: non aliter quàm olim Numidæ illi, qui spargens bellum, ubi instaretur cedens, ac rursum in terga remeans, & dum ea ratio Barbaro fuit, irritum fessumq; Romanum militem impunè ludificatus est. Eodem etiam modo Parthi, teste Livio, nunc accedendo, nunc fugiendo, & eminus emittendis sagittis, Romanos miserabiliter proturbarunt, propulsaruntque. Quàm vellem, Auditores, exempla commemorare earum victoriarum, quas hostis à Christianis obtinuit, non virtute aut consilio; sed solâ illâ crocodili pugnâ, hoc est, fugiendo atque retrocedendo. Hoc enim pugnandi genere, Italorum cohortes apud Hydruntem diutissimè ludificatus est, usque dum ex Ungaria copiæ accitæ fuerunt, quæ (quippe quibus fugitivum illud belligerandi genus exploratissimum erat) facilè manum illam hostilem profligarunt. Omitto nunc clades, quas Palæologo, Andronico, Ludovico, Corvino ad Varnam alijsq; intulit, solâ illâ ludificatoriâ & veluti saltatoriâ pugnâ. Illud novissimum est, &, si pro hoc loco licet, & ab hoc festivo tempore non alienum est, deplorandum, de nuperrimo prælio Agriensi: quo tempore nostri milites, tot exemplis, totq; cladium memoriâ quamvis edocti, nihilominus vel hanc solam ob rem splendissimam hosti reliquerunt victoriam: perq; nimiam fiduciam, ut ille de barbara gente ait, acerbissimum vulnus acceperunt.

Sed enim dicetis: Quid ergo facto opus erit? illud nimirum; quod fortissimus ille Romanus Imperator, postquam à Juba hoc pugnandi genere mirificè esset vexatus: tanquam pugil atque lanista militem suum edocuit, ut ne

insequeretur hostem fugientem, & nihilominus eum frangeret. Ut enim in fuga Turcæ; ita nostri milites in insequendo crocodili morem induunt: quorum illud benè sæpenumero cessit Turcis: hoc verò nostratibus semper exitio fuit. Idq; est, quod Dolabella apud Tacitum ait: hostem fugacem & vagum non gravi, nec uno incursu consectandum esse. Libèret, Auditores, hâc de re plura dicere. Sed ineptum me, qui ad vos tàm ardua de re verba facere ausim, & nullis rebus instructus, & ab eloquentiâ inops. Cæterùm tum augustissima hæc corona, tum præsentis hujus muneris imago me ambitiosum atq; sapientem fecit. Quare ad minora nunc mea properat oratio.

Nec enim solius aut virtutis, aut fortunæ, aut crocodili, aut etiam fortissimarum gentium hæc natura est, sed in primis gloriæ. Unde scitum illud: GLORIA CROCODILUS. *Enimverò cupido gloriæ adeò propria est viris magnis, ut facilius & citius omnes affectus exuant, quàm desiderium laudis & famæ. Quod aptè & eleganter divinus Plato: Gloriæ cupidinem veluti ultimam tunicam ab anima deponi. Cæterùm, quò minus à magnis viris affectatur, eò propius ab iis abest, adeoq; recusantes à tergo insequitur. Quod de agricola prudens scriptor, eum ipsa dissimulatione famæ famam auxisse. Nunquam enim in suam famam gestis exultavit: sed ad auctorem & ducem ut minister retulit: ita virtute in obsequendo, verecundiâ in prædicando extra invidiam, nec extra gloriam fuit. Hæc Tacitus. Idem de Mecænate Poëta:*

Majus erat potuisse tamen, nec velle triumphos:
Major res, magnis abstinuisse fuit.

O exemplum aureum veræ sapientiæ! Quæ enim hæc est futilitas, id quod es, videri velle cum periculo & rei ipsius, & existimationis tuæ? Quod faciunt illi, qui quod re ipsa carent, famosas atque hordeaceas laudes captant, ut quod non sint, videantur tamen esse. Cujus ineptitudinis & ventosæ ostentationis exempla sunt creberrima, cùm in publicis, tum in privatis negotijs. Quales sunt illi, qui cùm imperio carent, simulacra quædam atque umbram imperij dignitatisq; amplectuntur: veluti Tiridates ille Parthorum rex, qui à Romanis petijt, ne cogeretur ferrum tradere, nevè ab amplexu provincias obtinentium arceretur. At, inquit, acer scriptor, apud Romanos jus imperij valet, inania transmittuntur, Idem Dion notavit in Sejano: Hic, ut erat homo fastuosus & vanus, cum magno comitatu incedere, magnificè loqui, difficulter

culter interrogantibus respondere: ijs qui vel loco non cesserant, vel salutes non iteraverant, indignari, extremum exitium minitari. Quo loco Dion.: qui, inquit, propria nituntur potentiâ, hasce salutationes & obsequia parvi faciunt: & si omissa fuerint, non vitio vertunt. Quò prudentius Hemicus III. roganti cuidam, cur hostem suum non regem regio tamen honore sepultum sineret? respondit: Utinam omnes inimici mei tam honorificè jacerent!

Nec solum circa hanc rem publicè, sed etiam privatim ineptiunt multi, cùm in doctrina, tum etiam familiari & cõmuni vitâ. Sunt enim qui existimant, se omnium rerum ignaros ac peregrinos esse, nisi quodcunque sciunt atque intelligunt, ambitione evomant, ut gloriam illam, quam adversam sibi animadvertunt, invitam & quasi obtorto collo in se trahant. At, inquit, Terentianus ille Syrus: Tu quod scis, nescis, si sapis, Dromo. Quamobrem, Auditores, etsi fortunæ imperium, hominumq; vel favor vel invidia, rerum etiam inanium umbra, omnia magna atque ingentia in rebus humanis possint: mihi tamen inposterum sic persuasum erit, tum ex hac præsenti imagine, tum etiam ex reipsa: nullam tam violentam aut fortunæ barbariem, aut hominum malevolentiam, nullam etiam tam ventosam ambitionem esse: quin ea virtute atque doctrinâ superari, atque ad nihilum redigi possit. Quare sive calamitas nos tentat, sive fortuna paululum cursum suum reflectit: sive etiam magnitudo virtutis atque famæ cuiquam periculo est: ædificemus oportet nobis eum portum, in quem ex tempestate & salo hoc sive miseriarum, sive invidiæ aut malevolentiæ, æquabiliorem cursum tenere, atque in quo acquiescere possimus.

DIXI.

insequeretur hostem fugientem, & nihilominus eum frangeret. Ut enim in fuga Turcæ; ita nostri milites in insequendo crocodili morem induunt: quorum illud benè sæpenumero cessit Turcis: hoc verò nostratibus semper exitio fuit. Idq; est, quod Dolabella apud Tacitum ait: hostem fugacem & vagum non gravi, nec uno incursu consectandum esse. Libèret, Auditores, hâc de re plura dicere. Sed inceptum me, qui ad vos tàm ardua de re verba facere ausim, & nullis rebus instructus, & ab eloquentiâ inops. Cæterùm, tum augustissima hæc corona, tum præsentis hujus muneris imago me ambitiosùm atq; sapientem fecit. Quare ad minora nunc mea properat oratio.

Nec enim solius aut virtutis, aut fortunæ, aut crocodili, aut etiam fortissimarum gentium hæc natura est, sed in primis gloriæ. Unde scitum illud: GLORIA CROCODILUS. *Enimverò cupido gloriæ adeò propria est viris magnis, ut facilius & citius omnes affectus exuant, quàm desiderium laudis & famæ. Quod aptè & eleganter divinus Plato: Gloriæ cupidinem veluti ultimam tunicam ab anima deponi. Cæterùm, quò minus à magnis viris affectatur, eò propius ab iis abest, adeoq; recusantes à tergo insequitur. Quod de agricola prudens scriptor, eum ipsa dissimulatione famæ famam auxisse. Nunquam enim in suam famam gestis exultavit: sed ad auctorem & ducem ut minister retulit: ita virtute in obsequendo, verecundiâ in prædicando extra invidiam, nec extra gloriam fuit. Hæc Tacitus. Idem de Mecænate Poëta:*

Majus erat potuisse tamen, nec velle triumphos:
Major res, magnis abstinuisse fuit.

O exemplum aureum veræ sapientiæ! Quæ enim hæc est futilitas, id quod es, videri velle cum periculo & rei ipsius, & existimationis tuæ? Quod faciunt illi, qui quod re ipsa carent, famosas atque hordeaceas laudes captant, ut quod non sint, videantur tamen esse. Cujus ineptitudinis & ventosæ ostentationis exempla sunt creberrima, cùm in publicis, tum in privatis negotijs. Quales sunt illi, qui cùm imperio carent, simulacra quædam atque umbram imperij dignitatisq; amplectuntur: veluti Tiridates ille Parthorum rex, qui à Romanis petijt, ne cogeretur ferrum tradere, nevè ab amplexu provincias obtinentium arceretur. At, inquit, acer scriptor, apud Romanos jus imperij valet, inania transmittuntur, Idem Dion notavit in Sejano: Hic, ut erat homo fastuosus & vanus, cum magno comitatu incedere, magnificè loqui, difficulter

culter interrogantibus respondere: ijs qui vel loco non cesserant, vel salutes non iteraverant, indignari, extremum exitium minitari. Quo loco Dion: qui, inquit, propria nituntur potentiâ, hasce salutationes & obsequia parvi faciunt: & si omissa fuerint, non vitio vertunt. Quò prudentius Hemicus III. roganti cuidam, cur hostem suum non regem regio tamen honore sepultum sineret? respondit: Utinam omnes inimici mei tam honorificè jacerent!

Nec solum circa hanc rem publicè, sed etiam privatim ineptiunt multi, cùm in doctrina, tum etiam familiari & cõmuni vitâ. Sunt enim qui existimant, se omnium rerum ignaros ac peregrinos esse, nisi quodcunque sciunt atque intelligunt, ambitione evomant, ut gloriam illam, quam adversam sibi animadvertunt, invitam & quasi obtorto collo in se trahant. At, inquit, Terentianus ille Syrus: Tu quod scis, nescis, si sapis, Dromo. Quamobrem, Auditores, etsi fortunæ imperium, hominumq; vel favor vel invidia, rerum etiam inanium umbra, omnia magna atque ingentia in rebus humanis possint: mihi tamen in posterum sic persuasum erit, tum ex hac præsenti imagine, tum etiam ex reipsa: nullam tam violentam aut fortunæ barbariem, aut hominum malevolentiam, nullam etiam tam ventosam ambitionem esse: quin ea virtute atque doctrinâ superari, atque ad nihilum redigi possit. Quare sive calamitas nos tentat, sive fortuna paululum cursum suum reflectit: sive etiam magnitudo virtutis atque famæ cuiquam periculo est: ædificemus oportet nobis eum portum, in quem ex tempestate & salo hoc sive miseriarum, sive invidiæ aut malevolentiæ, æquabiliorem cursum tenere, atque in quo acquiescere possimus.

DIXI.

EMBLEMA QUARTÆ CLASSIS, RECITATUM à JACOBO PFINZING, Patric. Noriberg.

LUbens tibi, Rector Magnifice, ut æquum etiam est, parebo, nec multis infantiam meam obtendam, & hanc dicendi provinciam à me deprecabor; Scio enim, à me puero non exspectari grande aliquid, aut tàm splendido dignum consessu. Atque eò quidem parebo tibi lubentius, quoniam in re sacra occupari me vis, à cujus notitia ne pueri quidem alieni, imparatiq; esse debent. Brabeo ergò meo (ut ad rem veniam) insculpta est imago navis, sive arcæ aquis invectæ, ad cujus culmen columba venit, ramum oleæ gestans in ore, cum hac inscriptione: DIVINÆ NUNCIA PACIS. Quæ imago desumpta est ex 8. capite libri primi Mosaicæ historiæ. Cùm enim Deo optimo maximo certum & constitutum esset malitiam generis humani diluvio penitus abolere: Noachi tamen viri pij recordaretur in fervore iræ suæ: in arcam, quam faciendam præcipiebat, eum & liberos ire jussit, reliquias humani generis post diluvium exiguas futuros, & alterius orbis seminarium, ubi ira ejus & aquæ desævissent.

Hujus dicto Nonchus obediens, arcam paratam ad Dei nutum ingreditur cum suis, inibiq; ad quadragesimum usque diem commoratus & inclusus, moræ diuturnitate inter spem & metum medius, emittit primò corvum, quo non reverso, anxius amplius columbam extrudit, quæ cùm ubi sedem figeret, non reperiret, brevi redijt. Septimo post die aliam ablegat exploratum, quæ

sub vespe-

ſub veſperam reverſa ramum oleæ ori inſertum retulit, unde Noachus dijcere conjecturâ potuit, brevi ſe terræ reſtitutum iri, adeoq; Deum veracem in ſuis eſſe promiſſis. Hæc hiſtoria etſi jucunda admodum eſt per ſe, & dulciſſimis conſolationibus veluti gemmulis quibuſdam diſtincta: aſſeram tamen allegoricam interpretationem, jam diu è ſacris concionibus ad hoc uſque tempus obſervatam. Ajebant ergò, qui ſacris operabantur, per arcam Noachi Eccleſiam militantem in hoc mundo ſignari, quæ in medio mari perſecutionum procellis, dæmonum, mundi, carnis & peccati fluctibus penè obruta, ſupernatet tamen, & verâ, quamvis aliquando parum firmâ fide, ad portum ſalutis ſuæ Deum reſpiciat, eumq; velut à longè ſuſpiret. Verùm, quoniam Eccleſiæ calamitates augentur indies, & ipſi etiam fideles, ſe à peccatis immunes non vident: dubitatio mentes corripit interdum, quaſi Deus omnem Eccleſiæ ſuæ curam abjeciſſet, eamque perditam & funditus exciſam vellet. In his terroribus columba venit, hoc eſt ſanctus ille Spiritus, qui in columbæ ſpecie ſe de ſede ſuæ potentiæ ſuper Chriſtum, à Johanne in flumine baptizatum, prius etiam dimiſerat, & olivæ ramum in ore fert, hoc eſt per prædicationem Evangelij reſuſcitat in nobis promiſſionem gratiæ, & pacis inter Deum & nos fœdera, accenditq; fidem in cordibus noſtris, jubens ut duremus cum arcâ ſalutis & throno gratiæ, Domino noſtro Jeſu Chriſto, per crucis hanc hebdomadem, ut Auguſtinus ait, eiq; adhæreamus firmiter. Huic enim ſat eſſe virium ad reſiſtendum, quantumlibet fortibus procellis: hunc & præter eum neminem eſſe, qui fluctus iræ divinæ remittere & repellere, tumentes hoſtium impetus retundere & confringere poſſit.

Atque hæc mergatur licet Chriſti navicula, minimè tamen ſubmerſum iri, hoc videlicet nauclero ſalvo, & de ſtatu ſuo dejici neſcio, teſtatur. Ac ne quid conſolationi noſtræ deeſſe poſſit, aut infirmitas fidei noſtræ requirere amplius, ecce columba arcam Noachi ingreditur ipſa, hoc eſt, Spiritus ſanctus ipſe Eccleſiam Chriſti ſibi tabernaculum deligit, & in fidelibus hujus naviculæ victoribus habitare gaudet, adflat ipſis per vocem Evangelij Spiritum lætitiæ. Spiritus ille, qui in prima creatione verſabatur ſuper aquas, & incubatione ſua inſtar gallinæ, ac ventilatione & motu vitam dedit poſtea creaturis: accendit in cordibus conſolationem, veram fidem, motus placentes Deo, ignis ſcilicet ille æternus, & flamma dilectionis inter Patrem & Filium, toties ſacrificijs veterum manifeſta facta: ignis ille in linguis Apoſtolorum die feſto pr

festo primæ Pentecostes Christianæ quodam conspicuus, & infinitis partibus nobilior igne vel Persico, vel Romanorum Vestali, vel hodiernæ etiam superstitionis ignibus, cum luce diei concertantibus. Denique uno verbo, templa nos sibi facit, & circumferimus in infirmitate nostra Deum in cordibus nostris, donec veniat dies magnus Domini, quo hostes Ecclesiæ submergẽtur ipsi, & detruedentur in lacum, ubi non est aqua: Pij autem, qui perseverârunt usque ad finem, neque stationem suam deseruêre, trepidi ve aut fugientes terga dedêre, feliciter cum Navarcho suo Domino nostro Jesu Christo ad portum appellent, & intrabunt regnum gloriæ, in quo lachrymæ omnes abstergentur ab oculis eorum, & tristitia hujus seculi convertetur in æternum gaudium, regnabuntq; cum Christo, & Sabbathum aliud ex alio celebrabunt.

Hæc, Auditores, allegoria Emblematis nostri est dulcissima, quâ si unquam opus fuit, hac profecto mundi senecta opus est, ut nos erigamus. Versamur ferè in alto, qui Christo nomen dedimus, & procellis tantum non obruimur: assultat & insultat naviculæ Christi truculentus ille draco infernus, eamq; pessum premere annititur. Seviunt hinc hæretici, & mendacio veritatem permutare nos volant. Fremit ex altera parte totus velut orbis, & videas omnia quasi retro sublapsa referri. Turcica minatur rabies: Tyrannis ac perfidia Marrana ingruit, & in sua viscera infelix savit Germania. Hic vos mihi viri estote Christiani, & consistite adversus hos insultus, rectumq; tenete in his fluctibus cursum, & in æquali æquore hoc æquum servate animum. Christo nauclero tuti satis estis, perq; Spiritum sanctum perseveramini ab hoc diluvio ad diem salutis. Quare mecum cordatè canite:

Aura tonet, sonet unda maris, fremat orbis & orcus:
Tu tamen insertos nos tibi, Christe, reges.

DIXI.

XXVIII. PANEGYRIS,
Anni 1604.

RECTORE D.D. NICOLAO TAURELLO, MEDICO.

ORATIO PRIMÆ CLASSIS,
RECITATA à JOHANNE-JACOBO WOLF, Spirensi.

Mirificè me delectat brabeum meum, ab Amplissimis D.D. Scholarchis, quibus gratas me debere gratias eo nomine libens profiteor, mihi tributum. Ideoq; ad id explicandum promtior sum, quantum per ingenij mei paupertatem quidem licebit: pace tamen id vestrâ fieri Auditores, & opto, & peto.

Video autem in hoc numo meo Pyramidis surgentem hederam muniminè celsæ: cui adscriptum est hoc Emblema: SPERNIT HUMILIA VIRTUS. *Picturam Plutarchus attingit in aureo illo libello, quem præcepta Reipublicæ gerendæ inscripsit. Duplicem ibi ait viam esse emergendi in Republi-*

ca: alteram pulchram admodum, sed periculosam, quâ quis sibi primordium in fronte ponit latè fulgens, ut Pindarus canit: nobiliq; aliquo facinore viam ad honores sternit: Alteram tutiorem, ideoq; tritiorem, quâ se juvenes obscuri, imitati hederam, quæ validam amplexa arborem sese attollit, seni illustri alicui applicant, ejusq; potentiâ quasi suffulti, radices in Republica agũt. Neque est inconveniens hæc accommodatio. Unde Cardinalis quoq; Lotharingus Pyramidem hederâ vestitam, in cujus apice luna exstabat, quæ regis Galliarum Henrici II. symbolum fuit, usurpare consuevit, innuens, tantisper se in virore & vigore perstiturum, quàm diu rex floreret, eumque præsidio suo tueretur. Magnus etiam patriæ nostræ vir eandem imaginem rebus sacris piè juxta atque eleganter accommodavit: non videlicet posse quemquam nostrum assurgere, vel emergere, nisi divino sufflulciatur & sustentetur auxilio. Verùm hæc superant meum captum. Itaque pro ingenij & ætatis meæ ratione, meo tantum æqualiumq; meorum commodo, aliovorsum trahere id Emblema conabor.

Censeo igitur ad nos, Adolescentes hanc imaginem quoque pertinere, & commonefacere, ut si velimus ad honores & dignitates omninò ascendere: non humilibus aliquibus animis, multò minus improbis nos jungamus, aut cum iis conversemur. Non enim fieri potest, quin affricet nobis eorum consortium aliquid de scabie sua: sed ut sectemur consuetudinem prudentissimorum quorumque & doctissimorum virorum. Neque enim, quod Cicero tamen extollit 1. Officiorum: Si ad claros & sapientes viros, benè Reipublicæ consulentes nos contulerimus: opinionem solùm populo afferemus, quasi eorum similes futuri simus: sed & re ipsa progressu tamen temporis experiemur, nos ex eorum consuetudine, vix animadvertentibus ipsis, non parum profecisse. Ut qui in Solem venit, licet non in hoc venerit, ut coloretur, coloratur tamen, & qui in unguentariâ tabernâ paullò diutius consedêre, odorem loci nec opinantes secum ferunt: sic qui cum sapiente consuetudinem habent, etiamsi id non agant, meliores tamen redduntur. Neque verò hic fastus putandus est, aut tumor aliquis fermenti juvenilis. Non enim jubemur nos viris magnis ex æquo componere: (cujus enim id foret dementiæ?) sed jubemur sectari eos, tanquam clientes patronos suos solent: eos venerari & observare, & ad eorum dicta ac facta nostra item effingere atque componere. Illi verò delectantur etiam juvenum conversatione, & cupiunt eos sibi quàm similimos esse.

Ideoque

Ideoque si per infirmitatem judicij non omnia sua consilia pervideant, aut ætatis infirmitate cespitent, nec perfectionem eorum assequi possint, monent amicè, erigunt, inq. viam errantes reducunt, donec longo & usu & exercitatione judicium in iis intendatur, & confirmatus animus eundem cum ductoribus tenorem observet, & rectâ regiâq. viâ ad sapientiæ callem contendat. Summa, descendit in pectora hæc conversatio, & vim præceptorum obtinet, frequenter audire sapientes & doctos; frequenter intueri: immò etiam aliquando ex tacente tali erit, quod proficias. Quare mei Adolescentes, quoniam homines facti sumus, hoc est, animalia civilia, quæque solitudinem oderint: quando omninò conversatione gaudemus, ijs nos applicemus & affricemus, unde gloria nobis accedat, non infamiâ: unde fructus ad nos deriuetur, non damnum. Sic fiet, ut adolescentia etiam nostra tanquam in herbâ significet & ostendat, quæ virtutis maturitas, quantæq. fruges industriæ nostræ sint suo tempore futuræ. DIXI.

ORATIO SECUNDÆ CLASSIS, RECITATA à CHRISTOPHORO PRZECLAUSKI, Polono.



MCurius adolescentis, qui in dilectu non paruerat, bona primùm hastæ subjeciſſe: deinde eum ad tribunos appellantem vendidiſſe scribitur, additis his verbis: non sibi opus esse eo cive, qui parêre nesciret. Tu, Rector Magnifice, ne, ut abutar præsumtionis verbis, idem in me

ſtatuere poſſis: obedientem me potius habebis civem: veſtrâ etiam, uti ſpero, Auditores ſplendidiſſimi, bonâ cum gratiâ.

In numiſmate mihi, ab Ampliſſimis D.D. Scholarchis tributo, duplex conſpicor ſpeculum: quorum alterum formam Adoleſcentis galeati, & præclari aliquid de ſe ipſo vultu promittentis: alterum Fauni alicujus truculenti, ſive Satyri imaginem exhibet. Additum eſt agalma: OBIECTARE FERT. *Id quò rectius trahi poſſit, quàm ad adoleſcentem noſtram ætatem, equidem nullus video. Ut enim ſpeculum, corpus leve admodum & politum, quasvis oblatas figuras recipit & repræſentat, deformes æquè ac pulchras: ita adoleſcentum animi, qui Ariſtotele auctore, tabulæ veluti raſæ ſunt, quibus nihil dum inſcriptum eſt: quibuscunque artibus imbuti fuerint, ſeu bonis ſeu malis, eas exhibent: ſic ut evadant boni ſi bonis & honeſtis exerceantur ſtudiis: mali contra, ſi malis artibus à teneris aſſueſcant. Operam itaque dari debere, ne pravis formatoribus in prima pueritiâ tradantur. Plurimum verò in hoc ſitum eſſe, ex eo liquere poteſt, quòd quæ adoleſcentes à prima ætate imbibêre, ea difficulter, immò vix, ac ne vix quidem eis eripi poſſunt, verè enim Horatius:*

Quo ſemel eſt imbuta recens, ſervabit odorem,
----- Teſta diu.

Accedit, ſæpè ad improbitatem, ſi ei adſueverint, improbitas alia, ut quæ perperam didicêre aut fecêre, perperam tamen facta confiteri nolint. Et agnoſcant ſanè aliqui, ſe à virtutis ſemitâ aberraſſe: non tamen, ut Cæneus ſubitò è muliere factus eſt vir optando tantùm, ſic repentè ex improbo probus quis evadit, & qui cubitum ivit ſtultus, ſurgit ſapiens, ait Plutarchus. Quæ cùm ita ſint, omnis cura parentum in eo verti debet, ut fideles & peritos ductores filijs ſuis, ab ipſis, quod dicitur, unguiculis præficiant, qui eos fingant, & ad virtutem honeſtos, mores primâ ſtatim ætate componant. Ut enim teſte Plinio, gypſo madido ſtatim utendum, quòd celerrimè ſiccetur & indureſcat: ita ſtatim fingenda moribus ætas rudis, priuſquam durior non admittat fingentis manum. Qui literarum item cognitione eos excolant, & liberalibus artibus admoveant. Hic enim ille color eſt, quo homines maximè delectantur, quoque imbuendi primum ſunt, ne pannus ætate attritus tincturam recipere poſtea detrectet. Adſuefaciendi verò ad eas literas, quæ uſum in omni vita habent, optimaq; primùm diſcenda: neq; ætas tenella, ut olim Ariſtippus

quoque

quoq; monuit, supervacaneis occupanda. Ignorareq; eum multa utilia necesse est, qui multa supervacanea didicit. Neque hic mihi quisquam dicat: frustra operam hanc sumi. Unicuiq; enim in ipso adhuc matris utero ingenium fingi. Docuit enim jam pridem Lycurgus in brutis animalibus, quid possit institutio: nedum homo, cui rationis usum Deus etiam communicavit. Ubi autem facere hoc parentes neglexerint, & liberos suos malorum omnium magistris luxui & otio permiserint: quid miri, si corrumpantur & pessum eant? Quis enim spem boni ullam habebit in eo, cujus primum ætatis tempus palàm fuerit ad incentiva illa libidinum divulgatum? & quomodo secundum virtutem agere poterit is, qui virtutem, cujus etiam coloris sit, ignorat? Nostrum quoque erit, Adolescentes si parentes officium faciant, & fidelibus Ephoris nos commendent: non recalcitrare aut effrenes esse, sed faciles flecti regiq;, nostro publicaq; rei bono. Etenim optimus est,

Qui potis est proprio vivere consilio.

Non minori tamen in pretio est, qui cum proprio consilio vivere non possit, qualis ætas nostra est: benè monenti tamen scit parere, & ad ejus voluntatem se suaq; omnia dicta & facta componere. DIXI.

ORATIO TERTIÆ CLASSIS, RECITATA à VITO-ULRICO à LICHTENSTEIN, Franco,



TRitus plurimorum sermone versiculus est, Magnifice Domine Rector:

Plura loqui juvenes, utiliora senes.

Ego quamvis nec multa loqui potero, alij verò longè utiliora possent: parêre tamen voluntati tuæ certum mihi decretumq; est. Numisma igitur mihi, meisq; æqualibus ab Amplissimo Senatu Norico tributum, repræsentat mihi horologium sciatericum, ut Plinius appellat libr. 2. histor. suæ, cap. 27. qualia hodie solaria dicuntur, quibus horæ denotantur ad solem veru to umbram faciente, vel pinnulâ, aut æneo gnomone. Hoc sciatericum ambit circumsecus Emblema hoc: FIRMÆ CONSTANTIA LEGIS. *Quo Amplissimus ordo, pro celebri per Germaniam omnem prudentiâ suâ monere voluit: Legum auctoritatem & custodiam curæ nobis esse, cordiq; debere: quod paucis in gratiam meorum æqualium evolvam. Ut solarium rectè horarum spatia designet, volunt Mathematici, filum perpendiculare rectum esse, & extensum firmiter, sic ut æqualiter umbram & in circumferentiam circuli antemeridianam, & pomeridianam spargere possit: umbra verò in ipsum filum incidens, signet meridiem. Quod eorum scitum rectissimè legibus accommodari posse censeo: debere videlicet eas eodem tenore, & superiores & inferiores constringere, nulla habita vel generis, vel dignitatis respectione: atque omnibus, ut ait Cicero, una & communi voce loqui. Futurum namq; sic, ut status Reipublicæ omnibus similiter parentibus, in medium conclusus atque cunctis firmior sit: felicitatemq; suam ipse clamet & publicè testetur. Nam si eadem (quo simili Anacharsis olim perhibetur usus) aranearum telis similes sint: in quibus animalcula infirmiora hæreant, valentiora perrumpant: actum erit brevi de benè etiam cæteroqui constitutâ Republicâ. Fenestræ enim aperiuntur potentioribus ad inferendas humilioribus injurias: & hi æmulatione atque contumeliâ exagitati, ad seditiones facilè prolabuntur. Neque hic ipsos etiam Magistratus aut Principes exceptionem facere arbitror: Ut enim filum solarij, si ipsum non sit rectum, umbras spargit inæquales: ita si Magistratus ipse, qui regula subditis esse debet, legibus non obtemperet, his quoque ad parendum segnius auctor erit. Didicerat hoc Plato, cujus gravissima sententia 4. de legibus extat: quâ profitetur, videre se paratum illi civitati exitium, in quâ non lex Magistratibus, sed legi Magistratus præsint: Salutem verò illi, ubi lex servientibus Magistratibus dominetur. Omnia certè bona, quæ Dij civitatibus præbere soleant, talem civitatem aut manere. Secutusq; est tam utile consilium optimus Trajanus, qui, ut Dio in vita*

ejus

ejus narrat, gladium Præfecto prætorio tradens, dixisse fertur: Hoc gladio pro me ita tare, dum justus ero; sin immutatus fuero, contra me. Et Antiochus tertius, civitatibus imperio suo utentibus scripsisse perhibetur: Si quid unquam mandasset per literas, quod legibus adversi retur, ne curarent: sed haberent pro illo, quod se nesciente scriptum esset. Ut verò bonus Princeps ipse legibus parêre tenetur: ita illi quoque incumbit vel maximè, legum esse custodem diligentem, & executorem severum; omnibus ex æquo jus dicere haud aliter, quàm gnomon solarij sine discrimine omnes horas indicat, non minus ultimam, quàm primam. Non decet πορσωπολήπτην *esse aut* δωροφάγον, *aliisve animi affectibus emancipatum: sed cum in leges peccatum fuerit, amici personam exuere, judicis severi induere:*

Ecquid enim leges ubi fortè pecunia regnat,
Aut plus jure ipso gratia, amorque valent?

Non enim, ut olim Demosthenes, accurrere ipsæ possunt, & opem injuriâ affectis ferre. Literæ enim sunt, sive ut Pittacus loquebatur, ξύλα πιπλα. *Vis earum est, si Magistratus eas confirment, semperq; ratas & firmas exhibeant, opem earum imploranti. Cum enim leges se habeant sepis aut coronæ instar, quâ salus publica veluti religata continetur: cavendum studiosè, ne diripiatur illa aut vastetur. Quod Pythagoram suasisse ænigmate,* σέφανον μὴ δρέπεσθαι, *D. Hieronymus nos docuit.*

Quæ omnia nos quoque commonefaciant, ut legibus, in quarum observatione salus publica consistit, lubenter studioseq; pareamus: neutiquam δουλίαν putantes, τὸ νόμων ὑπακόειν: *Magistratus verò omnis operam det, ut leges primum etiam sibi scriptas publicè testetur; deinde strenuus earum erga omnes delinquentes sit executor. Virtus enim boni magistratus est, auctore Pythagora, ut omnibus civibus idem sit: nullaq; re alios quàm justitiâ & æquitate vincat.* DIXI.

ORA-

ORATIO QUARTÆ CLASSIS, RECITATA à CAROLO GRUNDHERRN, Patric. Noribergensi.



IN brabeo meo, Rector Magnifice, splendidissimiq; Auditores, (Antelogio enim utendum mihi non existimo, cùm nihil nisi gratiam ætatis in me ad dicendum prodire jusso, spectatum sciam) video expressam imaginem Hortulani, stipiti effœto surculos teneros inserentis, cum hac inscriptione: FIT SURCULUS ARBOR. Hæc imago de multis, ijsq; jucundis admodum rebus nos commonefacit: quas nudè, ut à præceptoribus meis accepi, proponam solùm, vobis accuratius eadem pensiculanda relinquens.

Atque hortulanus quidem hic omnis mihi paterfamiliâs esse videtur, qui Dei mandato motus, generisq; humani propagandi studio, legitimo modo sese fœminæ jungens, suscipit ex ea liberos: eosq; sic deinceps educat atque instituit, ut futuro prosint seculo: nominisq; sui memoriam ab oblivione & interitu vindicent: ætate denique & senio confecto novas vires, nova robora subministrent. Rectè enim togatorum illius doctissimi Varronis illud, quod de viris doctis prodidit, huc quoque trahere licet: Serere parentes arbores, quæ futuro prosint seculo, & fructibus suis luxurient. Ut nihil dicam, debere cuiq; sui memoriam & æternitatem charam esse, quæ conservari melius non potest, quàm generatione sobolis. In hac enim quisque renascitur, ut ait divinus Plato. Et breviter quidem, sed significanter admodum monet Phocylides: μὴ μείνῃς ἄγαμος, μὴ πῶς νώνυμος ὄλῃαι.

Ne ma-

Ne maneas cœlebs, ne tecum fama quiescat.

Munimentis verò multis insistere in extremo vitæ, & utile parentibus est, & jucundum: Verissimè enim ille Græcorum absolutissimus Poëta Oppianus:

Πατρὶ δ' γηραϊκῷ νέον σθένος υἱέες εἰσίν.

Id est: Grandævo confert patri nova robora proles. Quo & suavissima Nazianzeni sententia pertinet, quâ filios baculos senectutis paternæ vocat, quibus innitatur ea, & gressus firmet. Quod consilium parentum, ut eventu suo prosperetur, institutione bona opus est & diligente: exemplo q. ad virtutem præire ipsi nobis debent. Multa enim sunt, quæ ingenia etiam non mala in præcipitium secum abripiant, nisi disciplina & ὀρθοτης institutionis eadem sistat. Certum etiam est, affirmante Platone 6. de legibus, mores parentum filiis imprimi, & quales illi fuerint, boni sive mali, tales quoque liberos esse solere.

At quando parentes officium suum faciunt: vicissim nos decet faciles esse flecti regiq., ut tenelli solent surculi: hoc est, parere monentibus, abstistere ab eorum læsione æquum est: ætate verò confectis, ut idem veteris sapientiæ princeps monet, ἀνθυπαλάγησιν declarare, curasq. & solicitudines eorum, quæ nobis pueris fœnerati sunt, reddere ipsis in senectute, cum maximè indigent, convenit. Quò nos non solum Dei lex atque immota voluntas, sed & insignis promissio legi adnexa, quam versiculus ille vetus exprimit: ἱκανῶς διώσεις γηροβοσκῶν τὰς γενεᾶς. Id est: Diu vives, senectam si parentum nutries: Item pœnæ ingratis filiis denunciatæ earumq. tristia exempla, allicere & permovere debent.

Potest & hoc ex brabei nostri sculpturâ doceri, non debere nostram puritiam adultis risui aut contemtui esse, quia nondum rebus gerendis idonei simus, aut publicè usui. Neque enim surculus quoque fructus statim, cùm inseritur, fert: sed postquam in arborem excrevit, tùm demum esse commendabilem reddit. Ita spatia nobis fiant, & ostendemus nos quoque à majorum nostrorum virtute & ingenio degenerare noluisse. Verùm in hoc operam ultrà non sumo: ne munere hoc mihi ab Amplissimis D. D. Scholarchis oblato, recessisse à me modestia; successisse tumor aliquis aut fastus videri quibusdam possit. DIXI.

XXIX. PANEGYRIS, Anni 1605.

RECTORE D. M. JOHANNE PRÆTORIO, MATHEMATICO.

ORATIO PRIMÆ CLASSIS, RECITATA à LUCA-FRIDERICO BEHAIM, Patric. Noribergensi.



IN hoc numismate Bacchus, Venus, Bubo & Vespertilio expressi cum inscriptione: NIHIL MODERABILE SUADENT. quid aliud nos commonefaciunt, quàm circumscribendam gulam, fugiendam libidinem, occasionem noctis devitandam? Isthoc enim (ait verè Comicus) illecebrosius nihil fieri potest: nox, mulier, vinum, homini adolescentulo. Ac Bacchi quidem, quem ob eam causam veteres, nunc pantheræ, nunc tauro assimilant, quæ sit impotentia & effrenatio, nemo nostrûm scit. Enim verò cum vis vini mentem possedit: exsurgunt cupiditates,

ditates, ac velut equus jubam caputq; erigens, pars illa animi bruta ac petulca frenum mordet, rectoremq; rapit suum. Tunc quæ sobrietas paullò ante animi mala texerat, suppresseratq;, occultandi continendiq; nulla est potestas. Promit se invidia, emergit malignitas, ebullit levitas, effertur superbia, effervescit iracundia, erumpit crudelitas, furit petulantia, bacchatur libido. Nullum est denique vitium, quod tunc non refractis pudoris repagulis, prosiliat. Vinum enim (quod Græci non minus verè quam eleganter dicunt) caret gubernaculis, & ideo animus eo obrutus sufflamminari nequit. Ruit præceps in omne fas nefasq; avidus. Hoc quantum est malum! & quàm multos ad omne scelus hoc modo ebrietas pessumdedit! Sic manum Cambysis in cor filij Prexaspis amicissimi sui direxit: sic Alexandrum Magnum in necem Clyti conservatoris sui armavit: sic in eadem civium proscriptionemq; Senatus M. Antonium triumvirum efferavit: sic Caligulæ, sic Neronis, sic Vitellij, sic Commodi, sic Maximini, sic Gallieni, sic plerorumq; aliorum inflammavit crudelitatem: sic toties hostes eversoresq; Reipublicæ effecit: cum unus ad Rempublicam evertendam sobrius C. Julius Cæsar accessisse perhibeatur. Jam libidinis cujusmodi fax & incendium est ebrietas? ut non immeritò Poëta dixerit:

Et Venus in vinis, ignis in igne furit.

Hinc etiam Bacchum ejus Divi, quem verecundia nominare non patitur, cognomento veteres insignivêre, quod nimirum ebrietas & libido plerumque sint conjuncta ac pariter incedant. Hoc utinam non suo exemplo Loth Patriarcha comprobâsset: cujus in turpissimũ incestum ebrietas quamvis nescia, incurrit: sed impius & immanis Neronis animus prudens sciensq; mero incaluit: nec aliter ut putò Caracalla. Vitanda est igitur ebrietas, quèis castum vitæ placet propositum: sed & quibus placet omninò sanitas. Namque ebrietas nihil aliud est, quàm voluntaria insania, quæ continuata, aut sæpius repetita habitum inducit animo, sic ut consuetudine insaniæ durata, vitia vino concepta, etiam sine illo valeant. Hæc per nonaginta aliquando dies continuata, omni usu rationis spoliavit Dionysium juniorem: hæc Cleomenem regem Spartanum: hæc Cotyn regem Thraciæ (de cujus insaniissimâ insaniâ nescio quis monstra narrat apud Athenæum lib. 5.) hæc Antiochum ve & nomine Epimanem in furorem egit; hæc Claudium & Vitellium quavis pecude hebetiores reddidit. Jam illud cujusmodi est, quod ex Timæo idem

refert Athenæus? Fuisse domum Agrigenti, quæ Triremis appellationem invenerit, tali casu. Juvenes quidam in eam convenerant, atque inibi dies plusculos perpotârant, cum tandem eo mentis errore sunt affecti, ut sibi viderentur in alto jactari sævissimâ tempestate, jam jam submergendi, ac velut in triremi sentinarent, ita in ædibus concursabant laborabantq; : quæ insania per complures dies, ita illis duravit, ut vix ægrè tandem ab ea liberari potuerint. Sed non est operæ, omnia ebrietatis vitia recensere : demittamus potius in pectus dictum Polemonis, qui ad cœnam ituros hortabatur ad eam compotationem, quæ esset non tantum in præsens jucunda, sed & in crastinum : quo nomine laudabat olim Timotheus Platonis sobriam & frugalem cœnam. Hanc si sobrietatis orbitâm firmo & constanti pede calcabimus, non tàm facile ad vitia ac præsertim libidinem exorbitabimus : quæ ipsa ut filia ebrietatis, sic mater maximarum calamitatum meritò audit. Cum enim velut fera bestia, semel pudore calcato, vinclisq; verecundiæ abruptis, prorumpit, sisti non potest, quin non solum singulos, sed domos, civitates, regna, nationes, evertat. Jure igitur ab ea tanquam à furiosa & agresti dominâ libenter se profugisse, prædicabat Sophocles. Quid enim illa moderabile suadeat seu potius imperet, quæ Paridi raptum Helenæ imperavit, atque illud amoris incendium conflavit, quo ipsius patria non sine maximo motu generis humani ac clade Europæ & Asiæq; conflagraret? Incredibile memoratu est, quot & quàm dira exempla omni ævo ediderit libido. Simus contenti his paucis. Scedasi cujusdam filias per ejus absentiam vi stuprârant duo Lacedæmonij juvenes, deinde ne indicium existeret, interfectas in puteum abjecerunt. Hoc scelus Spartani neglectum postea Leuctrica clade luerunt. Philippi Macedonis, illius qui cum Romanis bellum gessit, fugiens libidines cum liberis Theoxena, cum insequentes regios effugere non posset, liberos, seq; super occidit, diris, ante effusis in Philippum, quæ mox ipsum, filios, domum, regnumq; totum unâ ruinâ involverent. Sed ne in his diem teramus; nota est in sacris literis clades tribus Benjamiticæ, ex hoc fonte profluens; nota Davidis adulterium consecuta mala; nota stuprum Dinæ; nota incestum cum sorore Ammonis; nota est ex profanis historiis Pausaniæ ducis Spartani pernicioſa ipsi libido; nota Lucretiæ historia; nota Virginiæ. Quid multa? Si vel millesima pars exemplorum huc pertinentium libentur, dies citius quàm oratio deficiat. Sint nobis pro omnibus Sodomorum etiamnum fumantia vestigia : sit

lacus

lacus ille & regio cœlesti igne exusta: moneat nos illa terrarum pulcherrimarum clades, ut caveamus, detestemur, abominemur pestem illam & labem generis humani, quæ hominem non infra suam solum dignitatem, sed vilitatem pecudum belluarumq; deprimit. Etiam illud cujusmodi sit, nobiscum expendamus, quod veteres duplicem Deam Venerem finxerunt, cœlestem alteram; alteram vulgarem. Illam, quæ pulchritudine rerum honestarum amatores suos succendat, nullis omninò ad turpitudinem stimulis aut illecebris: quam proin rectè lucis dieiq; comitem sociamq; dicemus: hanc verò quam stuproram incestarumq; noctium sibi conscium rectè lucem reformidare, tenebrasq; ac solitudinem instar bubonis avis nocturnæ, aut vespertilionis lucifugæ captare autumabimus. Etenim natura, quæ pulchra, quæ honesta, quæ cum virtute sunt conjuncta, luce frequentiaq; lætantur: at turpia, probrosa, scelerata noctem solitudinemq; quærunt. Quisquis perversè agit (ait Servator noster) odit lucem, nec venit ad lucem, ne arguantur opera ipsius: qui verò sincerè agit, venit ad lucem, ut manifesta fiant facta ipsius, quod secundum Deum facta sunt.

Vitanda est igitur nobis illecebra peccandi, optimi Adolescentes & æquales, nox machinatrix facinorum, occultatrix & adjutrix scelerum, libidinum instigatrix. Multos enim corrupit, & ad quidvis audendum omni pudore exsuto, perpulit latendi ista per tenebras fiducia. Sed nos certum habeamus, nihil illum vigilem & inconnivum Justitiæ oculum latere, radiosq; divinæ lucis mediis interlucere tenebris. Quin & ipsum cœlum ad spectaculum circumfusum perhorrescamus, & tot illos noctis collucentis oculos: sicq; statuamus, quæ in tenebris patraverimus, bona sive mala suo tempore retectum omnia iri, ac præmia pro meritis nos percepturos. DIXI.

EMBLEMATIS SECUNDÆ CLASSIS EXPLICATIO, RECITATA à VITO ULRICO à ROTENHAN, Franco.



IN hoc numiſmate cancer conſpicitur, dorſo globum terreſtrem, quo mundus ſignificatur, geſtans, cum hac inſcriptione : SIC ORBIS ITER. *Id promptum eſt de rebus humanis interpretari, non minus tortuoſis, pravis, monſtroſis, ac neſcio quâ ad malum pronitare naturæ retrogradis, quàm eſt greſſus cancrinus. Hoc ſi diligentius attendimus, in affectibus, in actionibus, in moribus, eventis denique humanis, deprehendere eſt. Affectus, cum ad virtutem nobis aurigetur ratio, ad vitia tranſverſos rapiunt : Video (inquit Medea apud Ovidium) meliora proboq́ : deteriora ſequor. Enimverò velut turbo quidam nos rotat involvitq́ fugientes ſequenteſq́ eadem: Urit ac malè nos habet ambitio : honore tamen carere non poſſumus. Avaritiæ omnes uno ore facimus convicium ? ad ſpem tamen lucri cæci & præcipites currimus. Odimus in alijs vitia, ac punimus etiam ; quibus ipſi cupidiſſimè indulgemus : Sic dum à rebus, quarum à natura nobis infixa adverſatio eſt, quaſi refugimus, & ad eaſdem cæci ferimur : pulchrè cancros repræſentamus, prorſum retrorſumq́ gradientes. Sed non ſolùm iſta cum ratione pugna affectuum eſt, ſed & ipſi inter ſe rixantur, atque in diverſa tendentes miſellum hominem diſtrahunt : Surge, inquit, in homine avaro, quem ſimul & luxuria ſibi mancipavit, cupiditas divitiarum, adorna iter, onera navem mercibus*

trans-

trans maria vehendis ac distrahendis, vel, si mavis, da nomen militiæ: quæsito opus est. At enim luxuria renitens: Tune ut voluptatibus careas: ut labore mutes delicias? ut incerta pro certis captes, interim tot acerbitatibus lacerandus, tot discrimin ibus objectandus? Cujusmodi altercationem graphicè nobis satyrico penicillo depinxit Aulus Persius. Et hoc est quod Plato libr. 1. de legibus, affectus nervis quibusdam ac verticillis assimilat, quibus velut quædam sigillaria ac neurospasta in diversa trahimur: quod sapientissimus Marcus Imperator, sine libri tertii de vita sua, Νευροσπαστεῖσθαι ἐμμελῶς, hoc est, neurospastorum more impelli ad res agendas, sanè quàm eleganter dicit. Jam in actionibus humanis videmus quàm curva sint omnia, quàm depravata, quàm perversa, quàm præposteræ. Quod virtuti debebatur, divitiis defertur: inter bonos malosq; nullum discrimen: imò bonorum præmia mali intercipiunt: sustinet pœnam nocentum innocens: malo est innocentia, contumeliæ pudor, ludibrio probitas: simplicitas ubiq; vapulat: ob virtutes certissimum exitium. Quid multa? Sic est iter orbis, ut Seneca censeat, suum sapientem, more siderum mundo obluctantium, contrarium reliquis mortalibus iter pergere: Jure id quidem: Quis enim sapiens cancri iter pergat? Veruntamen cum inter homines vivendum sit, & in hac fæce vel invitis manendum: necesse est ut regulam illam directissimam paululum inflectamus, cum (si quid credimus Socrati apud Platonem, ad concionem Atheniensium pro se verba facienti) ne salus quidem eum servârit, qui verè nec simulatè cuiquam multitudini adversetur, ac multa injusta, contraq; leges in civitate fieri prohibeat: Hoc nimis quàm verum, ac velut ex oraculo Apollinis Pythij editum sensit, præter alios Cato ille Uticensis, qui dum velut in Republica Platonis non in fæce Romuli sententias dicit, sibi ac Reipublicæ exitium properavit. Sed & idem in regno ac principatu esse, innuit dictum illud Domitij Afri apud Quint. Princeps qui vult omnia scire, necesse habet multa ignoscere: quod quidem ad quemvis etiam privatum patremfamilias trahamus licet: & ut paucis omnia complectar, cuicunq; est cum hominibus commercium, ut iis se non sine aliqua fraude recti boniq; adtemperet necessum est. Hinc cum recto, ut ait Poëta, vivere talo omninò nemini liceat; liquet, cur orbis iter cum gressu cancrino comparetur. Præter hanc rationem comparationis hæc quoque reddi potest, quod ut cancer retrograditur, sic res humanæ retroferri, in pejusq; ferè mutare ament. Hinc est quod seculum antiquum, quod an-

quod annos priores crepamus, quod præ præsentibus extollimus præterita; quod de futuris desperamus. Et sanè negari non potest, quin magis magisq; cum mundo consenescant virtus, probitasq;, & Horatium verè exclamare, res ipsa testis est:

Ætas parentum pejor avis tulit
Nos nequiores mox daturos
Progeniem vitiosiorem;

Proinde & mala publica simul invalescere necessum est, ut quantum crescant vitia, tantum felicitas mortalium decrescat.

Jamque caput quassans grandis suspirat arator,
Et dolet, incassùm magnos cecidisse labores,
Et crepat antiquum genus ut pietate repletum,
Perfacilè angustis tolerarit finibus ævum,
Cum minor esset agri multò modus ante virilis.

Sic nunc semper, ut ait idem Poëta, in partem pejorem liquitur ætas: & ut alius:

--------Sic omnia fatis
In pejus ruere, ac retro sublapsa referri.

Quod idem in singulis regnis vel Rebuspublicis annotare licet. Fortes initio Persæ, ac proinde felices: dehinc luxu corrupti, ne dicam effœminati, Macedonum jugum subiere. Athenienſium virtutem campus Marathonius, & infecta, partâ de Xerxe victoriâ, maria affirmant, quid tamen iis posteriori ævo deterius vel infelicius? Lacedæmoniorum Respublica disciplinâ Lycurgi diu stetit, viguitq;: post unà cum ipsâ, collapsa & extincta est. Romanus populus (ut scribit Annæus Florus) initio pulcer, egregius, pius, sanctus atque magnificus: pòst fœdus, flagitiosus, sceleribus juxta ac miseriis coopertus, donec tandem pessum ijt. Jam quotusquisque regum sive principum ad eum gustum exegit imperium suum, quem initio præbuerat? Legimus in sacris literis, initia regni Saulis cujusmodi fuerint; sed & media atque extrema ejusdem legimus: quin & ipsum Davidem non eundem adulto regno, qui fuerat nascente. Legimus Salomonis impiam & deliram senectutem, cæterosq; subinde reges, posteaquam se fortuna eorum animis diuturnitate regni superfuderat, aut à Deo prorsus desciſſe, aut saltem gravem ejus provocâsse iram. Quid verò Alexandro Magno castius, temperantius, sanctius, omnibusq; re-

*busq; regiis virtutibus ornatius? Idem posteà quàm turpis, quàm crudelis, quàm sui dissimilis, ut vix idem videretur. Tiberium Cæsarem hoc elogio macta*t *Tacitus: Morum quoque tempora (inquit) illi diversa: egregium vita famaq; quoad privatus, vel in imperiis sub Augusto fuit: occultum ac subdolum fingendis virtutibus, donec Germanicus & Drusus superfuêre. Idem inter bona malaq; mixtus incolumi matre: intestabilis sævitia, sed obtectis libidinibus, dum Sejanum dilexit timuitve. Postremò in scelera simul ac dedecora prorupit, postquam remoto metu, suo tantum ingenio utebatur. Idem ferè de reliquis Imperatoribus habemus dicere, è quibus solus Vespasianus, ut idem Tacitus testatur, omnium ante se principum in melius mutatus est. Jam de successoribus regum sive Tyrannorum, notum est, quod urbana illa anicucula Syracusana in os Dionysio tyranno ingesserit: quod Romani quoque cujusmodi esset senserunt, cum Tiberium pertulissent successoribus Cajo ac mox Nerone. Quid plura?* Sic orbis iter est: *Raros ac tardos facit ad bonum progressus: crebros & celeres ad mala regressus.* DIXI.

ORATIO TERTIÆ CLASSIS,

RECITATA à WOLFGANGO MATLSEDER, Austriaco.

BRabeum nostrum, Auditores præstantissimi atque humanissimi, lacertam in littore maris ad rupem consistentem & succini à solis ardore liquescentis destillationi intentam: sed interim

incautam illam atque improvidam paulatim ab ipso liquore obductam, suffocatamq; exhibet, cum hac inscriptione: VISCOSA VOLUPTAS. *Materiam Emblemati præbuisse videtur Plinius, ille sagacissimus naturalium rerum investigator atque interpres, qui libri sui ultimi capite 3. Succinum in insulis gigni septentrionalis Oceani, & in littora expelli scribit ita volubile, ut pendere videatur atque considere in vado: quod arboris succum esse prisci crediderint, ob id succinum appellantes. Liquidum primò distillare, argumento esse quædam intus translucentia, ut formicas aut culices, lacertasq;: quas adhæsisse muscos non sit dubium, & inclusas indurescenti. Hæc ille.*

Quibus ætatem nostram de voluptatibus noxijs turpibusq; fugiendis admoneri existimo. Nam qui in usu voluptatum assidui sunt, & admiratione illarum propemodum obstupescunt: tandem quasi illito visco impediti hærent, cumq; lacerta ista, quæ splendens & pellucidum succinum otiosè contemplatur, exitio miserabili immerguntur. Equidem primâ specie blanditur naturæ nostræ, multosq; ad se allicit voluptas: sed postquam animus se magis magisq; cupiditate devinxit malâ, ita ut jam nihil curet, nihil cogitet, nihil expetat nisi delicias ac voluptates, non potest in multos dolores non incurrere, maximisq; periculis obnoxius esse. Nam qui voluptatibus vehementer diti sunt; mentem primum, id est, nobilissimam hominis partem (quam veteres ex Dei ipsius mente decerptam ac divinæ particulam auræ dixerunt) prægravant, corrumpunt, obtundunt, humiq; affligunt. Deinde, ubi patria consumserunt bona, omnesq; facultates dissipaverint, ad inopiam redacti, & omnium ludibrio expositi, miserrimam & acerbissimam vitam degunt. Postremò, qui gulæ ac libidini serviunt, persæpe: quid dico persæpe? immò semper imbecillum, enervatum, maximis doloribus, morbisq; gravissimis cruciatum corpus trahunt verius, quam circumgestant.

Exempla sunt innumera, quæ veritatem sententiæ meæ confirment. Anyti illius, qui Socratem accusavit, filius adolescens cùm neque noctu, neque interdiu bibendi finem faceret, ita de statu dejectus est, ut nec sibi nec patriæ tandem prodesset. Marcum Antonium Triumvirum, quæ res alia perdidit, & quod adhuc bonum ac salubre vitiisq; repugnans in ipso inerat, sustulit atque delevit, quàm ebrietas & Cleopatræ amor? Quid? nonne somnus, & vinum, & epulæ, & otium, & nescio quæ alia intemperantiæ genera, Annibalis exercitum, Capuam in hyberna missum, fregerunt, enervarunt, perdiderunt? Et

runt? Et apud Ælianum Ægyptius quidam, qui repudiata frugali ac sobria vivendi consuetudine, Persarum luxum & delicias amplexus fuerat, vitam in dysenteria transegit, & luxuriam denique cum morte commutavit. Quæ cum ita sint, rectissimè Aristoteles & sapientissimè videtur auditores suos monuisse: ut voluptates non venientes, sed abeuntes: non à fronte, sed à tergo contemplarentur: eò quòd venientes fucatâ specie blandirentur; abeuntes autem pœnam ac dolorem relinquerent.

Quocirca Adolescentes optimi, & commilitones jucundissimi (ad vos enim hæc mea spectat oratio) de brabei hodierni picturâ, sæpè multumq; cogitate: & voluptatem, utcunque miro artificio sensibus sese ingerat, viscosam & insidiarum plenam esse considerate: eosque qui temerè se suaque illi credunt; perinde ut Emblematis nostri lacerta succino liquescenti & tenaci sese committunt: eos inquam ita implicari, ita suffocari, ut & mentis sanitas, & bona corporis valetudo, & pecuniæ illorum atque fortunæ, magnis incommodis periculisq; urgeantur. D I X I.

ORATIO QUARTÆ CLASSIS,

RECITATA à GEORGIO RITTERSHUSIO, Altorfino.



QVanta sit apum in opere faciendo assiduitas, ex Plinij verbis perspicuum est, libri undecimi capite decimo ita scribentis: cùm agmen ad opera processit, aliæ flores aggerunt pedibus, aliæ aquam ore guttasq;

lanugine totius corporis. Quæ flores comportant, totæ onustæ remeant sarcinæ pandatæ. Excipiunt eas ternæ aut quaternæ atque exonerant. Sunt enim intus quoque officia divisa: Aliæ struunt, aliæ suggerunt, aliæ cibum comparant ex eo, quod allatum est. Et mox: Mira observatio operis: cessantium inertiam notant: castigant mox & puniunt morte. Virgilius quoq; libro quarto Georgicorum inter plura, quæ de naturis apum adfert alia, scribit, quod:

Venturæ hyemis memores, æstate laborem
Experiantur, & in medium quæsita reponant:

Quodq; sit.

Omnibus una quies operum labor omnibus unus.

Et:

Cecropias innatus apes amor urget habendi,
Munere quamque suo. ----Fervet opus.

Contra:

Ignavum fucos pecus à præsepibus arcent.

Plinio & Virgilio optimis authoribus assentitur præsens congiarium, in quo apiculas quasdam circa alvearium volantes, & succum ex floscul is haustum favis importantes, videre licet. Adjectum est insuper hoc Emblema: DULCIS ESCA LABORIS. *Ac laboris quidem studium non solum Amplissimi Domini Scholarchæ, verùm etiam natura ipsa, vel potius naturæ opifex Deus in eo nobis commendavit, quod universum hunc mundum, & quæ ejus complexu continentur, ad certas quasdam functiones condidit: & propterea singulis rebus creatis vires peculiares attribuit, quibus munia sibi demandata obirent, & exequerentur. Itaque & sidera, quietem perosa, in perpetuo sunt motu: & terra nunquam non aut in receptione, alteratione ac fotu seminum, aut in productione germinum, florum, fructuúmve est occupata: & quæ animalium exilia, contemptaq; videntur, strenuè tamen operi invigilant, & industriæ singularis digna admiratione documenta statuunt. Homini igitur, & inprimis eruditæ doctrinæ, virtutisq; studioso homini, turpissimum fuerit, tàm longè à naturæ præceptis & institutis recedere atque committere, ut laboris contentione atque ardore vel à bestiolis superetur. At dicet aliquis, odiosum istud & molestum laboris nomen, quod tu toties inculcas, terret animos atque retardat, ut in cœpto studiorum cursu sint segniores. Esto: Segnes animi atque abjecti, & qui fucis potius, quàm apibus sunt similes faci-*

les facilè frangantur discendi molestiâ ac difficultate. Verùm animi ardentes, & ad gloriæ spem erecti poëticum illud sequuntur:

Tune cede malis, sed contra audentior ito:

Seque ipsi consolantur atque confirmant eo, quod Emblema nostrum habet: Dulcem è laboribus escam *nasci. Nam ut apum labor non inanis est, sed aërij mellis cœlestia dona gignit, mel autem & ipsis apibus usui est, & insuper ad hominum corpora alenda ac sananda multum prodest: ita noster, quem in studijs literarum consumimus, labor, nequaquam est irritus & supervacaneus: sed olim dulcissimos gignit fructus, ut Ecclesiis, Scholis, Rebuspublicis, Oeconomiis, & omnibus vitæ humanæ partibus atque ordinibus utiliter & laudabiliter illi præesse possint, qui in scholasticis alvearibus tanquam laboriosæ apiculæ, specimina quondam industriæ dederunt. Tum itaq; jucundi erunt anteacti & præteriti labores, earumque secura & grata recordatio omnem mellis dulcedinem superabit. Interea, quemadmodum in militiâ multa æquo animo perferimus, qui & prædam divitem, & victoriæ gloriam, & insignem illam lauream cupit deportare: ita & nos pueri, tanquam in literata militiâ tyrones quidam studiorum labores ac molestias constanter perferamus, certâ freti spe, fore ut sua olim, eaq; suavissima præmia laudato tyronicio consent.* DIXI.

GRATIARUM ACTIO, RECITATA PER GABRIELEM NÜZEL, Patric. Noribergensem.

ERgóne ego, clarii Rector meritissime cœtus,
Imponam nostri festo Colophona Lycei,
Et peragam extremas, ita mandas, carmine partes?
Ut, quodvis vellem! Sed non in viribus illud
Invenio (mihi crede) meis, cui curta supellex
Nota probè est, teneræ cui nota infantia linguæ.
At quia me vestri circum circa aura favoris,
O animæ illustres, Musarum corcula: tuque
Flos generis splendorque tui, studiosa corona:

Haud aliter quàm fors genitabilis aura Favoni,
Adflat, & hi mites oculi læta omnia signant:
Ecce novo mihi cor igniri sentio thyrso,
Jamque, alacer, promptusque animi, tua jussa capesso.
Magne Parens rerum, magni magne arbiter orbis,
Præsidium humani generis, tutela tuorum,
Te veneror supplex, tua numina pronus adoro:
Ne te, ne quæso nostris subducito terris:
Néve tui eripias nobis oracula verbi.
Perge precor nostris porrò læta otia Musis,
Musarumque pios nobis donare patronos.
Da pacem acciſis rebus; feralis Enyo
Res habeat sibi dira suas, his exeat oris,
Atque vel hoc anno, armatus virtute supernâ,
Te duce Romulei ter maximus arbiter orbis
Audeat hostiles exscindere stirpitus iras,
Turcarum & calcare nefas, Asiamque pudendis
Exsuere imperiis, & opimam abducere prædam:
Auxilioque tuo redeat jus orbis ad unum.
Celtarum restingue ignes, & tincta cruore
Consilia in ventos facias, fumosque volare.
Averte à nobis triplicis molimina mitræ,
Fallacique dolos, Germani incendia sceptri.
Sic tibi quod placeat, præstare studebimus omnes
Sic te per populos passim omnis lingua sonabit.
At quibus appellem te verbis, magne Senatus
Urbis Noriacæ, Patrum venerabilis ordo?
Si cupis ex meritis tibi nos persolvere grates:
Dedimus ecce ipsi nos nexos mancupioque:
Tu duc in nervum, trahe, tunde, rape, ut lubet: ultrò
Nos æri tanto solvendo haud esse fatemur.
Verùm ea durities tua non est, novimus: ipsa
Virtus vestra sibi merces est atque brabeûm.
Interim (enim hoc unum nobis video esse relictum)

Pro te

Pro te, proque tua faciemus vota salute,
Atque Deo precibus vestram allegabimus urbem.
Hoc precor, ut porrò Musarum hæc atria vobis,
Noriaci Proceres, cordi sint: fulta favore
Ut vestro, insignes pergant protrudere gemmas.
Nec vos indictos patiar transire, Scholarchæ,
Spectati virtute viri, Reipublicæ ocelli,
Musarum Phœbique decus, magnique Patroni.
Hæc nobis addicta dies! ut plurimus inde
Surgit honos: exinde autem non gratia parva
Debetur vobis! sed nostræ infantia linguæ
Non efferre valet: quos speret posse referre?
Quidquid id est, magnum sane, Deus ille refundat,
Qui benefacta bonis cumulato fœnore pensat.
Non minus & vobis debemus, quos aliunde
Excivit virtutis amor, studiumque videndi,
Atque applaudendi nostris conatibus: eja
Suavæ videlicet est, alios vidisse sequentes,
Queis vos exemplo dudum præiistis honesto.
Ad te me tandem, Rector dignissime, verto.
Atque utinam hunc animum tibi plenè effundere possem,
Æqualesque mei mecum (mens omnibus una est)
Ut benefacta in nos hæc tu censere videres,
Ponereque in justa librato examine lance!
Sat scio, non peteres à nobis amplius: & vel
Sic es contentus: tibi sufficit ista voluntas:
Si non mutavit, quod spero, pristina virtus.
Vos autem an fileam, Musarum lumina & orbis,
Insignes rerum variarum cognitione,
Atque Professores nostri cum laude Lycei?
Absit id, hæc vobis debetur gloria: vos, vos,
Dum tot formatis juvenes, dum nos etiam ipsos
Artibus imbuitis quanta, quâ dexteritate:
Quidnam aliud facitis, quam tale, quod ulla vetustas

Obscurare

Obscurare nequit, cujus stat gratia in ævum?
De nobis, paucis hoc indubie eque tenete,
Non nisi cum vitâ, vestri ponemus amorem.
Denique te, nivei flos illibate pudoris
O juvenum dilecta manus, nostri decus ævi,
Compello, dicens communi nomine grates.
Vos nostrum crebri & cupidè spectastis honorem,
Et quaqua licuit, magnum ostendistis amorem
Sufficiat vobis reverentia nostra vicissim
Et studium, laudum vestrarumque æmulus ardor.
Si plura in nobis fuerint, sperate etiam illa.

DIXI.

XXX. PANEGYRIS, Anni 1606.

RECTORE D. D. MATTHIA HÜBNERO, JURISCONSULTO.

EMBLEMA PRIMÆ CLASSIS,

EXPLICATUM à WOLFGANGO JACOBO PÔMER, Patric. Noriberg.

Arduum

ARduum est, & difficile onus, Rector Magnifice, quod humeris meis imponis, & in quo à me deprecando possim ingeniosior esse, quàm sustinendo: verum & tuum est jubere, meum exequi, & splendidissimus hic cœtus non expectat à me adolescente sublime quid aut altum, sed vel balbutie nostrâ, quam obedientia exornat, delectatur. Itaque recta ad id, quod mihi ex mandato incumbit, me converto.

In numismate meo, conspicor Solem, Lunæ obversim radios & nitorem suum communicantem, quæ vicissim terræ accepta impertitur, cum hac περιγραφῇ, SPLENDENS ACCEPTA REFUNDIT. Hujus Emblematis, ut & aliorum omnium, duplex est sensus, alter apertus & picturæ; alter mysticus & interior. Hic verò picturæ mihi sensus obscurior, mysticus familiarior esse videtur.

Dicam tamen de illo, quæ à præceptoribus audire potui priore loco: deinde quid lateat, breviter explicabo. Lunam famosiores Philosophorum, proprio lumine destitutam, solum mutuatitio Solis splendescere, contra Stoicos, Pythagoreos, Orphea, Pisidam, Strabonem & alios fortiter propugnavêre, quos secuti sunt Poëtæ doctiores, qui eam Solis filiam, non sororem, ut Euripides & Æschylus volebant, appellavêre. Virgilius certè secutus Hesiodum, obnoxiam eam fratris radijs ait surgere, quod antiquior eo Lucretius Solis radiis percussam nitêre dixerat. Accuratè id & diligenter pro more suo Manilius tradit prima Isagoge, cum alloquitur Lunam:

Tu (inquit) fraternis sic reddis curribus ora,
Atque iterum ex iisdem repetis, quantumq; reliquit,
Aut dedit ille, refers, & sidus sidere constas.

Et Plato in Cratylo: Σελήνην dictam, ait, Anaxagoræ ἀπὸ τῆς ἡλίου ἔχειν τὸ φῶς, veluti σέλας νέον καὶ ἔννον lumen novum & vetus, novum Lunæ, vetus Soli. Hoc lumen à Sole acceptum, quamquam, ut Seneca loquitur, lene ac remissum, lubens tamen terræ refundit, ac adcreditum sibi, benignè reddit officium, proq; modulo communicatæ virtutis agit in inferiora. Hic picturæ sensus est, quo monemur, mysticè & significanter, uti nos quoque, quæ ab aliis accepimus (quid autem habemus, quod non accepimus, inquit Apostolus) benevola mente communicemus cum aliis. Accepimus verò, quæ habemus, à tribus potissimum, à Deo optimo maximo, à parentibus, à præceptoribus: A Deo vitam, sui nostriq; cognitionem: à parentibus victum & amictum; à

præceptoribus animi cultum, & honestam institutionem. Hæc benignissimè accepta volentes & faventes refundamus aliis, & quæ de Dei sensu & cultu hausimus: illustrati desuper luce Spiritus sancti, alios quoque magno ardore doceamus; quò impellere etiam nos vox Servatoris debet, Petrum & in hoc omnes homines admonentis: Et tu conversus, converte etiam fratres tuos. Parentum item exemplo moniti, paternâ curâ nostros complecti amur, inq; alienos pro modo facultatum, benefici simus & liberales. Denique liberaliter & honestè instituti & eruditi, minores quoque instituamus & salutaribus præceptis informemus; quæq; præceptores in nos fecerunt benè faciamus etiam nos in discipulos suo tempore, nostros; & sicut hi in erudiendis nobis non operæ parcunt suæ, non labori, tædia etiam ferunt, hortando bonam indolem erigunt, latens & pigrum ingenium, injecta, ut ita dicam, manu extrahunt, modò laudibus animum faciunt, modò admonitionibus desidiam discutiunt; nec, quæ didicêre olim, malignè dispensant, aut tenebris orationis involvunt, metu ne à nobis superentur: denique non fremunt adversum nos, si quæ ipsi facilè olim perceperunt, tardius accipiamus, aut ante tempus sapere velimus, sed accomodant se nobis & difficultatem exsorbent, donec capiamus; stultitiam perpetiuntur, dum sapientiores fiamus; arrogantiam deglutiunt, donec modestiores: Eundem hunc animum discipulis olim nostris deferamus, exornatum tribus virtutibus, quæ in præceptoribus nostris, in quos nos incidisse gloriamur, & dum vivemus gloriabimur, relucent: scientia ut habeamus, quæ doceamus: prudentia ut possimus: fide denique ut velimus, quæ didicimus, eos docere. Ita quæ accepimus, cum splendore refundemus, & refundet nobis æternus Deus mercedem copiosam, repositam in cœlis omnibus diligentibus se, qui ut aliarum virtutum æmulationem in nobis exosculatur, ita in beneficentiæ studio nostro suavissime adquiescit. DIXI.

ORA-

ORATIO SECUNDÆ CLASSIS, RECITATA à PAULO PFINZING, Patric. Noribergenſi.

QVæ in hoc numiſmate conſpicitur Philomela arboris ramo infimo inſidens, & inter cantillandum aquæ rivum arbori ſubjectum deſpectans, in quo effigiem ſuam contuetur, quam aliam ratæ luſciniam, canendi certamine ſuſcepto, ſuperare nititur: eam inquam, pulcerrimam nobis faculam allucet Natura, ardorem honeſtæ contentionis injicere meditabunda. Etenim luſciniæ, teſtante Plinio, certant inter ſe, palamq; animoſa contentio eſt. Victa morte ſæpè finit, ſpiritu prius deficiente, quàm cantu. Meditantur aliæ juniores, verſusq;, quos imitentur, accipiunt: Audit diſcipula intentione magna, & reddit, vicibusq; reticent. Intelligitur emẽdatæ correctio, & in docente quædam reprehenſio. En genialem naturæ luſum? En ſpeculum in quod intueantur vegetæ gnavæq; indolis adoleſcentes? Ecquid enim per fidem, illa bellius, ecquid pictius potuit excogitare, ad pulcra certamina, egregiasq; æmulationes vocans homines & invitans? Aviculæ lucumentiſſimæ liquidiſſimas voces è mellito gutture funditantes, ſtudio canendi immoriuntur potius, quàm à ſui ſimilibus vinci ſe patiantur. Annon hinc eſt egregiè odorari morem naturæ, exſerentis ſe in parvis, & ingentium rerum documenta minima agentis, ut ait Seneca: Eâdem quippe ratione & inter homines ingenia alit æmulatio. Et nunc invidia, nunc admiratio imitationem accendit: naturaq; quod ſummo ſtudio petitum eſt, aſcendit in ſummum

si fidem adhibemus Vellejo, cui res ipsa testimonium perhibent. Quid enim Themistoclem summum inter Græcos effecit Imperatorem? An non trophæa Miltiadis, quæ ipsum dormire non patiebantur: Quid apud Romanos illos Fabiorum, Scipionum, Metellorum posteros pares majoribus suis fecit? an non æmulandi ardor, cum quoties eorum imagines intuerentur, toties vehementissimè ad virtutem animus eis accenderetur? Hoc quidem ardore succensus Alexander Magnus etiamnum puer, mirificè crebris sui Patris Philippi trophæis torquebatur, verens, ne ea aliquando præterire non posset. En quam VIRTUTIS ÆMULA VIRTUS? *Quod si nunc adingenia & artifices abeas, facilè, quod æmulatio calcar habeat, deprehendas. Et hæc causa est, cur eminentissima cujusq; professionis ingenia in idem arctati temporis congruerint spacium. Ut quid enim uno ferè tempore eloquentiæ vires suas universas effudit, apud Græcos quidem Demosthenis, apud Romanos Ciceronis ætate? Nonne præstantissimos, qui tunc vivebant, oratores imitandi ardor, semperq; melior aliquis pulcerrimos animos accendēs? Quid & apud Græcos Cothurnum paucis annis altissimè extulit? An non quod Æschylus, Sophocles, Euripides divini spiritus viri, æmulatione instincti, alius alio magis illustratum tragœdias ierunt. Nec ob aliam causam cæterorum quoque Poëtarum, in suo quisque genere, tàm apud Græcos, quàm Latinos uno ferè tempore flos enituit. Nam quid de Philosophia dicam? quæ à Socrate in Aristotelem pulcerrimè luxit, dum inter se certant ingenia, aliorum aliis magis, eam demereri gestientium. Ita paucissimis annis expolita & exasciata est. At Jurisprudentiam ætas Julij Pauli, Ulpiani, Callistrati, Africani, similiumq; juris antistitum altissimè illuminavit, non ob aliud, quàm quod illa Dea sui amore captos inter se cōmittebat, certabundos, qui faciem ei concinnaret venerabiliorem, ac pulcriore habitu eam percoleret. Idem judicium esto de cæteris, artificibus, grammaticis puta, pictoribus, plastis, sculptoribus, ac similibus, quorum præstantissimos, in suo quosque genere, arctissimis temporum claustris pulcra ista æmulatio circumdedit: Dum enim quisque illorum, eum quem priorem ducit, primò consequi, mox præterire studet: hinc factum, ut brevissimo temporis spacio artes illas, quas tractabant perficerent, & consummarent.*

Ne igitur optimæ indolis æquales, ne nos deseramus ipsi, neve, ut ait Poëta,

Frigidus

Frigidus obstiterit circum præcordia sanguis.

Quo minus optima quæq; æmuli, pulcerrimum hoc virtutis ac sapientiæ certamen certemus. Provocant nos omni genere laudis parentes, propinqui? Premamus illorum vestigia, imò quod ipsi magis optant, prætereamus. Audimus divinas illas luscinias, quæ cœlesti concentu virtutis ac sapientiæ aures nostras, animosq; suaviter imbuunt. Respondeamus illis, ac quæ præcipiunt præstemus. Denique hoc in pectus demittamus: In hoc laudis & gloriæ certamine vincere, victoriarum omnium esse pulcerrimam & antiquissimam.

DIXI.

ORATIO TERTIÆ CLASSIS,
RECITATA à MAXIMILIANO IM HOF, Patricio Noribergensi,

NUmisma istud, quo sum donatus, Nobilissimi & Amplissimi Domini Scholarchæ, talem exhibet figuram. Expressa est testudo marina, fluitans in superficie maris, capite extra scutum exserto, ut & quatuor pedibus, quod ita in sole apricetur. Ad hanc adnavigant piscatores, eam capturi certò, quod arefacta cute, nequeat amplius aquis immergi. Atque ita hoc nescio quid dulcedinis exiguæ, ac brevis ex apricando perceptæ, exitio stat illi, cum nequeat piscatorum manus effugere, sub aquis se occulendo. Addita est inscriptio: NOCET EMPTA DOLORE VOLUPTAS. *Cum hanc oculis subijcio speciem, simul adolescentem Plau-*

tem Plautinum videor audire deplorantem: Nunc simul res, fides, fama, virtus, decusq; deseruerunt: ego sum inusu factus nimiò nequior. Cor dolet, cum scio, nunc ut sum, atque ut fui. Hæ enim voces erumpunt, cum quis perniciosâ libidine paulisper usus, sentit sibi per secordiam annos, ingenium, viresq; defluxisse. Enimverò tunc frugi quis esse postulet, nugas postulet. Namque, ut testudo, arescente cute, mergi nequit: sic animus, qui exaruit è rebus honestis, succo virtutis porrò imbui. Expertæ sunt hoc olim nationes bello claræ, cujusmodi Ægyptij, Babylonij memorantur fuisse, antequam à suis regibus, Cyro, Sesostre, Xerxe voluptatibus dederentur effœminandi: à quibus veluti veneficio Circes transfigurati, nunquam postea ad frugem redierunt. Abrumpendæ sunt igitur voluptates, quibus Romani quoque, teste Tacito, plus adversus subjectos valuêre, quàm armis. Enim voluptatibus captos, mox ab hostibus capi tralatitium est. Hinc bellissimè nescio quis olim apud Romanos, audito Athenis quendam esse, qui se sapientem profiteretur: eumq; dicere, omnia quæ faceremus, ad voluptatem esse referenda: ut id Sammitibus, ipsiq; Pyrrho persuaderetur optavit, quò facilius vinci possent, cum se voluptatibus dedissent. Sapiens profectò votum, & cujus vim, sententiamq; tot imperiorum eventus comprobarunt. Enimverò sic Assyrios Medi, Medos Persæ, Persas Macedones, hos Romani debellarunt, à voluptatibus prius expugnatos: ipsiq; Romani non ante pessiem ière, quàm voluptatibus succubuissent. Eundem exitum ob easdem causas fecêre civitates: in Italia quidem; Croton, Sibaris, Thurij, Metapontini, Tarentum, & quæ in ore omnium est, Capuæ. In Asia: Milesij, Samij, Magnesij, Colophonij, aliasq; gentes, quas lib. 12. percenset Athenæus. Jam cum totis civitatibus, regnisq; pestiferæ fuerint voluptates quid de singulis hominibus censendum? Quamvis igitur regum eximia sit inter homines majestas, maximæq; opes, tamen neque Tarquinio Superbo cum suis illa terrore quæsita reverentia, neque Hieronymo, bonitate avi Hieronis conciliata gratia, neque aut Sardanapalo aut Heliogabalo divitiæ, neque Dionysio juniori adamantinus ille, quem putabat à patre relictus tyrannidis murus, nec Vitellio, aut Neroni par Deorum potentiæ fastigium quicquam profuêre, quo minus à voluptatibus cervicibus publicis depellerentur. A voluptatibus, inquam, in quas cum se apud Mahumetanos immersissent Caliphæ, Mahumetis successores instituerunt Sultanos, hoc est, quasi dicas summæ rerum procuratores, à quibus tandē & regno, & vitâ spoliati sunt.

liati sunt. Non multò aliter apud Francos olim paulatim omnis vis dominandi in magistros equitum collata est, qui ad illud fastigium conscenderunt, regibus socordiæ luxuiq; se mantipantibus, ut fusè exponit Paulus Æmilius lib. 1. de rebus gestis Francorum. Quid igitur his vitijs tetrius? quid magis exitiale dici, fingive potest? Quæ optimam indolem corrumpunt, virtutes omnes extinguunt, totas nationes depravant, civitates, regna, ipsosq; reges subvertunt? Quem igitur privatum amplexæ voluptates non strangulabunt, more (ut inquit Seneca) latronum, quos Philistas Ægyptij vocant? Nemo profectò, nemo omniũ, qui sub cælo sunt, si in hujusmodi moribus voluptarijs ab adolescentiâ nutriatur, quamvis natura mirabilis sit, unquã tamen prudens evadet: temperatus certè esse nunquam curabit: eademque erit de cæteris virtutibus ratio, si divino Platoni credimus, hæc ipsa verba, ad Dionis propinquos scribenti.

Nos igitur, optimi Æquales, hæc & similia assiduè ruminantes, à voluptate, tanquam insidiosissima peste procul fugientes, honestum laborem amplexemur: sonentq; & vibrent in auribus omnium nostrũm aurea illa Catonis majoris verba: Cogitate cum animis vestris, si quid vos per laborem rectè feceritis: labor ille à vobis citò recedet, benefactum à vobis, dum vivitis non abscedet: sed si quæ per voluptatem nequiter feceritis, voluptas citò abibit, nequiter factum illud apud vos semper manebit. DIXI.

ORATIO QUARTÆ CLASSIS,

RECITATA à PHILIPPO-JACOBO TUCHER, Patric. Noriberg.

In bra-

IN brabeo noſtro, quod munificentia Ampliſſimi Senatus Norici, te nobis juſſit diſtribuere, Rector Magnifice: effigiem Senis vetuſti vaſtri intueor volitantis, ſiniſtrâ clepſydram, dextrâ falcem ferentis, cum hoc literarum ambitu: VOLAT IRREPARABILE TEMPUS. Cujus Emblematis apud nobiliſſimos quosque Philoſophos tanta viſa fuit dignitas, ut in ejus explicatione & illuſtratione ingenio ſuo diffiſi, infantiam ſuam fateri non dubitarint; unde minus mihi homini adoleſcenti vitio verti poterit, ſi expectationi auguſti hujus conſeſſus non uſquequaq; ſatisfecero.

Commendari hoc Emblemate à Sapientiſſimo Ordine, temporum nobis rationem, extra controverſiam eſt: nec immeritò. Hoc enim unum illud bonum eſt humanum, ſi Pythagoræ credimus, omniaq; alia, quæ in bonorum habentur numero, noſtra non ſunt; tempus noſtrum eſt, inq; hujus unius rei fugacis ac lubricæ poſſeſſionem natura nos miſit. Fugacis dico: tale enim revera eſt, & quanquam volatus celeritatem mirè deſignet, Virgilio tamen, latinæ munditiæ Veneri, neſcio quomodo fugæ vox magis arriſerit; niſi fortè ideo, quia cautis etiam ac prenſantibus ſtudiosè omnes temporis articulos, elabatur tamen ipſum, ne dum ſegnibus, ac tantæ rei momenta non expendentibus. Caterum ut hoc animos altius penetret, emittimur à Deo optimo maximo in mundum hunc, tanquam in agrum, in quem conjecti fructum ferre debemus duplicem, Doctrinæ unum; virtutis alterum. Doctrinæ fructus longiſſimi temporis eſt, ob infinitã rerum diſcendarum copiam, varietatem, nexum & mutuam inter ſe complicationem, quod agnovit Hippocrates, cum artem longam, vitam brevem adſeruit. Itaque captandæ horulæ ſunt, momenta obſervanda, neque quicquam temporis negligendum, ſed fugitivum reprehendendum & tenendum. At pleriſq; hodie accidit, ut tempus aut auferatur invitis, aut ſurripiatur volentibus, aut excidat non attendentibus: Auferunt curæ, ſurripiunt amici, excidit ipſum voluptatibus immerſis, quarum dulcedine ita obliteratur in animis hominum, ut ne quidem ſentiatur. Quid porrò dicam, complures tempus, quod vix ſufficere ad neceſſaria poteſt, quanquam cuſtoditur ſedulò, in ſupervacua majorem hominum partem erogare. Cicero olim negabat, ſi duplicetur ſibi ætas, habiturũ ſe tempus, quo legat Lyricos aut Dialecticos: quid nos dicamus? quibus evolvendæ ſalutis tabulæ, Juris libri, Medicorum præcepta, Philoſophorum ſententiæ, tot

ſeculorum

seculorum proventu & copia auctæ. Alter fructus, qui à nobis expectatur, virtus est, & honestæ actiones, quibus à teneris adsuescere debemus, si confirmari eas velimus. Brevis enim vita nostra est, ac quisquis ad vitam editur, ad mortem destinatur, finisq; vitæ ab origine pendet. Itaque ab initiis ejus famam extendere factis oportet, ac memoriam nostri quàm maximè longam efficere: atque sicubi (quod nimis frequens est) denegetur nobis diu vivere, relinquamus tamen posteritati, rerum præclarè gestarum monimenta, quæ nos vixisse testentur. Sed hic quoque laternam à tergo gestamus. Florem enim juventutis, qui virtutum officiis maximè accommodus: otio, voluptatibus, luxuriæ consecramus; senectutis fecem, virtuti & pietati ominamur, quæ senectus tam in potestate nostra est, quàm Sol, uti ne oriatur aut occidat. Ut meminisse debebamus, sicut sera parsimonia infando est; ita seram nimis esse virtutis in senecta studium, utq; in vasis, quod manet in imo, non tantum minimum, sed & pessimum est, idem in senecta fieri ætate, quæ exercendæ virtuti inepta est, quia cum morbis & ægritudinibus confligitatur, & brevior, quàm ut chorum illum & circulum virtutum ambiat atque absolvat.

Nos igitur, Adolescentes & æquales charissimi, moniti hoc Irabeo nostro, temporis accuratè rationem habeamus, omnes horas complectamur, & vel hodierno diei manum iniiciamus, ne ex crastino pendeamus: (Dum enim differtur vita, transcurrit) Democriti illud cogitantes, πολυτελέστατον ἀναλώμα χρόνον εἶναι: Utq; in flumine unda undam trudit: ita diem diem protrudere, nec reparari amissum. Ita fiet, ut juvenili etiam vere ætatis, assectæ virtutis, ac sapientiæ alumni audiamus, gratamq; nostri memoriam posteritati (si qua modo futura est) relinquamus. DIXI.

GRATIARUM ACTIO, QUAM IN EADEM PANEGYRI RECITABAT VITUS-ULRICUS à ROTENHAN, Francus.

MEne jubes, Rector venerande, hoc munere fungi?
Mene? cui trepidam ligat hinc infantia linguam:
Hinc oculos tantæ offundit caligo coronæ?

At nanos humeros Atlantis ut urgeat ingens
Pondus, justa tamen incubanti corde capessam.
Principio mea Musa, librans poli in ardua mentem,
Te DEUS ALME canit, tibi grates pectore toto
Reddit ovans: à quo producti in luminis oras,
Omnia perfruimur felicis commoda vitæ,
Commoda, inexhausto manantia fonte bonorum,
Ac nos æternâ ditantia abundè salute.
Tu quoque, tu nostris indulges otia Musis,
Otia dia, feros extra subducta tumultus
Atque procellosi metuenda tonitrua Martis.
Pro quibus, ô RERUM GENITOR, ô DIE DEORUM,
Quas humili ore canam laudes? quæ carmina dicam?
Haud opis est nostræ, haud lucem quæcunque coruscam,
Pervulgat flammata cohors radiantibus alis,
Æternoque tui præconia personat hymno.
Hinc cœlo mea descendens, & proxima cœlo
Calliope loca pellustrans, te Norica celsum
URBS caput insertare polo miratur & astris:
Quanquam & præradias claro nitida astra Senatu,
Perstrictum eximio, cujus fulgore, repentè en
Lux ferit insolita hæc, nostri præclara Senatus
Pignora, quos Servatores, Parnassius adorat:
O quorum adspectu ridet lux festa, lepore
Tincta novo, quæ pro meritis, quæ digna Camœnæ
Hostimenta parent? qua nectant arte coronam?
Jamque etiam, ut meriti, multo compellat honore
Musa, locis variis quos nostro excivit honori
Gloria doctrinæ, ac studiorum nobilis ardor.
At tua quo memorem, Rector, benefacta canore?
Clavo Heliconiadum hanc torquere ita callidè cymbam,
Hos Orci scopulos inter cæcasque procellas?
O quam etiam hoc deinceps haurire è pectore docto
Ambrosium Eunomiæ laticem, sacrumque liquorem,

Doctrinæ

Doctrinæ vellet succensa ardore juventus,
Ni tua te virtus alia ad majora vocasset!
Nunc quia te nostris negitat Respublica votis
Sis felix, spirentque tuis, pia Numina cœptis.
Sed ne Musa nimis campo spatieris aperto;
Cætera multa brevi, quæ restant, contrahe gyro.
Vos ô quos veneror, Parnassi sidera, proles
Palladiæ, Themidosque augusto pectore mystæ,
Splendida quorum inter doctos modò fama refulget,
Queisq; animi cultum hunc omnem debemus & artes,
Vobis cuncta pius semper vota annuat æther,
Ad plenumque fluat felici copia cornu.
Postremum vocat haud juvenũ hæc postrema corona:
Stemmata fulgentes partim, partim ore decori,
Lumen & ingenii decorantes lumine morum.
Purpurei ô verni flores & jaspides ævi,
Palladia hac veluti densi fulgetis in æde,
Densa ita virtutum vos aurea messis inundet.

FINIS.

XXXI. PANEGYRIS ANNI 1607.

RECTORE D.D. CUNRADO RITTERSHUSIO, JURISCONSULTO.

INVITATIO AMPLISSIMI SENATUS NORICI AD PANEGYRIM Academicam,

RECITATA à CHRISTOPHORO UFFINGER, Noribergensi.

Επειδὴ ὑμεῖς ἄνδρες μεγαλοπρεπέστατοι, τῇ τ' ἐπιτηδευμάτων ἀνάγκῃ καὶ τῇ ἐκείνων πρέψει τε καὶ χρήσει κατεπαχθέντες, τὸ ἐν Αλτορφίῳ γυμνάσιον τοῖς ἐπαγγελομένοις ἔτεσι μετὰ μεγάλων δαπανῶν ἠνοίξατε: τῷ ἡμέραν τῷ τοῖς θείοις Πέτρῳ τε καὶ Παύλῳ ἱερωθεῖσαν, εἶναι πανηγυρικὴν ἐβουλήσατε καὶ ἐκ κατωτέρων ἐπ' ἀνωτέρας σχολὰς, μεγαυχίας ὅμως πρότερον ἐξεπίστευσεν, ἀναβάσεις γενέσθαι, καὶ τὰ βραβεῖα τοῖς τούτων ἀξίοις μεταδίδοσθαι: καὶ ὥστε οὖν ἐπιγενομένους διαφυλάξαι μνήμην ἀείμνηστον τὴν πρώτης ἡμέρας τῆς Ακαδημίας, καὶ ἐπὶ τὸ πρεῖττον τὰς ἐπιδόσεις πρὸς ἕτερα γυμνάσια, καὶ εἰς τὸ αὐτὸ ἐπιτηδεύειν μέγιστον ἐνδόσιμον τοῦτο γενέσθαι, καὶ ὥστε τῶν διδαξάντων καὶ μαθόντων ἐπιμέλειαν φανερωθῆναι. Η μὲν οὖν ἐν γυμνασίοις καταστολὴ τῷ πρὸς θεὸν ὑμῶν εὐσέβειαν, καὶ τῆς πατρίδος φρεντίδα: τὸ δὲ τῶν πρεσκεπτῶν τάγμα τῷ τῆς Νορεμβέργης φρόνησιν, ἐπιδείκνυσιν. ὑμεῖς γὰρ, ἄνδρες σοφώτατοι, ὁρῶντες σφόδρα ὑπεραγγμόν ἀφ' ἅπασαν τὴν Γερμανίαν τὰ πρὸς τὰ γυμνάσια, καὶ πολλὰς ἐν διδάσκειν γενέσθαι μεταβολὰς, καὶ μεγάλην τῶν δογμάτων ποικιλίαν: τοσούτῳ κακῷ πάντη τῇ

εὐβουλίᾳ

βελλία ζητῆσαι δεῖν ἀπαλλαγὴν σοφωτάτως ἐνομίσατε, καὶ τὸ γυμνάσιον τοῦτο ἐσκευάσατε, ὅπως δὴ οἱ τῶν πολιτῶν ὑμετέρων καὶ τῶν ξένων παῖδες περὶ τῆς ἀληθοῦς εὐσεβείας ὀρθῶς διδαχθῶσι, καὶ τοῖς καλοῖς ἐπιτηδεύμασι τὴν αὐτῶν διάνοιαν κρείττω κατασκῆσι, καὶ τὴν τῶν τρόπων καλοκἀγαθίαν προσποιῆσθαι συναναγκάσῃ. Διόπερ ὑμῶν τοῦτο τὸ μεγαλοπρεπὲς ἐπιχείρημα πρὸ τῶν παιδευομένων μεταγενεστέρων μάλιστα εὐδοκιμήσει, καὶ τὴν τῆς Νομοθεσίας πολιτείαν σκεπάσει ζηλώσασι, διὰ τὸ μὴ μόνον τοὺς τῆς πόλεως πρωτεύοντας ἀγαπᾶν τὰς ἐπισήμους, ἀλλὰ καὶ καλῶς διοικεῖσθαι γυμνάσιον καὶ ἔχειν. Τὰ δὲ πρὸς τὰς πρεσβεῖας οὐ μόνον τὴν ὑμῶν, ἣν τὰς ἐπισήμους καὶ τὰ ἐλεύθερα τῶν μαθημάτων ὑμᾶτε, πολλοῖ φανερὰν, ἀλλὰ καὶ τὴν φρόνησιν ὑμῶν μείζονα καὶ δηλοῖ. τούτῳ μὲν γὰρ τῷ ἐπιχειρήματι τὴν σκυθρωπὸν βραβεύῳ τινὶ ἀναζωπυρεῖτε: καὶ κεκοιμημένοις ἢ ἐν ταῖς φαύλοις ἀνεγείρετε: τοῖς δ' ἀνειμένοις οἰονεὶ κέντρον τι ἐπιβάλλετε.

Ἐπειδὴ τοίνυν αὐτὴ πάλιν ἡμέρα ἐγγίζει, ἐννοοῦντος δέ θεοῦ μετ' ὀλίγον ἐνιαυτῶν ἄστρων ἐπιγενησομένη: καὶ μὴ μεγάλης ἐπιμελείας αἱ τῶν μαθητῶν ἐπιδόσεις πρὸς τὰς ἐπισήμους ἐξητασθήσαν: ἐπαναβάσεις εἰς τὰς ἀνωτέρας τῶν ἀκροάσεων, ἀφικνυμένης τῆς λεχθείσης ἡμέρας γενήσονται. Διόπερ ἐγὼ ὑπὲρ τῆς Ακαδημίας καὶ σὺ τούτης κυβερνήτα, ὑμᾶς τε καὶ σύμπασαν τὴν γερουσίαν καὶ σύγκλητον τῆς Νομοθεσίας ἱκετεύω, ὥστε τὴν ὑμετέραν παρουσίαν ταύτην τὴν παννύχιον κοσμῆσαι, καὶ τὴν αὐτὴν εὔνοιαν πρὸς τὴν ἤδη ἀκμάζουσαν ὑμῶν θυγατέρα, ἣν πρὸς τὴν νέαν παρέσχεσθε, διατηρῆσαι. ἡ γὰρ ὑμετέρα δόξα καὶ τοῖς παρεπιδήμοις ξένοις καὶ τοῖς ἐξωτικοῖς τὸ γυμνάσιον ὑμῶν ἐντιμότερον ἀποδείξει: καὶ ἡ σύμπασα παννυχὶς οὕτω λαμπροτέρα τε καὶ μεγαλοπρεπεστέρα καὶ σεμνοτέρα. Καὶ ἐπειδὴ ὑμῶν ἡ πρὸς τὰς καλὰς ἐπισήμους εὔνοια μείζων, πᾶσαν μὲ ἀπορίαν ἀφαιρεῖ καὶ ἴσχυν, διὰ τοῦτο ῥᾳδίως πείθομαι, ὑμᾶς ταύτῃ τῇ δεήσει μὲ ὡς ἐπιεικεῖ ἐπανδύσειν. τὸ γὰρ καλλιγὸν ὑμῶν πρόσωπον δοκεῖ αὐτὸ τοῦτο ὑποσχεῖν. ὑπὲρ ταύτης γῆν τῆς οὐσίας ἁπάσης ἐγὼ, οἰονεὶ πρεσβευτὴς ὢν ὑπὲρ τῆς Ακαδημίας, μεγαλοπρεπεστάτῃ τῇ τῆς Νομοθεσίας βουλῇ συγκλήτῳ μείζονα χάριν ἔχω, καὶ ὠφελημένην ὑπείθειαν καὶ ἀπαθῆ ὑπισχνοῦμαι.

INVITATIO LATINA EODEM ANNO RECITATA à JOHANNE-BARTHOLOMEO BUSENREUT, Noribergensi.

HOrtulanis, Amplissimi & Prudentissimi viri, Domini & Mecænates plurimum colendi, ipsa temperatis anniq; ratio, multiplices ac longè inter se diversos labores imponit. Nunc enim sarculis glebæ frangendæ; nunc solo probè subacto semina committenda: nunc germinantes plantulæ irriganda: nunc herbæ inutiles evellendæ: nunc flores decerpendi: nunc fructus colligendi: & semina credita quasi reposcenda sunt. Quod in hortis fit, idem ferè etiam in excolendis ingeniis accidit. Nam boni & gnavi præceptores, aliàs acrioribus objurgationibus contumaces & refractarios frangunt: aliàs salutaris doctrinæ semen animis committunt: aliàs segnitiem atque socordiam tanquam herbas admodum noxias evellunt: aliàs in exercendo stylo occupantur, & præstantissimorum auctorum quasi rivulis agros & hortulos suos irrigant: aliàs dictata & audita ab adolescentibus requirunt, & diligentiæ suæ fructus quosdam percipiunt: aliàs denique discipulorum nonnullos in aliam classem, uberioris ingenii cultus capiendi causa, tanquam latiores frutices in ampliorem & pinguiorem aream transferunt.

Præsens hic mensis, Amplissimi Domini Senatores, Academici vestri (ut ita dicam) viridarii præfectos de duobus monuit: quorum alterum jam peractum est, alterum adhuc agendum restat. Nam antegresso diligenti examine, superioribus diebus cognitum est, quàm feliciter bonarum artium semina juventus conceperit ac retinuerit? & annè illa cum fœnore eadem aliquando sit redditura? Superest nunc, ut consueta doctiorum ac meliorum discipulorum promotio, in solemni Amplissimorum & literatissimorum virorum conventu instituatur ac perficiatur. Cum itaque penultimus Junii dies, huic anniversariæ juventutis progressioni jam olim destinatus sit: Academiæ Noricæ præsides Amplissimum & Inclytum hujus urbis fundatricis ac nutricis suæ benignissimæ, Senatum omnibus precibus rogant: ut nonnulli ex Optimatum

matum numero, dicta die iis, quæ in Academiâ peragentur, lubenti ac hilari animo interſint: & tàm indigenas, quàm exoticas plantas, id eſt, & ſuorum civium, & peregrinorum filios in ſtudiis verſantes, curæ ſibi atque animo egregiè charos eſſe, honorificâ ſua præſentiâ & applauſu teſtentur. De qua voluntatis veſtræ in Academiam propenſione nullus eſt nobis relictus ambigendi locus. Nam quemadmodum Cyrum illum minorem Perſarum regem præſtanti ingenio atque imperii gloria, Sardibus agrum conſeptum dimetiri atq; deſcribere, & multas arborum ſua manu ſerere non puduit: ita & nos confidimus fore, ut veſtram Amplitudinem ne pigeat, hortum ſuum Academicum omni ope atque operâ magis magisq; excolere: ut tàm cives veſtri, quàm exteri liberalitatem Senatus ac Reipublicæ Noribergenſis admirentur & ament: vosq; ut Lyſander ille de Cyro dixit, beatos ferant, quoniam virtuti veſtræ ſit fortuna conjuncta.

Quamobrem, Senatores nobiliſſimi, tum innatâ vobis bonitate, tùm precibus noſtris impulſi, Academiæ Altdorfinæ copiam date creſcendi: & promotioni claſſicæ in feſto Petri ac Pauli æquo animo adeſte. DIXI.

ORATIO PRIMÆ CLASSIS, RECITATA à PAULO PFINZING, Patricio Noribergenſi.

VEtus eſt Rector Magnifice,
ἢ λέγε τι σιγῆς κρεῖττον, ἢ σιγὰν ἔχε.
Sile; meliora vel loquere ſilentio.

Ego

Ego autem, num meliora loqui silentio possim, valdè ambigo. Ea mea est ætas, quam silentium commendet: Ea rerum imperitia, per quam hoc honoratissimo consessu dignum quid adferre nequeo. Parere tamen mandanti Magistratui, ætatis nostræ item virtus est: ei nunc studebo: nec quid dicam, sed quod jussus dicam, pensi habebo. Vos, Auditores æquissimi, idem ad animum vestrum revocabitis.

In brabeo meo, Ignem in camino lucentem video, cum hac πρὸς γε ΦΩ̃ NEC PROPE, NEC PROCUL. *Per ignem Aulam intelligo, quæ externo in speciem splendore, latè circumomnia collustrat: & minus rerum peritos facilè ad se allicit & invitat. Ad eam verò accedendum esse, tanquam ad ignem, monet Emblema nostrum: ad quem si propè nimis accedas, amburêris: si procul abstes, frigebis. Eodem modo si interius te in aulam penetrare voles, facilè accidat, uti calumniatorum invidorumq; obtrectationibus pereas: Si nimium te ab eâdem removeas, frigere te necessum erit, hoc est, miserè vivere, in obscuro vitam degere, & cum homo natus sis, hominem exsuere. Id quod paucis illustro. Virtutem invidia, haud aliter, quàm Solem umbra assectatur. Celebre namque est ab antiquo proverbium: Solam miseriam invidiæ expertem esse. Fortunatq; hominis miserrima est, cui non invidetur. Fertur Plato, cùm ei condiscipuli inviderent, Socratem interrogasse, qua ratione posset hominum declinare invidiam? cui Socrates, Esto, inquit, similis Thersitæ. Invidia verò etsi regnum suum per totum orbem exercet, tamen maximè habitat in aulis. Unde si cui propositum est, virtute heroica ad alta contendere, & gravissima Reipubl. tractare negocia, non desunt ei humiliores, qui obtrectent, qui affectatæ arguant Tyrannidis, qui suspectum Principi reddant, nec cessent, donec opprimant, & extremo mergant exitio. Sic Periclem Simmias, Themistoclem Alcmæon, Pompeium Clodius, Epaminondam Meneclides oppugnavêre. Et si maximè hi desint, ipsi tamen Principes virtutem inviti ferunt excellentem. Agrippa pulchrè, apud Xiphilinum, hunc ait esse morem Principum, ut nolint quemquam habere sepotiorem. Facilia confectu ipsos gerere, difficilia aliis committere: in his tamen & gloriam & laudem eorum, qui gesserint, acerbè ferre: vinci quidem nolunt eos, at rerum gestarum gloriam apud alios esse, non facilè patiuntur. Nec desunt exempla: Alexander Macedo Perdiccam oderat & Lysimachum, quod bellicosi nimis essent: Seleucum, quod magno & excelso animo: Attalum, quod imperatoriæ*

dignitate

dignitate polleret: Ptolemæum quod omnia ei prosperè succederent. Tiberius Germanici bellicâ gloriâ, & quod largiendis pecuniis festinataq; missione favorem militum quæsivisset, angebatur, ejusq; cuncta in deterius trahebat. Nero eâdem causa Ostorium invisum habebat: Manuel Imperator Andronicum, alii alios. Hinc cautiores aulici sæpè virtuti fortunæq; suæ, veriti principum invidiam, instare noluêre: metuebant nempè, ut loquitur Plinius, plus suorum principum insidias, quàm hostium ferrum. Quod animadvertens Mecænas apud Dionem monet Augustum: Ne fortuito cujusquam tuorum successus infortunio, neque re benè gestâ invideas. Multi enim cum superiorum metuerent invidiam, cladem accipere, quàm victoria potiri maluerunt. Sunt ista, quæ dicis, ô Mecænas, & exemplum præbuere Ventidius Appiani, qui Parthos persequi, cum posset, noluit, Antonii veritus invidiam. Frontinus item, de quo Tacitus, virum magnum fuisse, quantum licebat. Belisarius etiam aliiq; complures. Quin & constat, viros illustres sub improbis & ignavis principibus, ad simulationem usque stultitiæ dissimulavisse spiritus suos, quo tutiores essent. Exemplo L. Junius, qui sub Tarquiniis etiam Bruti cognomen non erubuit. Claudius item, & Domitianus apud Xiphilinum, alii apud alios. Aut si maximè frena virtutibus suis laxarent, tamen omnia principibus, nihil sibi tribuebant. Quod fecisse Germanicum scribit Tacitus. Laudatis, inquit, pro concione victoribus Cæsar congeriem armorum struxit, superbo cum titulo: Debellatis inter Rhenum Albimq; nationibus, exercitum Tiberii Cæsaris, monumenta Marti, & Jovi, & Augusto sacravisse. De se nihil addidit metu invidiæ. Fecêre idem Cl. Nero, L. Livii Salinatoris in Asdrubale oppugnando socius, apud Valerium Maximum: Achæi apud Polybium, secutiq; hi omnes sunt Pythagoræ præceptum: Πρὸς τὰ μεγάλα, μὴ ἐπιχείρει μεγάλα. Atque hoc est, non propè nimis ad ignem aulicum accedere. Neque tamen procul nimis ab eo recedendum est. Quisque enim pro se, publicis commodis vigilare debet, & rem sustinere publicam, sic tamen, ut commune magis quàm suum respiciat bonum, nec tàm gloriæ cupidine duci, quàm publicæ salutis amore videatur. Neque enim nobis solum nati sumus, sed animalia politica facti: ideoque in civili societate versari debemus, statumq; Politicum, quantum in nobis est, tueri.

Quod si fecerimus, nec amburemur, nec frigebimus, sed blando benignoq; calore foti, aureaq; politi mediocritate, ab utroq; extremorum pariter

reuerti in quietè & extra aleam, quod dicitur constituti, vitam nostram honestè & commodè transigemus. DIXI.

ORATIO SECUNDÆ CLASSIS, RECITATA à REIMUNDO IMHOF, Patricio Noribergensi.

SAtis pro nobis, qui deinceps dicemus, purgandis dixit antecessor meus, Rector Magnifice. Itaque rectâ, ad id, quod vis venio. Video autem in numo hoc, Amplissimi Senatus Norici beneficio mihi tributo, Horologium cum libramentis ponderibusq; suis, additâ hac inscriptione: UBI ONUS, IBI SONUS. *Quod quid sibi velit, non difficile est intelligere: Labore nimirum & sudore famam sui honestam, gloriamq; parari: non otio aut ignaviâ, rebúsve obviis. Id autem verissimum esse, & dictis veterum, & exemplis comprobari potest. Democritus ille, qui risu mortalia hæc omnia excepit, λόγον ἔργα σιωὴν dicere solebat: quod pro ratione factorum, nasci solerent hominum de hominibus judicia: & qualia quis fecisset, talia & audiret. Nec minus eleganter Seneca: Laborem si recuses, parùm esse potes. Non est viri gloriam sitientis timere sudorem. Vidit hoc sapientissimus ille Alphonsus, emendatissimi regis exemplar, quem scribit Panormitanus frequenter in ore habuisse: Cibum regum esse gloriam, quam Dii immortales non luxu aut otio, sed improbis laboribus, multisq; sudoribus hominibus divendant. Nec ulla diuturna potest esse gloria, Cicerone teste, quàm labor strenuus & inde-*

& indefessus non antecesserit. Et quis hodie (ut ad exempla veniam) Alexandros, Epaminondas, Themistocles loqueretur aut nosset, nisi laboriosissimis & molestissimis expeditionum angustiis, arduum virtutis iter sibi conficiendum proposuissent? Quæ Cæsaris fuisset gloria, si illi facilè fuisset Pompejum vincere, aut Britannis bellum inferre? Quæ Annibalis, nisi ut Italiam adiret, pervias sibi Alpes, & acri aceto, & multo pulvere & sudoribus, magnaq; suorum strage fecisset? Rectè videlicet Pindarus:

------ἀκίνδυνοι δ' ἀρεταὶ
ὅτε παρ' ἀνδράσιν, ὅτε ἐν
ναυσὶ κοίλαις τίμαι. πολλοὶ δ'
μέμναντ' ἀλλὰ, ἔστι ναθεῖν.

Hoc est: Periculorum expertes virtutes, neque apud homines, neque in navibus curvis ullo habentur pretio: Multi autem meminêre rerum præclarè magno cum labore gestarum. Quam sententiam tanti fecit optimus & doctissimus vir, Georgius Fabricius, decus Germaniæ, ut eam sacris suis Odis inseruerit, hunc in modum translatam:

Sudoris expers & periculi virtus
Nec à viris, nec in triremibus famam
Meretur. At quod cum labore perfectum est,
Ejus viget perenne & inclitum nomen.

Vidit hoc Jason apud Valerium Flaccum, qui primum cum Argonautis ausus mare navibus incestare, sic enim ait:

Si qua operis tanti domito consurgere Ponto
Fama queat: Tu sola animos mentemq; deturis
Gloria.

Vidit Propertius, cum ait:

Magnum iter ascendo, sed dat mihi gloria vires;
Non juvat ex facili lecta corona jugo.

Hæc veterum monita, Æquales charissimi, consideremus nos quoque: & in Heroum, quos dixi, exempla, intueamur: & cum gloriæ quoque nobis veluti insita sit cupiditas, non dedamus nos otio atque ignaviæ: sed ardua tentemus & operosa quæq; neque tædeat nos laborum, quorum fructus est immortalis gloria, & præclara nostri apud posteros memoria. Et nunc quidem bonis literis gnaviter insistamus: quarum scientia nos æquè vetat mori, atq;

Reipublicæ curæ: ad quam cum Deus & ætas nos vocabunt item ut nunc officii nostri memores simus, cogitantes Hesiodum illud:

Di quoque virtuti sudorem proposuerunt,
Ad quam longa via est, atque ardua, & aspera multum
Offertur: tamen est ubi ad alta cacumina ventum,
Fit facilis, primò fuerat quæ tam ardua virtus.

Ubi præter famam honestam dulcis etiam nos reficiet rerum cum labore gestarum memoria, & cum Æneâ Virgiliano ista

------Olim meminisse juvabit.

Aurea namq; est Musonii sententia, quam cum simili Catonis loco Gellius in Noctibus Atticis lib. 16. cap. 1. confert: ἂν τι πράξῃς καλὸν μετὰ πόνου, ὁ μὲν πόνος ἔιχεται, τὸ δὲ καλὸν μένει. ἂν τι πράξεις αἰσχρὸν μετὰ ἡδονῆς, τὸ μὲν ἡδὺ ἔιχεται. τὸ δὲ αἰσχρὸν μένει.

Quam pulcherrimam suavissimamq; gnomen pulcherrimis quoque & suavissimis versiculis idem expressit, quem supra laudavi, Georgius Fabricius:

Honesta si quæ feceris cum maximis laboribus,
Cedentibus laboribus dulcis manebit gloria.
Sin turpe quid commiseris cum gaudiis amplissimis,
Perit voluptas ilicò turpi manente infamiâ.

Et quia delectat varietas, recitabo vobis Johannis Pierii Valeriani Romani interpretationem, quæ sic habet:

Si cum labore quippiam rectè geris,
Labor recedit, facta recta permanent,
Quod si jocosè nequiter quid egeris,
Abit voluptas, turpe factum permanet.

Non possum autem, quin etiam Catonis ipsa verba (sunt enim inprimis memorabilia & gravia) adjungam: iisq; hanc oratiunculam sive condiam sive obsignem: Cogitate cum animis vestris, si quid vos per laborem rectè feceritis, labor ille à vobis cito recedit, benefactum à vobis, dum vivetis, non abscedet: sed si quid per voluptatem nequiter feceritis, voluptas cito abibit, nequiter factum illud apud vos semper manebit. Eadem & nobis omnibus dicta existimemus. DIXI.

ORA-

ORATIO TERTIÆ CLASSIS,

RECITATA à GEORGIO SIGEFRIDO COLER, Patric. Noriberg.

CONtemplanti mihi, Nobilissimi & Prudentissimi Domini Sciolarchæ, nucem pineam in hoc numismate expressam, cum hoc lemmate : SIC TURGIDA VIRTUS, statim animum subit illud geminum planè Plautinum : Virtus omnia in se habet : omnia bona adsunt, quem penes est virtus. Præclarè profectò, & ex ipso veri tripode profectum : quodq; vel ignaviam ipsam acuat. Nam quæ vulgo sterilis & infrugifera habetur virtus : eam contra in morem nucis pineæ nucleis gravidatæ plenam ac confertam bonis ostendit. Hinc quibus eadem inest, nihil extra quærunt magnoperè : non Cato honores, non Phocion vel Aristides divitias, non plausum popularem Socrates, non voluptates Themistocles. Sentiunt enim sibi nihil deliquum, qui in una virtute possideant omnia. Veruntamen nec iis quidem, quæ vulgo habentur bonis vacua est eadem, puta claritate, gloria, honore, divitiis, cæterisq; quæ prima ducuntur. Quid enim priscis illis heroibus cælũ aperuit? Nonnè virtus? hac arte nixi sunt (ut cum Poëta loquar) domitores illi orientis Bacchus & Hercules, eorumq; æmulus Alexander Magnus, arces attigerunt igneas. Hac veteris illius Græciæ columina : Hac antiquæ Romæ decora : Hac Germanorum postea, Francorumq; specimina æternitati litârunt. Quid? quod eadem ex obscuris & vilibus claros efficit & potentes? Sic è carcere extractum

Ioſephum illum apud Ægyptios ad culmen evehit præfecturæ prætorianæ: quippe à quo, ut refert Caſſiodorus, primo hujus dignitatis inſulæ conſecratæ ſunt. Sic alium herbas runcantem ex horto, alium ab aratro & ſtiva ad purpuram vocat: alium è paſtore ovium, paſtorem (ut Homerus reges indigetat) ceat populorum. Dies certè me citius, quàm oratio deficiat, hujusmodi exempla perſequentem.

Agite igitur generoſæ indolis Adoleſcentuli & æquales, expergefaciamus animos, igniculoſq; virtutis, deſidiæ cinere quaſi ſepultos, quâ diligentiâ, quâ aſſiduitate exuſcitemus. Non eſt quod labor nos deterreat aut frangat. Hoc enim ipſum eadem nux pinea monet: è qua non niſi magno cum niſu, ac vix, niſi admoto igni, nucleos elicias. Sic niſi magna cum contentione, animi virtutis fructus non percipias. Sudandum eſt: laborandum eſt: ſpretis vitiorum delinimentis, uni vigilandum eſt virtuti. Bona enim Dii (ſcitum hoc eſt veterum) laboribus vendunt: nedum ut hunc bonorum, ut itadram, apicem gratis, id eſt, ocioſis ac nihil agentibus concedant. Cogitemus quid laboris in quærendis falsò bonis homines exantlent. Avari, ut opes: ambitioſi, ut honores: luxurioſi ut voluptates potiantur, quid non patiuntur? Nobis quoque nihil tàm aſperum aut arduum videatur: quod non ſpe adipiſcendæ aut fruendæ virtutis, libenter perferamus, ſi modò ſerius illius amor animos ſauciârit. D I X I.

ORA-

ORATIO QUARTÆ CLASSIS,
RECITATA à TOBIA TUCHER,
Patricio Noribergensi.



PRius Emblema, Nobilissimi & Præstantissimi Viri ad virtutem incitans, quasi calcar addit ignaviæ: Hoc verò ab inconsulto impetu revocans, quasi frenos iniicit temeritati. Cõspicitur enim vasculum utrinque ansatum cum Epigraphe. UTRAMVIS. Est hoc Epicteti, qui in enchiridio duas ansas cuilibet rei adaptat. Harum utram quidem velis, apprehendas licet: Sed nisi initio dextram apprehenderis, minus dextrè rem gesseris: sinistra enim aculeata, manus pungget & lædet. Quid hoc significari putemus? Ut opinor in omni vita, atque in omni re dari nobis optionem, initium bonum malúmve eligendi. Hic si consilio lapsi, malum bono præoptaverimus, necessariò malè res versuras postea. Quæ cum ita se habeant, quàm multos credimus, totius vitæ (ut ita dicam) telam perperam ordiri? Multos dixi? Propè est, ut omnes ita censeamus. Certè, si Senecæ credimus, non ita benè agitur, cum genere humano, ut vera & bona multis placeant. At hos ita malè exorsos, sint Cræsi licet, sint Crassi, non Pactôlus, aureas undas agens, eripiet unquã è miseriis. Jam in rebus singulis, si (verbi gratia) studia non rectè ordiaris, quam tibi miseriarum telam texas? quæ fabrices impedimenta? At hoc plerique faciunt, ut illis, quæ necessariò prius discenda, insuper habitis, vota sua præcipitent. At hoc revera est sinistram ansam apprehendere, cum dextram debueris. Cum enim hoc pestilens sidus, initiò ingenia afflavit, vix est, ut ad frugem perveniant postea: ita cru-

ita cruda adhuc studia in forum, in curiam, in suggestum propellunt: quò cum infantiam & sophisticen pro solida eruditione afferunt: necesse est (ut gravissimè ait Synesius) in abyssum quendam nugarum absorbeantur. Demus igitur operam, cùm in omni re, tum præsertim in studiis, ut initia se benè habeant: Nam & sic postprincipia procedent. Qua in re tum prudentibus auscultandum, tum ante omnia divinum auxilium implorandum. Nostra enim hæc in studiis peregrinatio (ut sapienter vir quidam summus scribit) sine superna luce miserabilis quædam erratio est. DIXI.

GRATIARUM ACTIO,
RECITATA à CAROLO HOLTZSCHUCH, Bambergensi.

ORdine quidem postremus, at dignitate & peragendi necessitate (si gravissimi criminis effugere volumus notam) facilè primus nobis superest Panegyreos hujus actus: qui grati animi pro beneficiis perceptis declaratione finiendus est. Quæ cum mihi à Magnifico D. Rectore demandatæ sint partes, pro dignitate eas exsequi minimè valenti: majorem in modum vos, Auditores omnium ordinum præstantissimi, rogatos volo, ut quod imbecillitati meæ, orationisq; tenuitati deerit, humanitate & benevolentiâ vestrâ supplere, & potius meæ erga Magnifici Domini Rectoris imperium obedientiæ benignos æstimatores, quàm infirmæ facultatis censores ac judices præbere vos velitis.

Igitur, ut ab eo mihi sumatur hujus instituti exordium, qui omnium, quæ cæli hujus complexu continentur, bonorum principium est, omnis ipse principii expers: ad te primùm, ô æterne & omnipotens rerum omnium conditor Deus, ac Pater Domini nostri Jesu Christi, mentis nostræ attollimus oculos: & pro immensis omniq; cogitatione nostra majoribus in nos beneficiis tuis, sempiternas tibi, non quas debemus, (non enim humanæ hoc facultatis est) sed quas possumus, ex intimo cordium nostrorum affectu, gratias agimus & habemus. Tu enim & vitam, omniaq; ad eam benè beateq; degendam necessaria, liberalissimè nobis tribuisti: & verò mentis nostræ caliginem, quibusvis tenebris atriorem, divinæ claritatis tuæ fulgore, hoc est, sacratissima

verbi

verbi tui luce illustrasti. Tu ex teterrimo æternorum suppliciorum carcere, sanctissimi filii tui merito nos eripuisti: idemq; ad beatæ immortalitatis, cœlestiumq; gaudiorum communionem iter nobis aperuisti. Tu divina hæc, & omnem humanæ æstimationis modum excedentia beneficia, maximorum quotidiè bonorum cumulo, auges & ornas. Tu pacem & tranquillitatem publicam, omnis prosperitatis nutriculam, patriæ nostræ dulcissimæ largiris. Tu funestam pestiferi contagii luem, quæ non ita pridem extremum quasi funus minabatur Scholæ nostræ, clementissimè à nobis depulisti. Cujus vel solius beneficii recordatio ad benignitatem tuam, ô clementissime Deus, perpetuis laudibus summâq; devotione celebrandum, animos nostros inflammare atq; exstimulare debet. Sed beneficiorum tuorum amplitudo & immensitas finem illorum cnumerandi facere, & cum Poëta exclamare me cogit:

Quis satis humana celebret tua munera lingua?

Item:

Cuncta referre volens, volet idem cuncta referre
Folia arborum, & guttas maris.

Conserva nobis, ô benignissime Pater munera hæc tua: maximeq; amplissimam Rempublicam Noribergensem, adversus omnis generis calamitatum pericula, omnipotentiæ tuæ alis tuere & protege: Ejus denique filiam, Academiam hanc Altorphinam, contra adversationes atque injurias, opis & favoris tui præsidio muni: ac tùm docentium, tùm discentium labori felices, Ecclesiæ tuæ, & Reipubl. salutares tribue successus. Sic nos vicissim, tua aspirante & adjuvante nos gratiâ & auxilio, te Deum & Patrem uno ore & una mente fatebimur. Sicq; apud nos, cùm in præsenti, tùm in futuro ævo

Semper honos, nomenque tuum, tua gloria crescet.

Proximus ab immortali Deo in gratiis agendis locus meritissimo jure à nobis tribuitur inclyto & nobilissimo Senatui Noribergensi: Amplissimis item & Prudentissimis Dominis Scholarchis, senatoribus gravissimis & splendidissimis, Academiæ hujus Patronis & Curatoribus beneficentissimis; quibus tantò majore atque arctiore grati animi obstricti sumus vinculo, quantò majore ipsi cura hoc virtutis & Musarum domicilium complectuntur: utq; omnibus illud commodis ornent, dignitate augeant, incrementis amplificent, nihil ad summam diligentiam, studium, liberalitatem & munificentiam

reliqui faciunt. Macte este virtute ista, Nobilissimi Proceres, & Antecessorum vestrorum vestigia, per quæ tantâ cum gloriâ vestrâ decurristis hactenus; porrò etiam in defendenda vindicandaq; filiæ hujus vestræ innocentiâ ac salute, constanter magnisq; animis premite. Sic vestræ quoque Urbis & Reipublicæ florentissimæ magis magisq; crescet & florebit dignitas & splendor: vestriq; nominis pro eximiis hisce in Ecclesiam & Rempublicam meritis nullo unquam tempore intermorietur gloria.

Tibi quoque, Magnifice Domine Rector: Vobisq;, Reverendi, Clarissimi & Doctissimi Viri, Professores & Præceptores omni honore & observantiâ colendi, quibus verbis dignas vestris in nos meritis gratias agere poterimus? Vos enim, dum in excolendis ingeniis nostris, animisq; per optimarum artium studia ad humanitatem & virtutem informandis, summo labore, studio & fide elaboratis: quid aliud, quæso, agitis, quàm quod in vobis, Viri præstantissimi, optimum ac præstantissimum est, in nos transfunditis, nobiscumq; communicatis? Quod beneficium vestrum, quamvis nulla, ut par erat, remunerandi nobis facultas sit: tamen animi grati memoriâ, debitaq; apud omnes prædicatione, & constanti perpetuaq; in vos observantiâ, ut nos id velle intelligatis, summâ ope, quoad vita nobis supererit, annitemur.

Quod verò & vos, Auditores præstantissimi, Hospitesq; honoratissimi, honorificâ præsentiâ vestrâ, panegyrim hanc nostram celebriorem ornatioremq; reddere voluistis: magnum certè præclaræ erga rem literariam affectionis vestræ, ausim etiam dicere, propensi in nos ipsos, nostrumq; hunc promotionum scholasticarum honorem favoris argumentum nobis præbetis. Pro quo itidem vobis omnibus & singulis maximas, quas par est, & quas possumus, agimus & habemus gratias: vicissim ad omnia studia, obsequia & officia nostra pro re, & facultatis nostræ modulo, vobis præstanda, quovis tempore & loco prompti paratiq; futuri. Deus opt. max. nos universos & singulos, misericordiæ suæ, (ut divinarum literarum imiter linguam) vasa & organa efficiat: ut ipsi grata dicere & facere, nobisq; & aliis verè utiles esse possimus. DIXI.

XXXII. PA-

XXXII. PANEGYRIS, Anni 1608.

RECTORE D. D. ERNESTO SONERO, MEDICO.

ORATIO PRIMÆ CLASSIS, RECITATA à JACOBO PFINZING, Patricio Noribergensi.



DOctissimus sapientum Epictetus, Auditores splendidissimi, duplicem Adolescenti præscribit legem: Sileat, inquit, ut plurimum Adolescens: aut si necessariò dicendum quid est, paucis expediat. Quod si res mei foret arbitrii: silerem equidem, hoc loco præsertim, & tàm augusto consensu. Sed quia tua me, Rector Magnifice, loqui jubet auctoritas: & prioris mihi legis ademta est observantia: ductum sequar posteriorís, pauciſſimisq;, quod incumbit, absolvam.

In brabeo, beneficio Amplissimi Senatus Norici mihi tributo, vas pulvere sulphureo refertum exprimitur, quod à solaribus radiis incensum, circumundiq;,

undiq; disrumpitur, flammasq; & multum dispergit in aëra fumum: Addita hac ἐπιγραφῇ: SIC MALA CONSILIA TANDEM. *Huic Emblemati explicando quàm ego nondum sim idoneus, probè perspicio: quæ tamen auditione accepi, iis vos spero fore contentos.*

Per Solem quidem Deum opt. max. accipio, quippe Solem Jovis oculum ab Hesiodo, Deiq; πανόπτεω ὄμμα à Pisida dictum, legere memini. Is Deus despicit in terras, & videt consilia malignantium, quæ vase notantur: ac ridet, inita ad oppressionem bonorum & innocentum: intelligit, quomodo cudantur, recudantur, fingantur, refingantur: dumq; calent ipsa, & in ipso penè versantur actu, discutit, explicat, enervat. Ejus rei exempla si quis à me petat, dicam eum rerum humanarum rudem admodum esse, & imperitum. Non hic adferam ea, quæ ab antiquo gesta sunt: non dicam Hamani contra Dei populum proditionem detectam: nihil loquar de molitionibus Antiochorum, Demetriorum, Seleucorum retusis: non commemorabo Nerones, Diocletianos, Maximinianos, Julianos divinitus cohibitos & oppressos. Recentiora quædam delibabo potiùs, quàm persequar consilia, callidissimè quidem consulta, sed divina vi & potentiâ scissa & debilitata.

Cum Henricum Quartum Imperatorem filius Henricus Quintus impio consilio imperio exuisset: isq; per Pontificem excommunicatus publicè esset: deficientibus ad filium Germaniæ principibus aliis, inter paucos veteri domino adhæsit constanter Huno Glorioſus, Comes Oldenburgicus, & vicinarum regionum dominus. Quod cum animadverteret Albertus Episcopus Bremensis, læsæ majestatis eum apud Henricum Quintum detulit, spe devorans jam omnem ejus regionem. Imperator citat eum Goslariam, & criminis læsæ majestatis reum declarat. Pro cujus vita etsi quamplurimi intercederent: dolis tamen & clandestinis Episcopi consiliis, alia lege vitam ei Imperator prorsus negavit, nisi cum leone congressus eam tueretur. Quod, ut patri viro fracto jam & curis annisq; confecto impossibile, in se devolvi pius petiit filius Fridericus: & post longas deliberationes tandem ab Imperatore impetrat. Dum verò de rationibus vincendi leonis secum ipse disputat: ecce in somnis Deus benignissimus ei modum demonstrat. Præparatibi, inquit, chartaceum quendam virum, quem intus pice reple, foris adipe inunge: eum in primore congressu, sive pugnæ aditu leoni obverte: quem, cum is hiatu violento invaserit, interim gladio confodito. Paruit Fridericus, maximaq; gloria leo-

ria leonem devicit: victoriaq; sua avarissimi Episcopi spes accidit, sibiq; cognomentum Leonis *adquisivit.*

Cui simile est alterum, quod ex Zonara desumtum est exemplum Basilii Imperatoris Constantinopolitani. Filium Leonem malevolus quidam insidiarum in parentem falsò detulerat, patriq; persuaserat, uti necare eum cogitaret; matris tamen precibus donatus, & perpetuo carceri mancipatus, excæcandus in momenta erat. Quid fit? Dum pater cum regni proceribus in splendido aliquando esset convivio, psittacus in corte suspensus subinde ingeminat: ô Leo, Leo. *(quæ imitatione, credo, cujusdam, calamitatem Leonis assiduè deplorantis didicerat.) Qua psittaci voce commoti Proceres, inq; lachrymas effusi, occasione deprecandi divinitus oblata: An non, inquiunt, Imperator, ista volucris nos accusabit: si cùm ipsa Dominum suum appellet, nos, tuæ Majestatis familiares, ejus tàm diu carcere inclusi, obliviscamur? Quibus verbis mitigatus Imperator, filium carcere liberavit, innocentemq; comperit. Traduxerat autem optimum juvenem Santabarenus Magus, invisus ipsi: persuadens, ut pugionem in calceo ad patris defensionem ferret: quod postea calumniosè apud patrem exaggerârat, quasi in necem ejus sumtus pugio fuisset. Cui Leo justissimo jure reposuit postea, quæ, si absque Deo fuisset, sibi exspectanda fuissent.*

Verùm dies me deficiat potius, quàm dicendi materia. Quibus insidiis appetiti nuper fuerint Rex, Regina, Principes & Proceres florentissimi Angliæ Regni, cohorresco dicere: cùm,

> ——————ut tartara nosses
> Id molita nefas, imo de pectore terræ
> Debuit, eque atro consurgere flamma barathro,
> Cumque suis miserum lacerumq; per æthera Regem
> Spargere, quem cœlo melius feret ardua virtus.

Hoc tamen etiam consilium benignissimus Deus pro divina sua bonitate intervertit, & in auctores sceleris justissimus judex convertit. Neque hodiè Deus alius est factus: idem erga suos est, qui fuit semper, curamq; suorum vigilem gerit: etiamnum ille pusillum suum gregem tuetur, observat, defendit, & molientium mala, corrumpit consilia: sensus mentemq; eorum obtundit, vires infringit, eventa in contrarium dirigit. Perge ô Deus opt. max. & porrò quoque perfidias malignantis Ecclesiæ technas obrue: gloriam tuam vin-

dica: nos peculium tuum adsere: & pessimis consultoribus consilia regere, repone, quæ nobis minantur,

Aucta etiam gradibus; nempè ut sic dignus iniqui
Fructus consilii primis auctoribus instet.

DIXI.

ORATIO SECUNDÆ CLASSIS, RECITATA à JOACHIMO AB EGLOFSTEIN, Borusso.

PLeno boni ominis & spei congiario, ex Amplissimi Ordinis munificentiâ abs te, Magnifice Domine Rector, donati sumus: quodq; ad benè sperandum de periculosorum hujus temporis motuum exitu, illustre nobis signum erigit. Clypeum enim hic expressum videmus: cujus in medio sacrum & venerandum Immanuelis nomen, linguæ sanctæ characteribus inscriptum: hoc apposito in parte superna Emblemate: QUIS CONTRA NOS? Immanuelis nomen, ut præter sacras paginas, linguæ sanctæ periti nos docent, Deus nobiscum, *sonat. Quo verbo mihi promissio dulcissima contineri videtur favoris erga nos divini, nostriq; cum illo reconciliationis, gubernationis ac defensionis: præsentiæ item perpetuæ ad ferendam nobis, in omnibus periculorum & calamitatum angustiis, opem & auxilium. Qua non modò in antiquo fœdere cum alibi passim, tum his potissimum apud S. Prophetam verbis Deus opt. max. se nobis obstrinxit, cum ait: Sic dicit Jehova, creator*

tuus:

tuus: ne metuas. Ego te redemi, & nomine tuo te vocavi: meus es tu. Cum per aquas transieris, tecum ero: Si per flumina, non te submergent. Si per ignem vadas, non cremaberis, & flamma non ardebit in te. Nam ego Jehova Deus tuus: verùm etiam in novo fœdere, ipsius Christi Salvatoris ore eandem nobis renovavit, cum ait: Ecce, ego vobiscum sum omnibus diebus, usq; ad seculi consummationem. Hanc igitur promissionem mihi contemplantes, & memori animo perpetuò versantes, agite, metum ac terrorem omnem abiicite: contraq; animo excelso & infracto estote, quicunque sub hoc cœlestis hujus Imperatoris militatis signo: quiq; in rebus publicè privatimve pro communi Ecclesiæ ac patriæ salute gerendis occupati estis. Nam ut laudatissimo quondam Principi Constantino Maximo, sanctæ crucis in aëre ex lucis splendore figuratæ conspectus, felicem rerum contra Maxentium gerendarum promittebat exitum: ita vobis quoque clypeus iste certam & indubitatam spondet victoriam.

Xerxem, Persarum regem, cum ab ingrata exulans patria supplex ad illum confugisset Themistocles, qui paulò antè scaphâ piscatoriâ trepidum ex Græcia perfugere illum coëgerat: præ gaudio in somnis exclamasse ter accepimus: Themistoclem habeo Atheniensem: quod existimaret scilicet, tanquam totius Græciæ cum illo ad se transiissent vires, nunc demum cogitata se perfecturum: Græciamq;, cujus imperium tanto quidem & tam multis retrò seculis inaudito apparatu, conatu verò prorsus irrito & inani affectaverat, ex animi voto subacturum. Quantò nos justius, Auditores, hoc cœlesti nobis præsente duce exclamare possumus? Immanuelem habemus: Jehova exercituum nobiscum est: Hoc lateri nostro assistente, fortiter feliciterq; rem geremus: Hic hostium nostrorum arma, vires & machinationes omnipotentiæ suæ viribus franget, conculcabit, dissipabit ita,

Ut turpem auctori offundant elusa ruborem.

Cum quo namque Immanuel est, quidnam huic ad salutem & incolumitatem summam deesse: quidnam Tyrannorum omnium: sed quid Tyrannorum dico? quid, inquam, totius orbis vires & potentiam huic nocere posse existimabimus? Hic nimirum ille clypeus est, quo protecta pia Abrahmi posteritas, Mose ductore, altissimam maris rubri profunditatem sicco pede perambulavit: ejusdemq; fluctibus, qui ipsis transeuntibus dextra sinistraq; muri vicem præbuerant, Pharaonem cum universis equitum & quadrigarum copiis,

rum copiis, dicto citius obrutos oppressosq; vidit. Hujus clypei munitus præsidio, pauperculis & tribu Manassensium parentibus prognatus Gedeon, insuperq; domi paternæ ultimo loco habitus, cum trecentorum hominum manu firmissimas, & multitudine sua locustarum numerum excedentes Madianitarum copias, ridiculo (ut videbatur) pugnæ & armorum genere fudit, fugavit & ad internecionem delevit. Hoc eodem adjutus clypeo David, pueritiæ annos vix egressus, Goliathum illum immani corporis vastitate sese inferentem: cujusq; ad conspectum solum gravi metu perterriti Israelitæ omnes refugiebant: fundâ & silice, quæ præ hostis sui armatura, crepundia & nugæ meræ videri poterant, instructus, at Jehovæ Immanuelis sui nomine fretus, unico lapidis ictu evertit & prostravit, proprioq; gladio interemit: ita ut illud Poëtarum principis de eo usurpare licuerit.

------jacet ingens littore truncus,
Avulsumq; humeris caput, & sine nomine corpus.

Sciens prætereo infinitos alios omnium ætatum pios homines, qui clypei hujus confisi robore, omnia hostium suorum, nihil nisi ignem spirantium, consilia, molitiones & machinationes eluserunt: impetum repressérunt: & à totius mundi & inferorum furoribus tutam illæsamq; suam & suorum salutem præstiterunt.

Verùm enimverò, Auditores, ut eâdem nos quoque in successibus rerum nostrarum felicitate utamur: magna quidem, sed una tamen adhibenda nobis cautio est: videlicet, ut illorum, quos dixi, exemplo, Immanuelem istum, verè conciliemus partibus nostris, nobiscumq; retineamus. Quod qua ratione consequi possimus, dulcissimis Immanuelis nostri docemur verbis, cum ait: Si quis diligit me, sermonem meum servabit: eumq; pater meus diliget: & ad eum veniemus, mansionemq; apud eum faciemus. Christi ergò dilectio, & mandatis ipsius obtemperatio, impenetrabilis clypei hujus fabricator est, simulq; vinculum, quo Immanuelem nostrum, ut perpetuò nobis adsit, arctissimè devinctum & constrictum tenemus. Dilectio verò hæc, præter perpetuum rectè faciendi studium, peccatiq; & omnis generis flagitiorum fugam, vel in primis Deum precandi, & supplicibus votis assiduè placandi ardorem, indissolubili nexu sibi junctum habet: Adeo quidem, ut qui spreto, neglectoq; præcipuo hoc, Deoq; longè omnium acceptissimo devotionis & precum piarum cultu, seculo huic conformari malit, scelerumq; & flagitiorum cupiditatibus fræna laxare:

laxare: quàm secundum Apostoli præceptum, mentis renovatione transfigurari, & quod Deus velit, quodq; bonum, acceptum perfectumq; sit, sequi & approbare: is verò immane quantum à dilectione hac abesse, clypeumq; hunc cum sempiterna infamiæ nota abjecisse, & proinde corporis & animæ exitio proximus esse videri debeat. Hoc verò ne nobis contingat, tu ô æterne atque unicæ salutis nostræ assertor & vindex, per viscera bonitatis & misericordiæ tuæ nobis tribue. DIXI.

ORATIO TERTIÆ CLASSIS, RECITATA à JACOBO SCHÖNER, Noribergensi.



REcte tu quidem, charissime Commilito, præcipuum rerum feliciter gerendarum momentum, itemq; publicæ privatæq; salutis expediendæ rationem, in auxilij divini præsentia & fiducia, cum devotionis, & precum piarum ardore conjuncta, collocasse mihi videris. Inde enim omnis gubernationis felicitatem, successusq; salutares dependere certum est: Verumtamen nescio quomodo inter auscultandum Cato ille Sallustianus subinde mihi suum illud insusurrare visus sit: Non votis, neq; suppliciis muliebribus auxilia divina parantur: vigilando, agendo, benè consulendo prosperè omnia cedunt. Cui & Prudentius Christianorum Poëtarum nulli secundus, suum illud succinebat:

Non aris, non farre molæ victoria felix
Exorata venit: labor impiger, aspera virtus,

Vis animi excellens, ardor, vigilantia, cura,
Hanc tribuunt, durum tractandis robur in armis.

Quorum in sententiam eò facilius mihi propendebat animus, quod etiam congiarij nostri lemma suum illis calculum adijcere videbatur, quod Gallum gallinaceum tubæ insistentem & collo extento lateribusq; sive alis complosis cantantem nobis exhibet, cum hac inscriptione, VIGILANDUM, *de quo cum à Magn. D. Rectore pauca quædã dicere jussus sim, quæso vos Auditores omnium ordinum præstantissimi, benignos mihi animos auresq; præbeatis.*

Nemini omnium ignota est cristati & animosi alitis hujus, galli gallinacci vigilantia, quem somno rumpendo, excitandisq; ad opera mortalibus, à natura genitum esse Plinius autumat. Non etiam tubarum, seu lituorum in castris usum quenquam latere arbitror: qui non modo in militibus ad obeunda militiæ suæ munia convocandis, sed etiam in accendendis acuendisq; ad pugnandi strenuitatem eorum animis consistit. Utrumq; istorum minimè obscuram oculis nostris imaginem subijcit illius, quod verbis gravibus & nervosis Auctores paulo antè laudati nobis inculcant. Videlicet in suscipiendis administrandisq; rebus omnibus, cum ardenti numinis & auxilij divini imploratione, curam quoque animi & solicitudinem vigilantiamq; esse conjungendam, sineq; eâ vota omnia inanem labiorum esse strepitum, imò turpem, ipsiq; Deo invisam & exosam prævaricationem & hypocrisin. Constat enim ex literarum tùm sacrarum quàm profanarum institutione, tum demum precibus ac votis suum constare pondus & efficaciam, cum ritè, hoc est divinæ voluntati ac mandato convenienter conceptæ sunt, & institutæ. At verò Deum opt. max. hanc laboris & vigilantiæ cum precum piarum studio συζυγίαν, passim in verbo suo à nobis postulare, nemo ignorare potest, nisi qui simul infinita Salvatoris nostri ignoret præcepta, quorum memoriam fideles doctrinæ Christi præcones, Apostoli sancti plurimis in locis renovant. Neque tamen est, quod illo nobis somno, quo sensus nostri sopiuntur, & quem naturæ nostræ postulat constitutio & necessitas, interdici putemus. Nam etsi huic quoq; moderationi studere debent omnes, qui in quocunque vitæ genere, ad veram solidamq; laudem contendunt: tamen in his, quæ audivimus, vigilantiæ præceptis, non is, qui sensuum quietem, sed qui peccatorum & flagitiorum veternum inducit somnus, ex ipsius Christi & Apostolorum interpretatione intelligendus est. Clara enim & perspicua est sancti Pauli de hac vigiliâ oratio,

... *cum in-*

cum inquit: scimus venisse tempus & horam, qua nobis à somno expergiscendum sit, discessit nox, dies adest, deponamus opera tenebrarum, & lucis induamus arma. Honestè nos, ut in die geramus, non in comessationibus & ebrietate, non in cubilibus & protervis, non jurgiis & æmulatione; sed Christum Dominum induite, nec carnis curam gerite cupiditatibus indulgendo. Primum ergò hoc vigiliæ genus est, ad quam nos tubæ & gallinacei nostri cantus excitat: cum quo alterum quoque conjungatur necesse est, quod in aliorum tàm apertis, quàm occultis adversus nos molitionibus cavendis & declinandis est positum. Non modò enim columbarum instar candidos & simplices nos esse Salvator jubet, sed etiam serpentum æmulari prudentiam, & Epicharmeos illos sapientiæ nervos atque artus, ex animo nunquam dimittere, quibus nullum firmius Rebuspublicis contra hostes præsidium esse, jam dudum sapientes judicarunt: imò etiam injustæ aliorum truculentiæ justam defensionem opponere, nobis permittit. Nam si natura ipsa, vel potius naturæ auctor & opifex Deus, lege perpetua & immota omni generi animantium edixit, ut se, vitam corpusq; tueatur, declinetq; ea, quæ nocitura videantur: si item, ut legi huic obsequaris, omnem honestam esse voluit salutis expediendæ rationem: equidem illum, qui legis hujus præscriptum sequitur, non quidem aliis noxam inferendo, sed aliorum fraudes atq; technas declinando, ne quidem si cum vulpibus vulpinandum (perfidiam & honestatis violationem semper excipio) & quò leonina evadere pellis nequit, eò assumtâ vulpina sibi contendendum censeat: non modo crimine aut culpa nulla gravandum, sed etiam cum Jaële, Israëlitica heroinâ, quæ Siseram Chananæorum regis ducem, in tabernaculo ipsius dormientem, clavo per tempora ipsius adacto interemit, laude & præmiis ornandum esse existimo. Ad præstandum verò hujus generis vigilantiæ officium, etsi facilè concedam, haud parvam animi vim & solertiam requiri, qua & hostium consilia sagaci conjectura præcipere, & quod illis opponas solerter & aptè reperire possis, imò etiam in naturæ magis beneficio, quàm in nostra manu hoc situm esse: tamen artium optimarum studia & doctrinam liberalem ad expoliendam, acuendamq; animi vim, plurimum momenti afferre, vicissim extra controversiam pono.

Quod ipsum quoque magnum nobis calcar admovere debet, commilitones amantissimi, (in vestri enim compellatione finiri jam mea gestit oratio) ad studia hæc, non perfunctoriè, sed seria atque firma animi intentione tractan-

da & perſequenda. Quod quidē ſi perſuaderi nobis paſſi fuerimus, omnia feliciter & ex animi ſententiâ, Deo opt. max. benignè opem nobis ferente, nobis ſucceſſura: ſecus autem omnia alia eventura ſint. Te verò, ô benigniſſime Deus, boni omnis auctor & dator liberaliſſime, ut non in priorum potius, quàm poſteriorum numero nos eſſe velis, ſupplicibus votis ex intimo cordis affectu colimus & veneramur. DIXI.

ORATIO QUARTÆ CLASSIS, RECITATA à IOHANNE-CHRISTOPHORO GUGEL, Noribergenſi.



IN brabeo meo, Rector Magnifice, conſpicor annulum ex complicatis alternatim manibus conſertum: in cujus apice relucet Adamas, palæ annuli veluti infixus: circumlegitur vox: CONSTANTER. *Qua Emblematis figurâ Concordia nobis commendatur: ambitu & περιγραφῇ Conſtantia, ſorores duæ conjunctiſſimæ: quæ & in rebus humanis uſu & dignitate plurimum valent. Concordia enim vinculum eſt incolumitatis in omni ſocietate: hoc cives inter ſe conſtringit: hoc eoſdem cum principe copulat: hoc domeſticam ſocietatem tuetur. Iſæus Sophiſta olim (Lacedæmoniis periclitantibus, ac de civitate ſua mœnibus cingenda conſultantibus) ſententiæ loco, cum interrogaretur, verſum Homericum recitavit, cujus ſenſus Romanâ linguâ hic eſt:*

Scutum hæſit ſcuto, galeæ galea, atque viro vir.

Et ad-

Et adjecit: Sic mihi stare Lacedæmonij, unanimes & conjuncti: & muro de lapide structo non indigebimus. In principum quoque & subditorum concordia & consensione sitam esse salutem publicam, innumera veterum docent testimonia. Synesius nullum firmius & stabilius imperij præsidium esse censuit, quàm civium benevolentiam erga principem, vel magistratum.

Non sic excubiæ, non circumstantia pila,
Ut tutatur amor: --------- *inquit Claudianus.*

De domesticæ societatis concordia, Pytho Rhetor Byzantius olim: obeso corpore sum, ut videtis, cives. Sed uxorem habeo longè me obesiorem. Et tamen concordes quod vis grabbatulum capit ambos: discordes ne tota quidem domus, quanquam ampla. Adde, quod concordiâ res parvæ crescunt, & in melius usque proficiunt: discordiâ maximæ dilabuntur, auctore Sciluro Scytha, qui filios suos, quos habebat complures, telorum fasce collecto, & dicterio hoc addito, paternè ad consensum & animorum conjunctionem invitavit: eoq; facto, confœderatis hodie Belgij provinciis, Emblema monetale suggessit. Horum commodorum respectu, symbolum concordiæ, consertas dextras olim in vexillo Romani ferebant milites: ut auctores sunt scriptores rerum bellicarum: uti concordiæ velut imaginem & typum semper in oculis haberent, & ab omni dissensione abstinerent.

Nos quoque, & brabeo hoc nostro commoniti, & saluberrimis, quas adtuli, exhortationibus edocti, amemus, quàm diu inter homines degimus, concordiam: & dissidiorum occasiones fugiamus. Dextris olim datis concordia sanciebatur, & auxilia promittebantur. Demus & nos invicem dextras: hoc est, veram concordiam ineamus, manum indigenti porrigamus, sublevemus nos invicem, quà licet, quà oportet: rancorem ex animis omnem eijciamus: incentiva odij vel dissidiorum negligamus, aut lenitate prudentiq; consilio tollamus; vel denique patientia Christiana toleremus. Concordia sic initâ, & amoris vinculo constricti, adamante illud obsignemus: hoc est, constanter tueamur, nec cum fortuna vultum mutemus aut animum, ut pilum lupus solet. Sed nec secundis elati, veteres despiciamus amicos; nec adversis deseramus. Insuperabilis enim est concordiæ vis, & tamdiu invicta, quamdiu à seipsa abstinet: hoc est seipsam non perimit & diducit: sed unita solvi metuente vinculo cohæret & consistit. DIXI.

GRATIARUM ACTIO, RECITATA à BERNHARDO MACHAN, Bohemo.

EGo vero, Magnifice D. Rector, has à te mihi datas partes, quamvis impar, animoq; trepido, libens tamen promtusq; suscipio. Si enim, ut ait Epicletus, luscinia essem, luscinia munus fungerer: si olor, oloris. Nunc cum rationale animal sim, Deus mihi laudandus: Deo, inquam, bonorum omnium datori, hymnus cantandus est: simulq; grato animo & voce adjungendi sunt ij, quos Deus dedit nobis benefactores: quique sua præsentia hanc nostram solennitatem honestare dignati sunt.

Tu igitur, summe rerum Opifex, summe Sospitator, qui omnia quæque cernuntur, quæque oculos cerni nequeunt, & hoc universum ex nihilo creasti: hominemq; in mundum induxisti inspectorem & arbitrum tui atque operum tuorum: nec solum inspectorem, sed enarratorem: accende hunc animum amoris tui ignibus, ut possit ex se promere gratias tibi gratas: dà beneficiorum tuorum intellectum, quamvis illa non solum nostram, sed & Angelorum intelligentiam longè, longeq; magnitudine sua excedant. Tu nos informe lutum initio manibus tuis finxisti: tu spiritum vitæ nobis infudisti: tu ad imaginem tuam nos condidisti, & serpentis astu deceptos, non tamen gratiæ tuæ exsortes reliquisti, sed æterno carceri mancipandos interventu filij tui liberasti. Tu nos è parentibus honestis, & quod caput est, Christianis nasci voluisti: per quos Ecclesiæ tuæ, sacro Baptismate abluti, insereremur: per quos infantia nostra aleretur: pueritia lacte doctrinæ ac pietatis imbueretur. Tu patriam nobis, tu Magistratus, tu educatores, præceptoresq; eos dedisti, per quos non solum vivere, sed & benè vivere possimus. Fac istam nobis ô Deus propriam gratiam, indulge nostris studiis ocium, quibus Mars propinquus minatur. At tu propter meritum mortemq; filij Ecclesiæ tuæ miserere, nobisq; peccatoribus parce: crudeles ac furibundos impetus Satanæ retunde: frange furorem eorum, quibus in exitium nos Christi membra petimur: qui diu conceptum & inveteratum in pios odium jam jam effundere sese posse sperant.

Hinc, ut ad te oratione convertam, ô inclyta Noribergensis civitas, vosq; civitatis lumina, Amplissimi ac Prudentissimi Senatores ac Scholarcha: qua

chæ: qua voce, quibus verbis, quô tàm exquisito gratiarum agendarum genere, meritorum vestrorum magnitudinem consequar? Vestro sumtu hæc Academia fundata, vestra cura adolevit: vos fautores, vos patronos, imò vos parentes Musæ nostræ semper expertæ sunt: ac nunc quoque quantam educationis nostræ & institutionis curam geratis, præsentia hac vestra satis declaratis. Quomodo igitur tantis meritis satis grato animo respondeamus? nisi ut eorum memoriam nunquam ex animo effluere patiamur: & quantum in nobis est, dignos hac vestra cura, quà moribus & vita, quà discendi studio, nos exhibeamus.

At tua, Magnifice D. Rector, quibus item beneficia verbis deprædicem? quas pro hujus anni curâ, sollicitudine, ærumnis in Rectoratu tuo exantlatis, gratias agam, aut habeam? quas denique pro beneficiis, quibus me, meosq. hos æquales & comilitones propriè tibi obstrinxisti?

Sed & quod verborum munus vobis, ô Antecessores & Professores celeberrimi, vobisq. Præceptores optimè meriti, pro vestris in nos singularibus beneficiis, reperiam? Nihil enim à vobis reliquum factum, quò minus doctrina & moribus, pro captu ætatulæ, summa omnia consequeremur. Igitur hoc unum de nobis conqueri possumus, quod cum gratiæ referendæ nec simus, nec unquam futuri simus, effeceritis, ut vivendum ac moriendum nobis sit ingratis.

Vester porrò conspectus longè jucundissimus Hospites splendidissimi, sic me afficit, ut linguas, si fieri posset, mihi decem optem, quibus laudes vestras, & hoc tantum præsentia vestra nos cohonestandi studium, dignè exsequar.

Postremò vos partim genere illustres, partim nobiles, omnes verò doctrina moribusq. ornatos Dominos Studiosos hac gratiarum actione libens meritò complector: proq. hoc vestro officio gratum memoremq. animum meum, meorumque æqualium spondeo.

DIXI.

XXXIII. PA-

XXXIII. PANEGYRIS, Anni 1609.

RECTORE D. M. GEORGIO QUECCIO, ETHICO.

ORATIO PRIMÆ CLASSIS, RECITATA à GEORGIO-SIGEFRIDO COLER, Patricio Noribergensi.

Video Amplissimi & Nobilissimi Domini Senatores & Scholarchæ, Patroni summâ observantia colendi, video inquam, in hoc numismate expressam imaginem Milonis illius Crotoniatæ, athletæ longè nobilissimi, taurum dorso gestantis, quem vitulum scilicet ferre assueverat. Hoc quid ad me, meosq; æquales? Ut inde scilicet, quasi lux quædam diligentiæ nobis oboriatur, cum videamus, quid assiduus labor ac consuetudo possint, & quantum virium quotidianæ exercitationis adijciant. Si enim Miloni tantum corporis robur quotidiana consuetudo conciliavit, & ita labore continuo membra creverunt, ut taurum, testante Athenæo

thenæo, quadrimum, ludis Olympiæ inspectante totâ Græcia portarit: quid nobis futurum censemus, si eandem in exercitando ingenio diligentiæ & assiduitatis viam persequamur? Hoc igitur persuasissimum omnibus nobis esto, patientiam usumque nos adhibendo, summa omnia in studiis consecuturos. Neu quisquam malignè secum naturam egisse caussetur, intueatur Demosthenem, cujus dicendi vis divina adhuc in libris spirat, vibrantq; fulmina: At ei & tarditas ingenii, & linguæ balbuties initio obstitit, sed dum labore pertinaci cum impedimentis naturæ certat, unamq; dies noctesq; tundit incudem, id in se perfecit & perpolivit, ad quod frustra posteritas Oratorum adspiravit. Quis non igitur Romanos illos laudibus ferat, à quibus auctor dialogi de caussis corruptæ eloquentiæ ita ait, liberos educatos institutosq;, ut sincera & integra, & nullis pravitatibus detorta, unius cujusq; natura, toto statim pectore arriperet artes honestas, & sive ad rem militarem, sive ad juris scientiam, sive ad eloquentiæ studium inclinasset, id solùm ageret, id universum hauriret. A quo majorum instituto non aberrat consilium Mecænatis apud Dionem Cassium libr. 52. ubi inter alia Augusto vir prudentissimus instillat, ut senatores & equites, dum adhuc pueri sunt, ad ludos literarios simul itent: adolescentes autem facti, equos & arma tractare discant, utrumque publicis à doctoribus certo stipendio conductis. Ita enim (inquit) statim à puero discentes & exercentes omnia quæ adultis agenda sunt, magis idonei tibi ad quodvis opus erunt. Eia igitur, optimi æquales & commilitones, quibus vivus & ingenuus est sanguis, & nos experiamur, quid unis studiis literarum ex summis viribus dediti, usu patientiaq; proficere possimus. An non enim assiduis stillicidiis lapides etiam durissimos cavari videmus? Cur igitur ingeniorum, ut ita dicam, duritiem assiduitas expugnare nequeat? Atqui hæc assiduitas illa est, quæ nihil non in suo genere ad summum perfectionis culmen perducit. Hæc enim Romuli casam terrarum orbis fecit columen: hæc dedit nobis Aristotelem, naturæ miraculum: hæc medicinæ patrem Hippocratem: hæc juris thesaurum Papinianum: hæc phœnicem Poëtarum Virgilium: hæc aquilam rei militaris Cæsarem. Quod Archimedis miramur inventa: quod Eudoxum in cacumine excelsissimi montis consenescentem, ut astrorum cæliq; motus deprehenderet, etiamnum hodie suspicimus: quòd item Chrysippum, ut ad inventionem sufficeret, ter animum helleboro detergentem, adhuc loquitur posteritas; assiduitatis & patientiæ præmium est

Quæ nisi artifices, in suo quisque genere, adhibuissent: nunquam antiquitas manus Zeuxidis, nunquam rudimenta Protogenis, cum naturæ veritate certantia, nunquam animorum picturam Apellis mirabunda spectâsset: non Myronis, non Lysippi, non Praxitelis, non Phidiæ, cæterorumq; artificum opera in cœlum laudibus extulisset. Jacéret omne rude & impolitum artificium.

Quare si & nos in studiis literarum dignum operæ precium facere cogitamus, remota segnitie, quotidie lineam aliquam exemplo Apellis ducamus, usum patientiamq; asciscamus, χαλκέντεροι & φιλόπονοι audiamus: sic fiet, ut uberrimos assiduus labor tandem fructus pariat. DIXI.

ORATIO SECUNDÆ CLASSIS, RECITATA à JOHANNE ALBERTO Peldrzimovvsky, Bohemo.



NIsi tua, Rector Magnifice, me ad dicendum evocaret auctoritas: munificentia item Ampliſſimi Nobiliſſimorum Scholarcharum Ordinis hoc pro jure ſuo videretur exigere, non equidem perſuaderi mihi paterer, ut infantiam meam balbutiendo proderem, & ludibrium huic auditorio riſumq; præberem. Cæterùm quia auctoritas eorum, quos dixi, mea mihi dignitate charior atque auguſtior eſſe debet: measq; cogitationes ſubactiſſimo ſuperiorum judicio longè cedere convenit: non tàm quid poſſim ego, quàm quid à me petatur, & à quibus, conſiderandum mihi eſſe arbitror. Nec dubito, quin vos, Auditores omnium ordinum

dinum splendidissimi, gratissimiq, infantiam meam parendi studio contegi velariq, facilè passuri sitis: & exigui temporis spatiolum benignè indulturi: quod tamen uti faciatis, maximo à vobis opere peto & contendo.

Brabeum nostrum, si rectè meis oculis utor, Magnifice Domine Rector, cæteriq, Auditores omnium ordinum Præstantissimi & Nobilissimi, Accipitrem repræsentat, velatum & obtectum corio caput atque oculos, eo fine, ne, si liberius oculis patentibus vagetur, prædam vel præsentem negligat, vel prorsus amittat. Id quod colligere pronum est ex additis & incisis brabei ambitu verbis: PLURIBUS INTENTUS. *Quod hemistichium non incommodè quis supplevit hoc modo:*

Pluribus intentus minor est ad singula sensus.

In quam sententiam & alius lusit:

Qui binos lepores una sectabitur hora,
Uno quandoque, quandoque carebit utroque.

Hoc emblemate ego docere sapientes voluisse puto: nullo fructu aut commodo animum hominis variis diversisq, curis fatigari: malè item eum plura aggredi: cum unum ab uno eodem tempore rectè vix expediri possit: ut docuêre duo Philosophiæ oculi, Plato & Aristoteles: ille quidem 5. & 6. de Legibus: hic 3. & 4. de Repub. Id, nisi vobis ingratum est, paulo altius quæramus.

In homine, ex Philosophorũ sententia, duplices sunt animæ facultates, aliæ internæ aliæ externæ. Hæ duplices facultates simul unâ operari commodè perfectèq, non possunt: sed internis operantibus, externæ debilitantur & langueſcunt: externis, internæ. Hinc Aristoteles, ultimus illæ naturæ conatus extremo libro de Repub. c. 4. monet, pueros post pubertatem Gymnastica non amplius exercendos: quia labor corporis obtundat aciem mentis: nec conveniat simul τῇ τ διανοίᾳ καὶ τῷ σώματι ἀσκεῖν: quoniam labor alter alterum sistat & moretur. Hoc ipsum experimentis & ratione confirmat doctissimus Arabum Averroës. Videmus, inquit, hominibus alta cogitatione defixis somnum facilimè obrepere: immò ipsosmet oculos claudere, ut sic extremæ facultates introrsum vertantur, & vis cogitatrix sit fortior. Videmus etiam ad alia intentos vehementer delata ob oculos alia non videre, nec verba aliorum percipere. Videmus denique, læsa una in homine potentia, alias intendi reddiq, valentiores & acriores. Sic qui nati sunt cæci aut surdi: in iis deprehensæ sunt vires interiores animæ fortiores. Qui casu uno oculo privantur,

vantur, altero acutiùs cernunt deinde. Quiá parum cernunt, acutè ſolent audire, cujus poſtremi ſpecimen dedit nobis delicatiſſimus ille Muleaſſes Afrorum rex: qui referente in hiſtoria Leone Afro, & ex eodem exſcribente Johanne Bodino l. 4. de Republ. c. 1. ut ſuavitatem ac dulcedinem harmoniæ muſicæ jucundius molliusá hauriret: oculos velabat, quod duobus ſenſibus duplicem voluptatem ſimul percipi non poſſe didiciſſet. His experimentis rationem poſtea ſubjungit Averroës hanc: Anima, inquit, una eſt in ſubjecto, & multiplex ratione facultatum. Fit itaque, ut dum valdè intendit in unam operationem alicujus facultatis: aliæ veluti vigore ſuo deſtitutæ hebetentur, & langueſcant. Præter hæc experimentum quoque aliud conſideremus. In mechanicis artibus videmus, præſtantiſſimos artifices & inſignes maximè vitam vivere perditiſſimam: inácq vitiorum ac voluptatum cœno veluti ſaburram ſtruere. Ejus rei rationem à Philoſophis accepimus hanc, quod cum in iſta mechanica toti ſint intenti: vacare virtuti nequeant, aut cupiditatibus ſuis moderari: quodá externis operibus exerciti, animi culturam negligant. Quod de athletis Galenum quoque oratione ſuaſoria pronunciaſſe, accepi, cum, inquit, Athletæ ſanguinis & corporis mole ſe onerant, animam ſuam quaſi largo cœno ſuffocant atque obruunt, ut nihil paulò reconditum intelligere queant: ſed amentes ſint perindè ac belluæ.

Ex quibus omnibus hactenus dictis non difficile eſt intelligere, vere nè dictum ſit? Pluribus intentum *neminem eſſe debere: cum videlicet fieri id non poſſit per naturam magno aliquo commodo. Hinc nos adoleſcentes diſcamus, non volitandum nobis eſſe in ſcientiis & diſciplinis: ſed ſeriò ſtatuendum certum aliquem ſtudiis noſtris finem, in quo conſequendo unicè laboremus. Neque enim (ut vidimus) mens humana id admittit, ut plura cum ſolertia ſimul tractemus: nec tempus ætatis aut vitæ noſtræ fert. Veriſſimè Hippocrates: ars longa, vita brevis. Et niſi hoc agamus, fit ut conveniat in nos tritum illud: Qui vult in omnibus aliquid eſſe, in toto nihil eſt. Sapientiſſimus Galenus medicamenta πολύχρηστα nihil eximiè præſtare docuit: ita revera illi ſuperficietenus docti plura, profundum veræ eruditionis nunquam attingunt. Memores itaque ſimus veteris græci verſus: ἀ δύνασαι τὴν Τηθὺν καὶ γαλατείας ἐρᾶν. Non poſſe nos ſimul Tethydem & Galateam amare: hoc eſt, ſtudia diverſa ſimul tractare: ſed cum Pindaro τέχνας ἄναν τῶν ἐπέων ἐπέρας. Aliter ſi facere perſeveraverimus, Seneca nobis imminebit Philoſophus, & in*

hæc ver-

haec verba objurgabit: Quid sine proposito vagimini, ineptissimi adolescentuli? An nescitis, inconsultum vobis vanumq; cursum esse, qualis formicis per arbusta repentibus, quæ in summum cacumen, deinde in imum inanes coguntur. His similem vitam agitis: quam ego non immeritò inquietam inertiam dixero. Aliquò labor vester referatur, & Democriti illud vobis dictum putate: Nec privatim, nec publicè multa agenda simul, sed necessaria: nec multorum, sed multa lectione animum firmandum. Quo maximi viri salutari monito oratiunculam hanc lubens obsigno. DIXI.

ORATIO TERTIÆ CLASSIS,

RECITATA PER ANDREAM-PAULUM GRÖSSER, Noribergensem.



QVanquam ipsum hoc Emblema meum, quod oculis nunc usurpo, Rector Magnifice, silentii me admoneat (quid enim ego puer omnium rerum imperitus, hoc splendidissimo dignum consessu de meo promere possum? aliena autem afferendo corniculæ huic, de quâ mox, geminus futurus sim) tamen quia ea est voluntas tua, uti loquar, potiorem tui jussus habeo rationem, quàm meæ tenuitatis, cum nihil adolescentem nostram ætatem commendet magis, quàm parendi majoribus promtitudo & studium. Id ego & inter meas laudes esse cupio, ac sponte ac ultrò, quò vocas, contendo. Corniculam, innui ante, videre me in brabeo: neq; fefellerunt me oculi, planissimè enim ea hic expressa est, comta aliarum avium furtim subtractis pennis, quibus tamen ab iisdem spoliatur iterum, spoliataq; ludibrium debet universis:

quam fabulam tradidere multi, Æsopus, Gabrias, Aphthonius, Theon & alii. Circùm visitur elegans Hemistichium: QUOD SIS ESSE VELIS, *sumtum à venustissimo Poëta Martiali, apud quem integer versus conceptus hoc modo lib. 10. Epigr. 47.*

Quod sis esse velis, nihilque malis.

In quem planè sensum idem alibi:

Quod sis esse velis, placeat, moneo, tibi cautus,
Sors tua nil aliud, si sapis, esse velis.

Ex quibus verbis non difficile est intelligere, quid sapientissimus Nobilissimorum Dominorum Scholarcharum Ordo hoc emblemate monere nos voluerit: cavendum videlicet nobis ambitionem multorum hodiè hominum, qui sua sorte non contenti altiora sapiunt, quò cum virtute sua pertingere nequeant, aliorum labores sibi temerè ac fraudulenter arrogant, & velut ova furtiva supponunt, quo ipso tamen tandem nullum aliud, detecta fraude & protracta in lucem veritate, consequuntur auctoramentum, quàm risum & ludibrium. Neq; enim fictum quidquam aut simulatũ, sive ut Gregorius Nazianzenus loquitur, ψεῦδος potest esse μόνιμον aut diuturnum: Et quanquam fraudibus suis aliquam initio tales famam peperisse videri possint, tamen ad extremum tanquam fumi venditores, fumo ipsi quoque concidunt & pereunt. Estq; gloriola illa similima Anemonæ plantæ, quæ levi vento spirante, aut solis calore languescit. Pulcherrimè quidam platanis ambitiosulos hosce comparavit, quæ sterilis ex se, longam tamen latamq; spargunt umbram: ita hi variæ solum ambitionis fermento tument, & verbis ampullantur, veræ eruditionis fructu carent. Horatius, latinæ fidicen lyræ, talem nobis Celsum quendam describit:

Quid, *(inquit)* mihi Celsus agit, monitus multumq; monẽdus,
Privatas ut quærat opes, & tangere vitet
Scripta, Palatinus quæcunque recepit Apollo,
Ne si fortè suas repetitum venerit olim
Grex avium plumas, moveat cornicula risum,
Furtivis nudata coloribus.

Hodie Auditores nimis longum foret, catalogum vertere eorum, qui sunt ἐπιλαμβάνεσθαι, *alienæ industriæ catillatores, &* λειχοπίλλοι *sublingiones alienarum*

narum curarum, quorum messis tota non συνεμπώματα sunt, sed κλεπτὰ, ut ait doctissimus hujus seculi Vir. Horum sive factum, sive stultitiam detestemur, Adolescentes & æquales suavissimi, & intra pelliculam nostram maneamus: quisque suo se metiatur modulo ac pede, & suis se dotibus, non alienis commendare studeat. Spartam quam nactus est quisque pro sua virili exornare contendat. Sic infamiam & ludibria, risumq; publicum evitabimus, laudem verò industriæ, probitatisvè auferemus.

Hæc una eaque genuina videtur hujus emblematis esse explicatio: Non possum tamen, quin & alteram attexam Theophylacti Simocati Græci, viri doctissimi, & Christiani, ut vel hinc apparet, probissimi. Ita autem ille: Homines, inquit, nos omnes in his terris corniculæ Æsopicæ sumus, nihil enim in hac vita possidemus proprium, sed vivi quidem ad breve tempus ornamur cultu: exsuimur mortui, & terra ac pulvis, quibus originem debemus, reddimur: Despiciamus igitur & detestemur, nimium illum corporis cultum, animæq; immortali rectè curandæ intenti simus, quâ rectè curatâ hic, æternum post benè habebimus; malè, æternum deinceps pessimè. Quæ explicatio & Christianæ nostræ doctrinæ conformis est, & priori illi commodè adjungi potest: cujus ego rei Vos, Auditores splendidissimi, Judices & Censores, dicendi verò finem facio. DIXI.

ORATIO QUARTÆ CLASSIS, RECITATA à JOHANNE-JACOBO SCHOPPERO, Ambergensi.



Arboris

ARboris cæsæ truncus, ex quo novi surculi oriuntur, cum inscriptione, NIL VULNERA CURAT, quid aliud nobis Amplissimi & Nobilissimi Domini, ob oculos ponit, quàm ipsissimam Ecclesiæ à tyrannis vexatæ atque laceratæ imaginem? de qua eleganter Theodoretus sermone nono, sive de legibus: Quemadmodum, inquit, arbores cæsæ plurimis stolonibus repullulant: ita tunc in locum Christianorum interfectorum, multiplex numerus Evangelicam doctrinam amplectentium succedebat: Cruorq; ille cæsorum irrigatio erat novis in Ecclesia emergentibus plantis. Hæc Cyrensis Episcopus de Christianis, ante tempora Constantini Magni, crudeliter ubiq; terrarum exagitatis. Sed idem Ecclesiæ fatum memoria omnium seculorum comprobavit. Quod enim Metrodorus nescio quis Romanis infensus, testante Seneca, dictitabat: Incendia Romæ ob hoc unum sibi esse dolori, quod sciret, pulcriora & meliora consumtis resurrecturа: sic clades à tyrannis inflictæ ob hoc unum perpetuo illi Dei Christianorumq; hosti molestiæ sunt, quod sciat, inde semper Ecclesiam pulchriorem lætioremq; reviruisse. Hoc, ut dixi, testimoniis historiæ omnis ævi confirmatur: sed nescio an ullo illustriore, quàm status Ecclesiæ, qui sub Diocletiano fuit, quiq; mox Constantino principe excepit. Ille, quem dixi, Diocletianus, ejusq; particeps Maximianus, odio Christiani nominis inflammati, in Ecclesiæ interitum conspirârant. Itaq; quà cædibus sæviendo, quà diris cruciatibus quoscunque Christi nomen profitentes afficiendo, eò rem perduxerant, ut nomen Christianum deletum videretur: quod & ipsi Imperatores ita arbitrati, novum numum cuderant, cum inscriptione, qua se id perfeciisse gloriabantur. Sed quid paulò post evénit? Cum pagani de cultu imaginum restaurato, deque sacris & ceremoniis suis sanguine Christianorum veluti sanctis feriò triumpharent: hic, ô Deus immortalis, quæ subito mutatio facta est! Ecce enim tibi Constantinum principem repentè à Deo illuminatum, & abdicato paganismo, religionem Christianam amplexum! Tunc verò ut Sol non uni atque alteri, sed statim omnibus in commune profertur: ita veritas Evangelica non uni soli Imperatori, aut qui circa eum, sed toti propemodum humano generi confestim lucere cæpit! Itaque pro Christianis, quos illi impii trucidârant atque exquisitissimis suppliciis affecerant, universus penè terrarum orbis Christo sacramentum dicebat: basilicæ passim excitabantur: veri Dei laudes ubique gentium personabant. En igitur Ecclesiam, veluti auroram, è tenebris

nebris emergentem! En irritos conatus adversus Christum, ejusq; membra furentium! Proinde fremat licet mundus, insaniant tyranni, bacchetur Sathan: hæc est Ecclesia, quæ firmissimis radicibus nixa,

Duris ut ilex tonsa bipennibus
Nigræ feraci frondis in algido,
Per damna, per cædes ab ipso
Ducit opes animosq; ferro.

DIXI.

XXXIV. PANEGYRIS,
Anni 1610.

SUB RECTORATU D.D.
ANDREÆ DINNERI JC.

ORATIO PRIMÆ CLASSIS,
RECITATA à JOHANNE-ADAMO STIBAR à Buttenheim, Franco.



SI quantum voluptatis & gaudii muneris hujus oblatione animo meo accessit, Rector Magnifice, tantùm accessisset eidem ad dicendum virium &

facultatis: non vererer in conſeſſu hoc ſplendidiſſimo adſevetare dignè ſatis à me picturam ejusdem & imaginem explicari poſſe: Nunc cum ratione & hiſtoriâ atteſtantibus, gaudium multos elingues fecerit & mutos: dubium nullum mihi relinquitur, facilè vos adſenſuros mihi, ſi eadem voluptate non vocaliorem me, ſed ineptiorem etiàm ad dicendum factum proteſter. Quod etſi veriſſimum eſt, nolo tamen potiorem infirmitatis meæ, quàm obedientiæ, tibi Rector Magnifice debitæ, rationem habere, ſed pro virili quod imperaſti, exequi conabor: Veſtrâ potiſſimum, Viri omnium ordinum ſummi & honoratiſſimi, fretus benevolentiâ & æquanimitate, quam non tàm quia neceſſe videatur, quam quia more dicentium receptum eſt, huic tamen inſtituto meo vehementer exoro. Imago brabei mei repræſentat Camelum ingeniculatum anteriori corporis parte, ſarcinis utrimq; impoſitis oneratum, addita ἐπιγραφὴ: NE QUID NIMIS. *Cujus emblematis originem camelorum ingenio nos debere agnoſco, de quibus Plinius naturalis hiſtoriæ lib. 8. cap. 18. Herodotus Muſa 7. aliiq; nobiliores rerum naturalium periti tradidêre, eam illis naturâ inditam indolem, ut ſponte & ultrò in genua procumbentes, vel ſeſſorem, vel onera viribus ſuis paria recipiant, receptisq; erigant ſeſe, & alacriter progrediantur, quod ſi verò modum & vires ſuas impoſitæ ſarcinæ excedant, vel ſuccumbere eoſdem ſub pondere, nec ullis verbis aut verberibus erigi poſſe: vel eadem per vim excutere & tergo abiicere.* ἐπιγραφὴ *emblematis Delphici oraculi omni vetuſtate nobiliſſimi effatum & dictio eſt, græcis verbis reddita:* τὸ μηδὲν ἄγαν: *quod cultiſſimi oris Poëta Terentius ita reddidit: Apprimè in vita utile eſt,* Ne quid nimis. *Ex græcis Medicorum Coryphæus Hippocrates rotundè admodum, Nimium omne naturæ inimicum proſcripſit: Quorum ſi ductum ſequi vellem, extendere deberem uſum hujus moniti emblematici ad omne vitæ genus & ſtatum. Verum illud nec ætatis meæ eſt, nec ingenii: placet itaque pedem in noſtro figere regno, & in ſcholis uſum & neceſſitatem moniti hujus quærere. Præceptores & Pædagogi dictum hoc ſibi putent, & pueri honeſtis artibus ſeſe mancipantes. Illi quidem, ne & pluribus, quàm fidei ſuæ commiſſorum diſcipulorum ætas ferat, & altioribus, quàm captus admittat, eoſdem onerent & fatigent; quorum illo obruuntur ingenia, ut nihil percipiant prorſum: hoc, ut omnia præpoſterè, & proindè malè. Ut enim, optimo illo pueritiæ formatore Quintiliano teſte, vaſcula oris anguſti ſuperfuſam humoris copiam reſpuunt: ſic anguſti puerorum*

animi

animi plurium, quàm ætatis ferat infirmitas, discendorum onere non sunt obruendi: Nec quicquam proficiet, qui orbiliorum plagosorum more ferulis, fuste, aut verberibus adigere pueros postulet: hoc potius consequetur, ut qui amare nondum possunt per judicium studia, per duritiem oderint, & amaritudinem semel perceptam etiam ultra rudes annos reformident. Altiora etiam pueris tradenda minimè censuêre viri sapientes, multas ob causas: primum quidem, quia ut ætatis sunt gradus, ut corporum, ita animi quoque. Sicut igitur corpora ad quosdam membrorum flexus formari, nisi tenera, non possunt; sic animi in infantia studiorum constituti teneriores, non nisi humilia amant & levicula; ad sublimia illa admoti fatiscunt, & ipso conatu deficiunt. Secundò, ideò vel maximè, quia sic confunduntur ingenia, & paulatim τῆ ἀταξίᾳ adsuescunt, quæ pestis est studiorum certissima. Quia denique illa sublimia, quæ pueris obtruduntur, ambitiosa magis sunt quàm utilia, & præceptores sæpè gloriolam potiùs institutione, quàm profectum discipulorum consectari videntur, quos præstabat apud pueros repuerascere, &, ut idem Quintilianus ait, ad intellectum auditorum descendere, haud aliter, quàm parentes cum liberis balbutire consueverunt. Nec minus hoc dictum sibi putent ipsimet pueri & discipuli, quorum duo in hanc rem concurrere vulgò solent peccata; quorum unum est, quod nullo judicio, nullo rerum usu valentes, præscribere tamen præceptoribus suis non verentur, quid doceri velint & quomodo; cujus stultitiæ suæ adstipulatores habere non rarò parentes solent: quibus luscis cum ipsi cæci sua deliria probaverunt, jam hi edicta prætoria mittunt ad pædagogos, & ignarissimi juxta cum filiis docere tamen, & methodum præscribere Doctoribus exercitatissimis nihil erubescunt. Alterum est quod ipsimet adolescentes ambitione decepti partim, partim severioris disciplinæ tædio, subtrahunt se præceptorum monitis: & excusso jugo, nullis aut perversè jactis fundamentis, involant in facultates & scientias: quasi in eo arx sapientiæ fundata sit, appetere quæ consequi nequeas. Cui vesaniæ accedit altera, quod perperam accepta ineptius jactamus, & ludibrium omnibus bonis doctisq; debemus.

Hæc duo peccata, Adolescentes optimi, caveamus, & cum munificentia & benignitas Amplissimi Senatus Norici, eos nobis præceptores præfecerit, qui & ingeniorum nostrorum probatores sunt acerrimi, & formatores prudentissimi; nos iisdem judicia nostra subiiciamus; altiora ne sapiamus: aut

fastidio vel contemptu quodam impio tædium illis docendi gignamus: sed quò duxerint ipsi, volentes sequamur: sic emblematis nostri usum luculentum & insignem percipiemus. DIXI.

ORATIO SECUNDÆ CLASSIS, RECITATA à PHILIPPO-JACOBO TUCHER, Patric. Noribergensi.



EAdem Magnifice D. Rector, & aliquantò quidem potior mea foret declinandi oneris ratio, quâ niti volebat antecessor meus. Verùm, quia & ille juri suo renunciare maluit, quàm tuæ voluntati & auctoritati refragari; non incommodè facturus videbor, si exemplum ejus imitatus fuero: vobis Auditores omnium ordinum gratiosissimi, uti spero, non invitis, qui secundi quoque muneris illustrationem tacitis votis exspectare videmini: Repræsentat autem emblema brabei nostri apologum de duabus capris, in angusto ponte sibi invicem occursitantibus, quarum una procumbit, ut transeat altera, & sic utraque salva perveniat, quò velit. Additæ sunt in orbem voces hæ:

QUAM COMMODA CEDERE RES EST.

Apologum quod attinet, vero conformem eum testatur Plinius libr. 8. hist. nat. his verbis: Solertiam ejus animalis (de caprâ autem ei sermo) Mutianus visam sibi prodidit: In ponte prætenui duabus obviis è diverso: cum circumactum angustiæ non caperent, nec reciprocationem longitudo in exilitate caca, torrente rapido minaciter subterfluente: alteram decubuisse, alteramq; su-

ramq; supergressam: Hemistichion autem, quod in orbem cingit emblema nostrum, in eum usum adjectum est, uti discamus prudenti moderatione invicem concedere, neque æmulationibus, quà publicè, quà privatim noxiis, nimium indulgere. Quantum istæ æmulationes turbârint Ecclesiam, incunabula mundi testantur, & tristissimum Caini facinus, fratrem Abelem interimentis: Comprobat Aaronis viri sancti invidia, qua urebatur gloria Moysis: arguit Jasonis in fratrem Oniam impietas: Arii ob negatum Episcopatum furor, & alia innumera exempla. Damnorum in Republ. acceptorum pleni libri, plena historiarum monumenta, ex æmulatione potentum natorum. In Oeconomia patre & matre familias in diversa euntibus, quæ jacturæ rem familiarem comitari soleant, evidentius est, quàm ut demonstrari debeat. Et qui possit aliter fieri, cum veteri dicto: κακῆ κόρακι κακὸν ὠὸν soleat esse: hæc autem æmulatio matrem habeat ambitionem & arrogantiam, compendia rerum evertendarum. Adsuefaciamus igitur nos ad cedendum ultro cuivis, ut alienam simul & nostram tueamur salutem; quod tum fiet, si modestiæ studuerimus, virtuti omnium hominum ordini, ætati & sexui commendatissimæ, maximè verò nobis adolescentibus. Hujus autem duæ potissimum sunt partes, ut primum alienas virtutes & merita non limis aut vitiatis, sed rectis & æquis oculis intueamur: deinde, uti de nobis non superbè aut arroganter, sed humiliter & modestè sentiamus. Sic enim fiet, ut cedamus meliora monentibus, nec amore nostri, vel odio cujusquam rerum gerendarum occasionem corrumpamus, aut elabi patiamur. Et videamur sanè quandoque causas alteri concedendi non habere, pares videlicet omni virtutum respectu & cõmendatione; tamen cogitemus, semper laudatum fuisse, qui ultrò cessit, præ illo, qui durior obniti maluit: Quam in rem non possum quin illustrem ex C. Julio Cæsare referam historiam de T. Pulfio, & L. Vareno Centurionibus in castris Qu. Ciceronis adversus Nervios: qui duo fortissimi viri, cum diu admodum de loco summis simultatibus contendissent, tandem cedentes sibi invicem, mutuis auxiliis in pugnâ ostendere cœpêre, uter bello & virtute potior esset, privatisq; simultatibus Reipubl. condonatis, æternam à tanto scriptore, nominis famam retulere præmium. Quos non minori gloria imitati sunt deinceps alii, & bello & pace viri spectatissimi, ultrò privatas injurias publicæ tranquillitati condonantes, in quorum numero magnum illum eloquentiæ principem M. Tullium Ciceronem lubentes meritò collocamus. Ho-

mus. Horum igitur exempla in oculis & animis habeamus, certemusq; inter nos, non injuriis, conviciis aut maledictis, sed, quod Tacitus de Julio Agricolâ ejusq; uxore scribit, invicem anteponendo. Ea enim præclarissima & duplex victoria sapientissimis viris visa est, seipsum cupiditatesq; suas ratione, & aliis officiis atque benevolentia vincere & superare, neque eò contendentibus deerit famæ virtutisq; præconium, sed reipsa & eventu comperiemus, Quam commoda cedere res sit. *DIXI.*

ORATIO TERTIÆ CLASSIS, RECITATA à MAURICIO BUCHNER, Spirensi.

NUmum istum, quo me amplissimorum hujus Academiæ Curatorum liberalitas donavit, Magnifice D. Rector, hâc formâ percussum video: Vultur est in aëre volans & columbam unguibus comprehensam & captam deplumans & devorans, cum hâc inscriptione: MINOR ESCA MAJORIS. *Hoc quid significetur, obscurum non est. Enimverò hæc naturæ quodammodo vox est, infirmiora esse prædam validiorum. Apparet hoc cùm in reliquo genere animalium; tùm præsertim in homine. Illa in aëre, terrâ, aquâ grassantur, in congeneres sibi species, quas infirmitas obnoxias injuriæ fecit. Pisces sic sæpè minutos magnus comest, sic aves enecat accipiter! Exclamat alicubi Varro. Idem loquuntur proverbia illa: Draconem non fieri, nisi multis devoratis serpentibus. Et quod in Italico est: Piscium majoribus minores*

nores pro escâ nasci. Posset hoc in singulis ferè speciebus ostendi: sed temporis habenda ratio est, & paucula duntaxat delibanda. Regina igitur illa volucrum poëtis dicta aquila, adeò non parcit infirmiori generi avium, ut testante Aristotele, vasti illi tractus sint, in quibus aquilæ nidos faciunt, quod longè lateq; omnia populentur. Jam generis accipitrini, milvorum, vulturum, & hoc genus rapacium notior est in reliquas aves sævitia, quàm ut à me debeat prædicari. Illud potius mireris, etiam imbelles avium, quæque ipsæ prædæ sint aliis, præda victitare. Sic namque hirundines ab alveis apium arcet Poëtarum summus:

Omnia quod latè vastent, ipsasq; volantes
Ore ferant, dulcem nidis immitibus escam.

De terrestribus verò animalibus quid dicemus? An illud poëtæ: Cognatis maculis parcit fera? Minimè verò: Nam & tigrin & pantheram nulli parcere, satis constat: sed neque dracones. Visus est & leo à leone discerpi: & in magnâ fame lupum à lupo devorari, proverbio credimus. Jam bufones à serpentibus absumi, fama est: cum ipsi serpentes sint cibus draconum. Quæ cum ita sint: tamen præ omnibus aliis prædicanda est crudelitas aquatilium, in se mutuò grassantium. Unde pulcherrimorum versuum occasio nata est Oppiano, quorum initium.

Ιχθύσι δ' ἔτι δίκη μεταείθμιος, ἔτί τις αἰδὼς,
ὁ Φιλότης.

Certè hæc causa à multitudine parvorum piscium obsideri facit littora, quod, ut quidam lepidè ait, marinorum Cleonum atque Theonum fugiant immanitatem.

Perstrinxi quàm paucissimis de animalibus: Homo enim jam dudum ad se vocat, & quodammodo absorbet orationem meam. Quodnam igitur animal æquè sui generis animalibus perniciosum vivit, atque homo homini? Non jam Caribas aut Canibolas loquar, infandis pastos epulis. Ea, quæ sibi in homines edere facinora, eminentissimi illustrissimiq; hominũ laudi gloriæq; duxerunt, expromam. Quænam igitur sunt Cyri? Quænam Alexandri? quænam Cæsaris laudes? Quidnam de seipsis prædicant Athenienses apud Thucydidem l. 5. Meliùs absque causâ bellum inferentes? Quidnam apud Plutarchum in Camillo Brennus, Dux Gallorum ingerit Romanorum Legatis? Hoc nempè sentiunt omnes, hoc profitentur & prædicant, legem natu-

ræ au-

turæ antiquissimam esse, Diis, hominibus ac feris communem, quæ ignavorum res largiatur fortibus: hanc autem legem se suosq; alieno invadendo sequi. Scimus ne igitur, quanta bellua sit bellum, quod istos voti sui compotes fecit? Annon hoc omnium immanitatum, omnium diritatum, quæ toto orbe à dirissimis atque inmanissimis animalibus perpetrantur, epitome & farrago est? Atquè ut Cyri, Alexandri, Hannibalis & similium virtus eniteſcat, ut pueris placeant, & declamatio fiat: excitabitur bellum, interibunt tot hominum myriades, tot urbes hauriet incendium, tantum agrorum vastitas occupabit. Unde hos, quos dixi, non minores fuisse pestes animalium, quàm inundationem, quâ planum omne perfusum est: quàm conflagrationem, quâ magna pars animantium exaruit, alicubi scribit Seneca. En quàm vera vox emissa C. Julio Cæsari apud Lucanum: Humanum paucis vivit genus. *Tu certè, Cai Cæsar, id reipsa comprobâsti: qui quanta clades calamitasq; humani generis fueris, ex tua confessione discimus, quæ apud Plinium lib. 7. c. 25. undecies centena, & nonaginta duo millia hominum à te occisa præliis gloriaris: atque ita, ut in hanc rationem non veniat strages civilium bellorum. Eant nunc veteres illi Germani (quibus & ipsis jus in viribus, ut scribit Pomponius Mela) maximæq; sibi laudi ducant, quàm latissimas circum se vastatis finibus solitudines habere. Glorientur etiam hodie Turcæ, ubicunque sui Imperatoris equus posuerit vestigia: ibi post deinde nunquam gramen pervenire. Quantula hæc sunt ad strages, ad cladem, ad vastitatem, quam unus homo intra paucos annos toto orbe effecit?*

Terrarum fatale malum fulmenq; quod omnes
Percuteret populos:

ut de pari & simili ipsius Alexandro canit idem Lucanus: Videmus igitur singulorum hominum non singulos homines prædam, sed singulorum propè universos.

Quid nunc deinceps pacis latrocinia edissertem? Cleonum auream messem, vulturum togatorum crumenimulgas, rusticovoras linguas, injurias potentum, raptus divitum? Pudet, pigetq; humani generis, pudet. Sed omnia huc pertinentia paucis his versibus complexus est Vir quidam summus:

Injuria jus. Hæc, Scythico scita furore:
Hæc Bistonii fulgure lex sacrata ferri.

Hanc

Hanc Roma vetus jam coluit: id adeò, ut ab ipso
Latrone genus ducere se Marte putaret.
Hæc fata canit Tamesis: hæc fata Choaspes,
Tagus, Eridanus, Rhodanus, Nilus, Ister, Indus.
Grassatur ita hæc rabies, multa possidendi:
Et quàm plurimum ut habeas, plurimum tibi fas, &c.

DIXI.

ORATIO QUARTÆ CLASSIS, RECITATA PER JOHANNEM-CHRISTOPHORUM AB EYB, Francum.



TV quidem commilito chariſſime, myſorum prædam (quod dicitur) videris facere humanum genus. Quòd ſi omninò ita eſſet, quàm præſtaret, aut naſci nunquam, aut natum citò morte potiri, quàm perpetuò velut ſub cultro vivere, viliſſimum ac facilimum cuicunque validiori ſanguinem? Sed me in tantis malis unicè recreat, reficitq́; Iris hæc cæleſtis, qua in iſto numiſmate civitatem intueor circumdari. Ea enim mihi ante oculos ponit divinum fœdus, curamq́; ſalutis noſtræ apud Deum excubare oſtendit. Ut igitur homines poſt diluvium hoc arcu in nubibus viſo, ſi quando imbres vehementiores ruerent, animum recentis mali formidine percuſſum erigebant, memores fœderis, inter Deum & Noë hoc ſigno ſanciti: ſic & nos divino fœdere freti, plurimisq́; immenſæ Dei boni-

tatis argumentis, signisq; innixi, à nimbis malorum undiq; imminentium tutos nos fore confidimus. Hic est enim Deus, qui ex faucibus leonum Danielem, qui ejus socios ex ardenti fornace Babylonis eripuit: qui Hiskiam regem, populumq; Judaicum, Assyrii belli jam jam fluctibus obruendos, mirabiliter servavit, Senacheribo hosti tanquam frenis furoris injectis, eoq; domum regredi cum maximâ clade & ignominia coacto. Hic est Deus, cui cœlum & elementa in usum piorum serviunt: qui Solem stare jussit, nec ante se abdere, quàm Josua vindictam de impiis sumsisset. Hujus Dei opem implorans Moses, populum Israëlis per mare rubrum sicco pede traduxit: ad hunc Deum precibus fusis Christiani, qui erant in exercitu Marci Antonini, fulmen contra hostium machinamenta extorserunt, suis pluviâ impetratâ, cum siti laborarent. Dies, imò vita me ante deficiat, quàm omnia recensea divinæ opis exempla. Cur igitur animis deficiamus? Cur non, quantovis circumstante periculo sub umbra altissimi tutos nos fore confidamus? Legimus Hieronem, regem Syracusanorum, cum ad Romani nominis umbraculum applicuisset, reliquam ætatem in regno securum exegisse. Atqui ille profectò (ut dicto Imperatoris Hadriani utar) in caducum se inclinârat parietem. Quàm propè enim à lapsu abfuerit res Romana, ipso adhuc vivente, scimus. Et sic omnes, qui confidunt in filiis hominum, in quibus, ut David cecinit, non est salus. At nos Dei præsidio nixi, inconcussi stabimus. Quod si undique malorum procellæ circumstrepant, tamen quo plus est periculi, plus etiam divinâ ope fretos esse oportet veros Christianos, atque illud seriò imbibere: Tunc præcipuum votorum locum esse, cum spei nullus est.

DIXI.

PANE-

PANEGYRIS XXXV.

Anni 1611.

SUB RECTORATU D. D. SCIPIONIS GENTILIS, JC.

INVITATIO AMPLISSIMI SENATUS NORIBERGENSIS,

RECITATA à GEORGIO GEBHARTO, NORIBERGENSI.

Εὐγενέσατοι καὶ φρονιμώτατοι βουλευταὶ, κύριοι σεβάσμιοι. Πρὸ ὀλίγων ἡμερῶν, οἱ τῶν Ακαδημίαν τῶν Νωρικὴν διέποντες, δοκιμασίαν ἔλαβον τῶν ἐλευθέρων παίδων, καὶ αὐτόπται ἐγένοντο καὶ αὐτήκοοι τῆς τότων μαθήσεως. ἔυρον δ' ἐνίους, οἵτινες ἠγάπησαν μᾶλλον τῶν ἐργηγορσιν ἢ τὸν ὕπνον, καὶ ἀντὶ τοῦ σχολάζειν εἵλοντο ἀπραδάζειν, καὶ πεάξεις ἐνεργὸς ἀντὶ τῶν ἑορτῶν ἐδίωξαν, καὶ τελείσην ἐπίσησαν τῶν ἐπιμέλειαν, ὅπως τῶν ἀρετῶν τε καὶ τὴν παιδείαν ἐφόδιον εἰς τὰ γήρας ἀποθῶνται. Καὶ τότες μὲν οἱ ἐφεσηκότες τῇ Ακαδημίᾳ τοῦ τὰ δημόσια βραβεῖα λαμβάνειν, καὶ εἰς ἀνωτέρας φυλὰς ἐγγεγράφεσθαι ἀξίους ἐνόμισαν. τὴν δὲ μεγαλοπρέπειαν ὑμῶν, καὶ πάντας τῆς βουλῆς Νωρικῆς πρωτεύοντας ἀνθυβολῶσι, τῇ ἡμέρᾳ τοῖς δυσὶν Αποστόλοις Πέτρῳ τε καὶ Παύλῳ ἱερᾷ. ἥκοις ἡμᾶς ἔρχεσθαι, καὶ ἐν τῷ βραβευτηρίῳ τῶν ὑμῶν, ἅις οἱ φιλομαθεῖς νεανίσκοι ὑμῶνται, ἐυμνησάτους εἶναι θεατάς.

ἡ γὰρ τοῦ ἀξιώματος ὑμῶν παρουσία μέρος οὐκ ἐλαχίστην συμβαλεῖται πρὸς τὸ τοὺς νέους ὁρμητικωτέρους ἀπεργάζεσθαι πρὸς τὰ κάλλιστα τῶν ἐπιτηδευμάτων. τὸν αὐτὸν γὰρ τρόπον ὥσπερ εὐκρασία καὶ λεπτότης τοῦ περιέχοντος ἀέρος εὐφορείαν ποιεῖ καρπῶν: οὕτως εὐμένεια καὶ ὑμὴ, καὶ φιλανθρωπία δυνατῶν, αὔξησιν τεχνῶν καὶ φύσεων ἐκκαλεῖται ἀγαθῶν. ἀσκεῖται γὰρ ἀεὶ τὸ ὑμώμενον. ἀ-

μελεῖτε ἢ τὸ ἀλυμαζόμενον, ὡς πλάτων ὁ σοφὸς ἔλεγεν. Αμα τοίνυν οἱ στρατέται καὶ διδάσκαλοι ἡμῶν, ἅμα δ' ἡμεῖς πολλὰς ἔχομεν ἐλπίδας, ὑμᾶς ὦ ἄνδρες λαμπρότατοί τε καὶ Φρονιμώτατοι, κατὰ τὸ παλαιὸν ἔθος τῇ πανηγύρει τῆς Ακαδημίας παρέσεσθαι, καὶ τὴν εὔνοιαν, ἣν τοῖς πεπαιδευμένοις ἕως ἄρτι παρείχετε, καὶ εἰς τὸν ὕστερον χρόνον διαφυλάξειν. ταύτης δὲ τῆς ἐλπίδος ἕνεκα ὑμῶν λειφθήσης ἵνα μὴ ἀποτυχήσαντες ὦμεν, πολλὰς ποιήσεσθαι δεήσεις.

INVITATIO ALIA EODEM ANNO RECITATA PER

CAROLUM-CHRISTOPHORUM SIGISMUNDUM Pelckhover, Palatinum.

A Præceptoribus meis, Patres conscripti, aliisque viris, qui operæ precium quoddam in literarum studiis fecerunt, aliquoties audivi, præclaros bellorum duces, militum animos inertes, præsentissimo hoc remedio ad alacritatem & fortitudinem capessendam exstimulasse, quando militibus prælium jam inituris, certa præmia extra ordinem etiam promiserint, & devicto hoste largiter distribuerint. Præmiorum enim illorum dulcedine illecti, nihil magis pensi habuerunt, quàm qua ratione, superato hoste, victoriam insignem reportare possent. Dicebant porro viri docti de hac re differentes, Julium Cæsarem Imperatorem illum summum, cujus victorias, Cicerone teste, nemo numerare potuit, id imprimis observasse. Libro enim 8. de bello Gallico, militibus suis adversus Bituriges, Gallorum populos decertantibus, pro labore ac patientia, qui brumalibus diebus, itineribus difficilimis, frigoribus intollerandis, studiosissimè permanserant in labore; iis dico militibus ducenos sestertios: Centurionibus vero duo millia numûm pollicitus est, & paulò post numeravit. Idem etiam fecit bellum in Africa gerens, testantibus id commentariis ipsius lib. 5. Idem factitatum à Labieno Cæsaris legato, qui Imperatoris sui vestigia premens, in exstimulandis militum suorum animis, eodem remedio usus fuit, & quidem feliciter adversus Induciomarum Gallorum ducem, libr. 5. de bello Gallico. Hujusce consuetudinis fructum & successum felicem cum animadverterent duces illi, qui non in castris, sub tentoriis extra urbes & castel-

& castella viventes, hostes suos præstolantur: sed qui intra mœnia latitantes, & in Scholis atque Academiis adversus insciti am & barbariem bella gerunt, magnoq; conatu discipulorum suorum animos rudes & barbaros efformant, artium ac linguarum præcepta instillant: hi inquam militiæ literariæ duces, sapienti quoque consilio discipulis suis strenuè pugnantibus, certa laborum præmia constituerunt, quorum dulcedine illecti, eò alacrius in literarum studiis progrederentur. Et cum hisce diebus, Patres conscripti, Academiæ vestræ Rector Magnificus qui summum in militiâ illâ literariâ imperium tenet, una cum suis adjunctis legatis & capitaneis, discipulorum classicorum progressus sedulò exploraverit, & non paucos deprehenderit, egregiè in studiorum curriculo desudasse, & progressus non exiguos fecisse; ac proinde dignos, qui ad altiores classes ascenderent, atque in conspectu clarissimorum & doctissimorum virorum testimonium publicum suæ industriæ, non sine aliqua remuneratione laborum suorum aufferrent: Quapropter Academiæ vestræ Rector Magnificus & cæteri præsides à vobis, Patres conscripti, summis precibus studiisq; contendunt, rogantq; Amplissimum & Inclytum hujus Urbis Senatum, ut ad diem hujus mensis penultimum, Divis Apostolis Petro & Paulo consecratum, nonnulli ex optimatum numero haud gravatim compareant, promotioni classicorum intersint, atque per honorifica sua præsentia, non modo curam animumq; paternum erga Academiam suam & Viros literatos testentur: verùm etiam nobis ac commilitonibus nostris calcar adiiciant, ut in posterum quoque, tàm temporis quàm sumptuum rationem habentes, nullis laboribus parcamus, ad altiora contendamus, usque dum tandem studiorum nostrorum scopum consecuti fuerimus.

Eam spem, Patres conscripti, concipiunt Academiæ vestræ præsides, vos haud gravatim id facturos, pro præclarâ virtutum vestrarum indole, quæ quasi è sublimi specula quadam omnibus sese ostendit: tum pro vestra benignitate, & innata erga literarum studiosos propensione, quæ in vobis ita elucet, ut ad hanc virtutem, ipsam naturam vos genuisse, fortunam servasse, multi mecum deprehenderint. Nos dico etiam, sicut & commilitones cæteri, non modo hanc benevolentiam nobis exhibitam, sed etiam munificentiam & liberalitatem vestram animo grato agnoscentes, quibuscunq; in terris victuri simus, eam ore linguisq; prædicabimus & extollemus,

In freta dum fluvii current: dum montibus umbræ
Lustrabunt convexa: Polus dum sidera pascet.

DIXI.

ORATIO PRIMÆ CLASSIS, RECITATA à CHRISTOPHORO RÔTTINGER, Nôrdlingano.



ME quidem tibi dicto audientem esse verum est, Magnifice D. Rector, sed ab eo quod mones, hujus numismatis facies non parum deterret. Ea enim ad silentium mihi præit, quò sua sponte pudor meus ac verecundia, imbecillitatis suæ conscia, aurigatur atque ducit. Itaque paulò antè intra me ipsum volvebam: Egóne in conspectu tam præclaro, tam splendida corona, qua cinctum me video, homo adolescentulus verba faciam? non os concurret? non oculis caligo offundetur? non denique ipsa intra fauces, veluti vox vincta obstupescet? Sed cum hinc parendi necessitas, hinc Amplissimorum ac Nobilissimorum Academiæ curatorum liberalitas evibraret, excitaretq; animum: collegi me vix tandem, sed tamen collegi, & ad hoc numisma respectum retuli: in quo quidem video Alexandrum Magnum Hephæstioni amicorum principi, omniumq; secretorum arbitro, annulo signatorio os obsignantem: cum hac inscriptione: CONSILII ANIMA SILENTIUM. *Nota est historia ex Plutarcho & aliis. Cum enim aliquando literas, ex Macedonia à matre Olympiade allatas, arcana quædam*

quædam continentes legeret Alexander: hærentem lateri Hephæstionem, unaq; lectitantem non prohibuit, sed annulum digitis suis detractum labiis ejus impressit. Non id abs re profecto. Rerum enim administrandarum optimum ac tutissimum vinculum esse silentium, quis ignorat? Absque quo foret, quotaquæq; vel pacis vel belli tempore res commodè expediri, feliciterq; ad finem perduci queat. Enimverò si resciverint inimici consilium tuum, tuoptè tibi consilio occludent linguam, & constringent manus: atque eadem, quæ illis voluisti facere, facient tibi: ut non minus verè quàm lepidè Plautus, sed & Euripides sapienter in Tragœdia Ino: ne quis, inquit, resciscat, quæ silentio supprimenda sunt. Parvâ enim faculâ Idæ cacumen incenderit quispiam: & si quid vel uni aliquando aperueris, id omnes audient cives, quod celandum fuerat. Et possent ejus rei perplurima afferri exempla, nisi hunc laborem compendifacere juberet Plutarchus: cujus liber περὶ ἀδολεσχίας totus ex hoc genus historiolis contextus est. Præclarè igitur Polybius, qui historiæ suæ libro nono percensens omnia rerum gerendarum adminicula, non dubitat ex omnibus dare primatum silentio. Nec sine causa Persæ, apud quos testante Curtio, vetus disciplina regum silentium vitæ periculo sanxerat. Optimèq; Antigonus, qui exquirente filio, quando castra moturus, quid tu, inquit, anverereris, ne solus tubam non audias? Nec minus cordatè Metellus, qui simile quippiam interrogatus in expeditione, si hanc, inquit, tunicam arcani istius arbitrarer conscium, exutam in ignem coniicerem. Hæc talia ut meritò laudibus feruntur, ita rectè vituperantur, qui priusquam necesse sit, negotiorum arcana cum multitudine communicant, quos quidem vanitatis ac dementiæ non dubitat increpare Onosander cap. 10. Strategici. Jam quis non aversetur illum apud Sophoclem, qui suam ipsius ita fatetur turpitudinem: ne mihi arcanum enuncies ullum: feram enim nullam habeo, vel ut melius intelligas, nihil non secreti per meam linguam diffluit. En quem cum Papirio Prætextato, cujus historia vulgo ex Agellio & Macrobio nota est, in curiam tecum introducas, in curiam, inquam, Romanam, quàm fidum & altum Reipub. pectus, silentiiq; salubritate munitum undiq; & vallatum, prædicat Valerius. O præclaram laudem, at contra insignem labem ac turpitudinem illorum aulicorum, quos in Nabidis Lacedæmoniorum tyranni regia (utinam ne alibi quoque) vanis ut ad cæteram fidem, sic ad arcana tegenda ingeniis commemorat Livius. Nos vero cum Anaxandrida eum, qui commissum sibi

sum sibi tanquam depositum sermonem evulgat, aut injustum judicemus, aut oppidò quam incontinentem. Quamvis enim à vero non abhorreat illud Socratis, carbonem vivum facilius lingua contineri, quàm sermonem arcanum; tamen hoc naturæ vitium assidua taciturnitatis meditatione fructuumq́, qui inde suavissimi uberrimiq́ proveniunt, cogitatione expugnandum est. Quod ipsum innuentes Romani, simulacrum Angeronæ Deæ silentii præsidis, ore obligato atque signato in ara Volupiæ, ut est apud Macrobium, collocarunt, ut silentii beneficio, ad voluptatem perveniri maximã ostenderent. Sed desino pluribus silentiũ sive taciturnitatem cõmendare, atq; ea, quæ dixi, claudo atque obsigno sapientia Socratis, qui discipulis suis ingerere solitus, ut tria in omni vita primas ducerent. In animo prudentiam; in vultu verecundiam; & in lingua silentium. DIXI.

ORATIO SECUNDÆ CLASSIS, RECITATA à GENEROSO DOMINO FERDINANDO Lipstensi, Barone de Colovvrad, Bohemo.



Æqualem & commilitonem meum, Rector Magnifice, perturbabat sui brabei imago: quod silentium ei suadere videretur. Me vero multo gravius percellit imago & epigraphe mei. Nam quid ego Adolescens de Prudentia in hoc prudentissimorum hominum consessu possim? Quia tamen illi parêre tuæ Magnificentiæ jussui potius visum: nihil ei de-

parendi

parendi gloria concedam ipse quoque. Video autem in hoc donario meo Noctuam, seu Palladis avem, urnæ seu vasi, quo judicum calculi & suffragia apud Athenienses colligebantur, jacenti, eaque effundenti, cui inscriptum χάλκεια: *insistentem cum hac epigraphe:* PRUDENTIA CONSTANS. *Noctuam Palladi sacram avem, hanc vero Athenienſium præsidem, in vulgus notum est. Inter aves autem sani Noctua consilii, Prudentiæ symbolum est: credo propter perspicaciam ejus, qua in tenebris ipsis, oculorum acie cuncta rimatur. Tacco, quæ alia de noctuæ prudentia narrat Divus Chrysostomus Oration. Olympic. XII. Hanc Prudentiam vult emblema nostrum constantem esse, nec ab uno in aliud temerè ferri. Cujus rei ratio videtur hæc dari posse: quod levitas in mutandis sententiis infirmitatem arguit judicii: & sic auctoritatem statuentis prostituit. Fatetur enim tacitè, qui mutat, non provisum abs se satis initio: aut lapsum esse judicio: qua re demitur auctoritas decretis. Quis enim standum valde censeat iis, quæ cras fortasse mutabuntur? Quam rem tanti censuit divinus Aristoteles, ut omnibus, quæ in contrarium dici posse viderentur, antepoſuerit. Ennius etiam Romanorum doctissimus salutem & incrementum Reipub. Romanæ constituit in hoc, quod moribus & antiquis studiis viverent, masculo illo versu:*

Moribus antiquis stat res romana, virisque.

Pausanias item interroganti cuidam, cur antiquis decretis insisterent Spartani? cordatè respondit: Quia videlicet intelligunt, leges viris, non viros legibus dominari debere. Athenienſibus contra leviusculis circa hanc rem, gravissimè exprobrat apud Thucydidem lib. 3. Cleo Demagogus: Omnium gravissimum, inquit, est, nihil apud nos eorum, quæ semel decreta sunt, firmum manere: quos ignorare non oportuerat, melius agi cum ea civitate, quæ legibus, deterioribus illis quidem, sed firmis & immutatis utatur, quàm quæ melioribus & irritis. Non ignorarunt hoc Locrenses: qui ut levitati huic perniciosæ occurrerent, laqueum indidêre novam roganti legem, quo periret, si displiceret, quod moliretur. Utinam hoc faceret Germania nostra quoque, nec tam præceps ad mutandum esset, quàm ad statuendum. Faxim rectius se res nostræ habeant. Augustissimus Imperator Carolus Quintus laudatissimæ memoriæ, Comitia Imperii viperis assimilabat. Ut enim, (inquit) istæ matres: ita decreta posteriora devorant & absorbent priora. Qui idem calamitosissimo bello Germanico isto facile vidit, Prudentiam constan-

tem *mox hostibus suis defore. Quod si in civilibus inconstantia tot parit incommoda: cogitate mihi nunc, Auditores, quid ea secum invehat levitas, quæ in Dei sensum ac cultum peccat. Non facilè aut tutò se corpus suum committere posse iis, censebat Imperator quidam, qui à Deo suo deficere nihil veriti essent. Quid tu quæso cõmittas rectè illis, qui cum Principe transcunt ad religiones: haud aliter quàm lictores ad novos magistratus. Caveamus igitur, Auditores, malum hoc, quavis hydra fertilius. Et primum quidem maturo consilio res deliberemus, nec præcipiti rapiamur affectu. Postquam verò quid constitutum est, constanter tueamur, nec vana levitate mutemus. Id quod sapientissimus Philosophus paucis, sed auro contra charis, servandisq; verbis complexus est: δεῖ βεβαίως ἐγχειρεῖν τῇς πεπαυμένοις, ὃ δ' ἂν ἔλῃ, βεβαίως βεβιῶσθαι. Quod latinè pulcerrimè sic redditum: Deliberandum est diu, quod statuendum est semel. Qua veluti gemmula hanc orationem obsigno. DIXI.*

ORATIO TERTIÆ CLASSIS, RECITATA à JODOCO-CHRISTOPHORO KRESS, Patric. Noribergensi.



IN brabeo meo, Rector magnifice, geminum conspicor florem lilii Persici, quod Turci, unde ad nos primum allatum, Tusai, nostri vulgo ob similitudinem quandam coronam imperialem vocant: horum alter maturus expanditur, atque in propriis suis pediculis

pediculis planè deorsum flectitur: alter verò ejusdem speciei flos flaccidum notat eundem, cui mox succedunt magna satis capita, (ut fieri solet in lilio rubro quoque) quæ excusso flore statim sursum eriguntur, ne scilicet si deorsum dehiscerent diutius, semina nondum matura putrescant ac excidant. Additum est lemma: HUMILIS JUVENTUS, SUPERBA SENECTUS, *hoc est, honorata & in auctoritate constituta. Utroq; sanè, hoc est, imagine & lemmate, modestia nobis commendatur, Adolescentes optimi, & additur efficax & cogens ratio, fructus videlicet juvenilis modestiæ, qui est glorioſa & honorata senectus: nec sine re præcipitur modestia nobis & humilitas; nam quod Sallustius in Jugurtha nobilitati imputat, contemptorem animum & superbiam commune nobilitatis malum esse, id verissimè de omni adolescentia dici hodiè potest, dictumq; jam est olim ab Aristotele Philosophorum aquilâ in Rhetoricis, & à sapientiæ recondita Poëta Theognide, cujus verba cognoscite:* ἥδη, *inquit,* καὶ νεότης διαφθείρει νόον ἀνδρὸς. *Hunc tumorem & hoc fermentum eximere nobis brabeum postulat: Nihil enim boni consequi eum potest, ad temeritatem quippe ducit, & moderabile nihil suadet, unde & præcipites hujuscemodi ferri necesse est dum juvenes sunt, vel ingloriam agere senectutem: Absolonem quid perdidit? Quid Catilinam juvenes? tumor scilicet & regnandi cupido, quodque imperium habere, quàm expectare mallent. Quid præcipitavit alios innumeros, & cum summa spirarent, ad infima dejecit? ambitio illa & fastus, quæ tot principatus, tot regna, tot imperia fregit, & ex fundamento veluti evertit. Rectius Poëta antiquus, optimi Adolescentes: Nulla usquam humilitas ingenium infirmavit bonum, quin, ut signum est melioris animi, ita verè est mater gloriæ, nec temere dictum in vita Pomponii Attici: Suos cuiq; mores fortunam sibi fingere: & apud Quintilian: Eum gloriam veram habiturum tandem, qui ambitiosam illam & emendicatam spreverit. Scitum est Philosophi summi dictum, parendo ad Imperium perveniri: Cogitemus idem nos Adolescentes, & ex Plutarchi monito, ut hedera arbori, ita nos senibus applicemus, eosdem veneremur, colamusq;, & iisdem obsequium, ea qua par est reverentiâ, præstemus. Et sicut qui in Sole ambulant, etiamsi non in id ambulent, colorari tamen necesse est: ita fieri non potest, quin ex conversatione seniorum meliores prudentioresq; reddamur. Meliores, quippe quorum vitam cupiditatibus liberam & adfectibus solutam imitari discimus, quique ante eramus τοῖς πά-*

ἥσιν ἀνηλγητικοὶ, *discimus* σωφρόνως ζῆν καὶ καρτερικῶς, *ut loquitur in Ethicis Aristoteles. Prudentiores, quia senectus usu rerum & experientia valet, & cum Euripide* τὸ γῆρας τῶν νεωτέρων φρενῶν σοφώτερον πέφυκε καὶ ἀσφαλέστερον, *juvenes autem plerumque utilium tardi provisores, & natant potius sententiis, quàm consistunt. Quod si fiet, ne dubitemus honoratam quoque fore nostram senectutem, omnibus enim temporibus opus est consiliis salutaribus, quæ nunquam deerunt nobis, si ad hunc modum vitam instituerimus, & artem parendi rectè didicerimus, si modestiæ, quàm Plautus latinæ mundiciæ Venus, virtutis modum eleganter appellat, studuerimus: sic consequemur tandem apicem senectutis, quem Cicero non minus doctè quàm verè facit auctoritatem. Denique per angusta ad augusta pulcherrimo progrediendi modo deveniemus.* DIXI.

ORATIO QUARTÆ CLASSIS, RECITATA à CHRISTOPHORO DERRER, Patricio Noribergensi.

LEporem in hoc numismate venor oculis, Magnifice Domine Rector, quem canis venaticus seu vertagus prostratum pedibus premit, cum hac inscriptione: GLORIA FINIS. *Enimvero pulchram hic humano generi facem allucet natura, cùm bestias etiam eo se ingenio finxisse ostendit, ut ultra victoriam non sæviant. Sic namque secundum Poëtam,* Corpo-

Corpora magnanimo satis est prostrasse leoni:
Pugna suum finem, quòd jacet hostis, habet.

Sed & canum generosissimus quisque hac ipsa vivit indole. Hinc Martialis:

Non sibi, sed Domino, venator vertagus acer.
Illæsum leporem qui tibi dente feret.

Ecquid igitur hominem non pudeat, immitiorem esse bestiis? At pulchrum est vincere hostes, stantes quidem adhuc præliis, collapsos beneficentiâ, inquit Rex magnus ab Æthiopia, Heliodori libr. 9. Et hunc animum, hanc indolem veterum passim, quâ dicta, quâ facta spirant: inprimis Alexandri Magni, quem non tam victoriæ cursibus peragratus oriens, quàm clementiæ radiis illustratus orbis, Macedoniæ suæ sidus ac columen fecit. Enimvero quis non aliquid hauriat ex hac verborum indole, quæ is apud Q. Curtium libr. 8. in hunc modum, regio planè & animo & vultu profert? At enim Persæ, quos vicimus, in magno honore sunt? Apud me quidem moderationis meæ certissimum indicium est, quod ne victis quidem superbè impero. Veni enim in Asiam, non ut funditus everterem gentes, nec ut dimidiam partem terrarum solitudinem facerem: sed ut illos quoque, quos bello subegissem, victoriæ meæ non pœniteret. Macte hac animi benignissimi celsitudine Alexander, cujus lux, fallor, an etiam barbaro illi regi oborta est, qui Cassiodori lib. 3. Var. Epist. 43. tuis verbis velati succinens: aliorum forte regum (inquit) prælia captorum civitatum aut prædas appetunt, aut ruinas: nobis propositum est, Deo juvante sic vincere, ut subjecti se doleant nostrum dominium tardius acquisiisse. O pulchras! ô regias voces! Hæc ô principes imitamini: hæc concupiscite, non devictorũ sanguinem, non prædã, ac spolia pauperum: non per illos in Græcia quidẽ, Antigonos, Philippos, Ptolomæos, Thrasybulos, Aratos: apud Romanos vero, Romulos, Camillos, Scipiones, Cæsares, innumerabiles alios, quos omnes non tàm victoriæ suæ, quàm clementia ac benignitas post victorias illustrarunt: Sed quid multis? Victoria clementer uti scire, longè quàm ipsum vincere satius esse, quis nescit? Quod quidem Hermodori apud Diodorum Siculum lib. 13. dictum sapiens, omnium seculorum veritas comprobavit. DIXI.

XXXVI. PANEGYRIS,
Anni 1612.

SUB RECTORATU D.D.
CASPARI HOFMANNI
MEDICI.

ORATIO PRIMÆ CLASSIS,
RECITATA PER JOHANNEM ONUPHRIUM HINDERHOFERN, Noribergenſem.



VIsne autem, Magnifice Domine Rector, ut ego adoleſcens purpuræ tuæ meum adſuam centunculum? At olim nemo poſt Roſcium fabulam dare, poſt Homerum Iliada canere volebat. Tu quid mandes, videris: ego qui parêre didici, partes officii proſequar: ſi prius abs te petiero, ut mihi ſplendidiſſimum hunc conſeſſum auctoritate tua faventem reddas, & ad audiendum benignè permoveas. Id quod te facturum, me conſecuturum ſpero & opto.

In bra-

In brabeo meo, regem currui insidentem video, vultu in speciem augusto, & totius orbis se Dominum majestate profitentem: eumq; currum trahi non à jugalibus equis, non à leonibus, pardis aut aliis feris: qui mos olim potentiorum ad ostentationem dignitatis fuit: sed novo & insolenti exemplo à devictis quatuor regibus: quorum unus ad rotæ sui lateris circumvolutionem crebrò respectat: aut oculos potius defixos habet & irretortos. Inscriptio imaginem ambit hæc: SIC VARIAT FORTUNA VICES. *Nisi verò me omnia fallunt, Rex ille seu Monarcha currui superbè insidens, Sesostris est Ægyptius, de cujus victoriis & potentia multa Diodorus Siculus in bibliotheca sua: è quibus quæ propriè huc pertinent, audite quæso. Quanquam, inquit, multis & præclaris rebus excelluerit Sesostris: omnium tamen magnificentissimum videtur, quod in profectionibus regis circa principes factitatum. Templum enim vel urbem ingressurus, equos à quadrigis solvere, regesq; quaternos subjugare solebat: Eadem habet Plin. lib. 33. c. 3. Tangit & Lucanus lib. 10. versibus illis:*

Venit ad occasum, mundiq; extrema Sesostris
Qui Pharios currus regum cervicibus egit.

Alteram partem emblematis de rege respiciente rotam, describit Nicephorus Callistus: Priscus (inquit) Mauricii Imperatoris dux cum prohiberetur à Chagano amnem transire, misit ad eum Theodorum medicum, qui placaret. Is ferocientem animum oratione tali lenire cœpit. Audi, inquit, Chagane, veterem narrationem. Sesostris Ægyptiorum rex illustris admodum & felix, successibus suis ferox atque elatus, currum sibi aureum, pellucidis preciosisq; ornatum lapidibus, fieri fecit: in quo considens, quatuor ex devictis regibus currui, qui traherent insidentem, jugo illis imposito, junxit. Quorum unus festo quodam die oculis in rotam continuò conversis, volubilitatem ejus diligentius intuebatur. Interrogatusq; à Sesostre, cur id faceret? respondit: discere se ex illa revolutione rotæ, quæ summa mox ima faceret fortunæ suæ vices: qui cum ante solio regnoq; clarus fuisset, nunc jumenti vicem obiret. Bonum factum facturum Sesostrim, si & ipse fortunam exinde notaret, neque se nimis eidem crederet. Iis verbis permotum Sesostrim reges abjunxisse, & humanius deinceps secum habuisse accepimus. Tu Chagane, quid è re tua sit facere, consilium vel hinc cape. Hæc Nicephorus. Ex quibus nemini obscurum esse puto, quid nos emblema & ἄγαλμα nostrum moneat: de fortunæ

scilicet

scilicet inconstantia & mutabilitate: cujus ingenium vel minimè ignorare celsas fortunas decet. Gravior enim ex alto lapsus est, ut & pulcerrimè Poëta

——celsæ graviore casu
Decidunt turres? feriuntq; summos
fulmina montes.

Unde quanquam in prosperis rebus fragilitatis humanæ oblivio sit frequentissima, ut Plutarchus in Scipione Africano ait: tamen cogitandum etiam atque etiam principi, successibus elato: Cuivis accidere posse, quod cuiquam accidit, *& quod Seneca Tragicus ait: in servitutem cadere de regno, grave esse. Summis autem negatum stare diu: modicis rebus longius ævum esse, adde & tranquillius. Novi equidem delicatis principibus durum esse hæc audire. Sed cogitent per Deum, durius esse, pati ea.*

Eversas *(verò)* numerent urbes regumque ruinas

Ut inquit Manilius:

Inque rogo Crœsum, Priamumq; in littore truncum
Cui nec Troja rogus. Quid Xerxem, majus & ipso
Naufragium pelago, quid captos agmine reges?

Scilicet hodieq;

Fortuna sævo læta negocio
Ludum insolentem ludere pertinax,
Transmittit incertos honores,
Nunc tibi nunc aliis benigna.

Scilicet hodieq; tantum

Constans in levitate sua est.

Humaniter itaque & prudenter Antiochus primum velut in stuporem actus obmutuit: atque ubi ad se rediit, illachrymatus est, cum vinctum prostratumq; coram se Achæum, Andromachi filium, qui filiam Mithridatis in uxorem duxerat Laodicen, universæ regionis Tauri Dominum, videret. Quod cur ab eo factum sit, aperit his verbis gravissimus scriptor Polybius: τοῦτο δ' ἔπαθεν ὁρῶν τὸ δυσφύλακτον καὶ παράλογον τῶν ἐκ τῆς τύχης συμβαινόντων. *Hoc autem illi usu venit, inquit, consideranti, quam inevitabiles, quamque inopinati sint fortunæ casus. Prudenter, dico, Antiochus fecit, qui alieno periculo cavere maluit, quàm experiri proprio: quomodo Crœsus olim*

Lydorum

Lydorum rex, Solonis monito fidem derogans. Erudimini igitur & intelligite, ô principes, quid extimescendum vobis sit. Et si fidem adolescentis verbis derogatis: hæc auribus accipite attentis, non chori Thyesteæ, sed ipsius veritatis dicta:

Vos quibus Rector maris atque terræ,
Jus dedit magnum necis atque vitæ:
Ponite inflatos tumidosque vultus.
Quicquid à vobis minor extimescit,
Major hoc vobis dominus minatur.
Omne sub regno graviore regnum est,
Res Deus nostras celeri citatas
Turbine versat.

DIXI.

ORATIO SECUNDÆ CLASSIS, RECITATA PER WOLFGANGUM ALBERTUM PÔMER, Patricium Norisbergensem.



APud Euripidem in Cyclope tragœdia percunctanti Ulyssi, quod genus hominum sint Cyclopes, responsum datur: νομάδες, ἀνάξιοι δ' ἐδὲν ἀδεὶς ἀδνός. *Quibus verbis poëta graphicè depingit vitam immanem & feram, nullaq; legum aut urbium societate*

devinctam. Enimverò quam hoc genus vitæ natura abhorreat, huic numismati insculpta imago declarat. Ea enim duas Ciconias refert, nidum struentes, cum hac epigraphe: MVTVIS OFFICIIS. Dignum profecto argumentum elegantis conventus auribus, cui pro dignitate exsequendo utinam suppeterent vires! Sed utut ea desint, tamen me tibi, Magnifice Domine Rector, dicto audientem esse oportet. Interim balbutiem meam pueritiæ infirmitas excuset. Ut igitur homines mutuis certemus officiis, ipse primum mundus nobis videtur aures pervellere. In eo enim mutuorum officiorum & propensionem & effectionem cujuscunque generis partibus à summo opifice adjunctam, agnoscunt & docent sapientes. Verum quia hoc cujusmodi sit, pluribus disserere meæ ætatulæ captum longè superat; eò quo me emblema istud vocat, abeo, ad animalia videlicet; à quibus saltem homines non mores discere, pudendum est ipsi. Videmúsne igitur naturalem eorum ad hoc propensionem, ut mas & fœmina conjuncti, sociale vitæ genus amplectantur, quæq; sunt vitæ tuendæ, mutuo adjutorio elaborent? quid est? quod illorum nonnulla genera, congregatione, cœtum quodammodo civitatis imitantur? Ecquis, ecquis erit hominum, qui hic ad naturæ vocem ita obsurdescat, ut non audiat sibi inclamantem: Ego te magis ad societatem, & in mutuum adjutorium generavi, quàm quamvis ciconiam, quamvis apem, quodvis animal gregatim vivens? Cur characteris à me tibi impressi oblitus, humanæ societati mutuisq; officiis renuncias? An non hæc ipsa eloquendi vis soli ex animantibus à me tibi concessa, te admonere potuit, ut ne segregem ageres vitam, eâ facultate præditus, quò nocitura & profutura, alter alteri, demonstratis, quà justi & injusti scientiam inter vos communicatis homines? Atqui si societatem vobis esse colendam mutuam convenit, constat & mutua esse exercenda officia, sine quibus societas constare non potest. Hæc inquam, ac talia natura si vocem accipiat, unicuique nostrum à sese desciscenti increpet. Sed & eodem, quo natura aurigatur summa nos compellit necessitas. Nam quo alio tuti sumus (inquit Romanus sapiens) quam quod mutuis juvamur officiis? Hoc uno instructior vita, contraq; incursiones subitas munitior est beneficiorum commercio. Fac nos singulos: quid sumus? præda animalium, & victimæ, ac facilimus & vilissimus sanguis. Quid quod & utilitates maximæ eodem invitant? An non enim hoc officiorum cõmercio homo quamvis nudus & infirmus, rerum inter animalia potitur? An non hoc mutuo adjutorio,

torio, quasi alteram naturam in rerum natura manus hominum effecerunt? Jam hæc ipsa officiorum societas morborum impetus arcuit, senecluti adminicula prospexit, solatia contra dolores largita est: postremo (quod caput est) adscensum homini in cœlum dedit, dum alter alteri ad pietatem ac virtutem quâ voce, quâ exemplis præluceamus: quo quid præclarius, quid divinius esse potest?

Eja igitur, ingenuæ honestæq; indolis æquales & commilitones, quin & nos hanc, Duce Deo, viam ingredimur, quam natura, necessitas, utilitatesq; maximæ certatim nobis præeunt & commendant? Idem enim ne erremus, à nobis exigitur, quod à natu grandioribus, ut hominibus prosimus. Atque hoc in nostram ætatulam quî cadit? dicat aliquis vestrûm. Si videlicet sacris Virtutis ac Musarum strenuè operati simus. Sic enim utiles nos cæteris efficiemus commune agemus negotium. Quomodo enim, qui se deteriorem facit, non sibi tantummodò nocet, sed etiam omnibus eis, quibus melior factus prodesse potuisset: sic si quis benè de se meretur, hoc ipso aliis prodest, quod illis profuturum parat. Qua quidem Senecæ veluti gemma, hæc, quæ dixi, obsigno. DIXI.

ORATIO TERTIÆ CLASSIS, RECITATA AB ALBERTO PÖMER, Patricio Noribergensi.



EGo verò, Rector Magnifice, ut primum ex manibus tuis Amplissimi Ordinis Dominorum Scholarcharum munus accepi, mox ejusdem contem-

platione oculos; interiori ſenſu, quem pro tenuitate judicii mei inde hauriebam, animum pavi: jamq; tacito quodam convitio vapulabat intra me ſeculi hujus vecordia, an furor, ſorte ſua non contenti, ſed ad altiora quovis modo contendentis: Quis enim hodie (licebit enim credo mihi Boëthii verba mea nunc facere) tam compoſitæ felicitatis eſt, ut non multoties cum ſtatus ſui qualitate rixetur? Hæc jam tacitus mecum muſſabam, cum ecce me loqui tu jubes, Magnifice Domine Rector, in hoc conſeſſu auguſto: Cui quidem tantò parebo lubentius, quantò minus periculi eſt puero, communes ævi perſtringere nævos. In emblemate meo ventum video violentia flaminis ſui proceras arbores ſternere, arundines humiles illæſas agitare. Senſum myſticum præferunt hæc verba: ALTA STERNIT, HUMILIA SPERNIT. *Arrigite huc aures animoſq; gloriæ mancipia, quibusq; Alexandri illud placet;* Unus non ſufficit orbis; *aut Carolinum illud:* Plus ultra: *Perpendite ſodes, quid fortuna vobis paret, quemque cupiditatibus veſtris ſtatuat modum: Ruinam, ruinam, inquam, minatur vobis, & gravem ex alto caſum. Quid ego autem fortunam dico? Deus eſt, qui reſiſtit cupiditatibus veſtris: Deus eſt, qui gradum adverſum vos componit, & conſerta veluti manu depugnare cogitat. Idem humiles corde, & humi reptantes tutos præſtat & illæſos; quandoq; vices mutat, & caſam ſolio, ſolium caſa permutat: Si fidem puero derogatis, audite ſcenicos Philoſophos:*

Minus in parvis fortuna ferit,
inquit Seneca:
Servat placidos obſcura quies,
Præbet ſomnos caſa ſecuros.
Admota ætheriis culmina ſedibus,
Euros excipiunt, excipiunt Notos, *& quæ ibi ſequuntur. Non capit videlicet unquam magnos motus humilis tecti plebeja domus: Circa regna tonat. Eadem è Græcis Apollodorus monuit: Habent, inquit, perampla dona fortunæ metum, periculoq; non carent præluſtria: Nec ulla celſa tuta ſunt mortalibus. Poëtas præter ſcenicos, ſi lubet audire, pro mille dabo unum Claudianum:*

In brevibus *(inquit)* nunquam ſeſe probat Æolus undis:
Nec capit anguſtis Boreæ certamina collis:
Alpes ille quatit, Rhodopeia culmina quaſſat.

Incubuit

Incubuit nunquam cœlestis flamma salutis,
Nec parvi frutices iram meruere Tonantis,
Ingentes quercus, annosas fulminat ornos.

Nec ab his alia Historici, Oratores, ne Theologos dicam, quorum cura omnis in refrenandis immodicis istis cupiditatibus. At pulchrum est emergere, dicis, & jacentem animum erigere, atque ad originem veluti vi & injecta manu vocare: Largior & pugno: Largior, qua mereri benè de plurimis, est animum jacentem excitare: Pugno, si vocas hoc animum erigere, ferocire donis divinitus tibi concessis, insultare Deo, tanquam non acceperis, cum acceperis, supplantare bonos, & vi dolove ad honores, dignitatesq; contendere: Hoc est, quod odit Deus, quod ferre nec vult, nec potest, hujusmodi consiliis resistit, eaque in ipsa herba enecat & obterit. Quanto securius agunt, qui auream tenent mediocritatem, qui Telli illius Athenienſis similes, procul invidia, domi suæ vivunt, & sibi Soloniq; præ Cræso felices dicerentur. Non commemorabo vobis Icaros, non Phaëthontes, non Cræsos, veteris ævi exempla: Non Romanorum Sejanos, Pisanos, Narcissos: circumferte animos per hunc orbem, hoc ævo perlustrate aulas, periodos videbitis miserabiles, & si non monita, exempla vos docebunt: De me ut concludam, verbis id optimi poëtæ faciam.

Stet quicunque volet potens
Aula culmine lubrico.
Me dulcis saturet quies.
Tuta me media vehat
Vita decurrens viâ.
Quicquid excessit modum,
Pendet instabili loco. *DIXI.*

ORATIO QUARTÆ CLASSIS, RECITATA à GEORGIO-CHRISTOPHORO GELLERO, Noribergensi.

Spectandam mihi hoc numisma vestrum, Nobilissimi & Amplissimi Patres, congiarium exhibet Coronã cælitus demissam, cum hac epigraphe: DAT ADIMITQUE DEUS. *Nimirum regna à Deo dari adimiq, isto emblemate significatur. Atq, hoc nobis Christianis exploratum est, qui regum & exortus & interitus à Divino numine pendère, tot historiæ sacræ exemplis docemur. Quis enim Saulẽ? quis eo reprobato, Davidem evexit ad Imperium? Quis capiti Salomonis regium circumdedit decus? Quis hoc in idololatriam prolapso, decem tribus à regno Judæ avulsas dedit Jeroboamo. Quis idem adversus reges idololatras, regem Israëlis constituit Jehu? Quis regno Babylonis, simulq, vita exuit Balthasarem? Benè igitur Imperatores Bizantini, eorumq, æmulatione Franci, titulum* Χριστοῦς, *à Deo coronati, olim usurparunt. Cui consonat hodiernum illud regum ac principum,* Dei Gratia. *Nam, ut pie Rex Gothicus apud Cassiodorum libro decimo Variarum Epist. 31. Quam maximè causa regiæ dignitatis supernis est applicanda judiciis: quia ipse nihilominus ordinavit, cui suos populos parère cognoscit. Sed & verissimè, ad Verum fratrem de Cassio rebellante scribens Marcus Imperator: nam si ei divinitus (inquit) debetur Imperium: non poterimus interficere, etiam si velimus. Scis enim Proavi tui dictum:* Successorem suum nullus occidit. *Quod quidem*

Trajani

Trajani optimi principis dictum sapiens omnis memoriæ veritas comprobavit. Nam ut ad superiora exempla historiæ sacræ redeamus: ecquid in expertum reliquit Saul, ut Davidem successorem tolleret? Quid vitæ Jeroboami nonne imminebat Salomonis potentia formidabilis? Jam ut Astyagis crudelitatem evadat, eoque invito postea regnet, à cane alitur Cyrus. At Romulo, fratriq; Remo, quò sint frustra Amulii conatus, lupina præbentur ubera. Alium Hispanorum feritatem emolliturum regem educant feræ: Servatq; Oceanus, quem avus perditum isset. Adeo (ut ex veri tripode profatur Madaurensis Philosophus) nec consilio prudenti, nec remedio sagaci, divinæ providentiæ fatalis dispositio subverti, vel reformari potest. Id quod intelligens Tyberius, cum de successione ambigeret, tandem consilium, cui impar erat, fato commisit, ut recenset Tacitus libro sexto Annalium. At eidem fato repugnans inferiori ævo Valens Imperator, nihilo secius Theodosium successorem habuit: utut à sese omnes ejus nominis viros primarios putaret extinctos. Præclarè igitur Nicetas Choniates, exponens causas spretæ ab Andronico Comneno de Isaacio Angelo, qui paulò post ipsi vitam & imperium eripuit, admonitionis. Fata enim (inquit) urgebant, & Deus utique illo prudentior erat. Quæ cum ita sint, quin, ut initio dictum est, & ortus & interitus regum & principum sint fatales, dubium esse nemini potest.

DIXI.

PANE-

PANEGYRIS XXXVII.

Anni 1613.

RECTORE D. M. MICHAELE PICCARTO, PHILOSOPHO.

INVITATIO AMPLISSIMI SENATUS NORIBERGENSIS,

RECITATA à WOLFGANGO-ALBERTO PŌMER, Patricio Noribergensi.

Καλῶς ἀγαπᾶτε καὶ σοφῶς, ὦ ἄνδρες ὑπέρτατοι καὶ ἐξοχώτατοι, καθ' ἕκαστον ἔτος ἀνακρίσεις ἐν τῇ ὑμῶν ἀκαδημίᾳ γίνεσθαι, καὶ τὰς διφυεστέρας τῶν μαθητῶν, οἳ πλείω σπεῦδι τῷ ἀρετῷ καὶ τὰς πίνακας αὐγὴν ἔχουσι, εἰς τὰς ἀνωτέρας ἀκροάσεις μεθίστασθαι. Τούτων δ' ἐξετάσεων ἤδη γεγενυιῶν, τῇ σεβάσιοι δημοσίαις καὶ τῇ τῶν Βραβείων ἀγομένῃ ἀποτετραγμένῃ ἡμέρᾳ, νυνὶ μὲν βοηθοῦντος ἐγγὺς ἔσαι, τὸ λαμπροτάτης γερουσίας Νωρικῆς, καὶ τὸ ὑμετέρας μεγαλοπρεπείας, ὡσπερεὶ τῶν τῆς Ακαδημίας ἀρχόντων καὶ προφίων φιλοτιμοτάτων, ἐπιτρέπει τι καὶ σεσοδέχεται τῷ πομπείαν.

Τοιγαροῦν ὦ εὐγενέσατοι καὶ ἐνδοξότατοι βουλευταί, τὸ ὑπεροχῆς ὑμῶν καὶ τὸ συγκλήτου βουλῆς ἀπάσης δέομαι, τῇ ἡμέρᾳ τοῖς δυσὶν ἀποστόλοις Πέτρῳ τε καὶ Παύλῳ καθιερωμένῃ ἐν Αλτορφίῳ ἐπιφανῆναι, καὶ τῷ σχολαστικὴν πανήγυριν τῇ πομπείᾳ ὑμῶν διακοσμῆσαί τι καὶ συνεπιπλέσαι.

Ἔτως γὰρ τὸν ἐξαίρετον ὑμῶν πρὸς τὰς ἐλευθέρας παιδείας ἔρωτα, καὶ τὸν φιλέστερχον πρὸς Ακαδημίαν, ὡς ἀγαπητὸν θυγάτριον, θυμὸν καὶ εὐμένειαν ὑμῶν σαφῶς δηλώσετε. καὶ ἐπαινετῶς μιμήσεσθε ΚΑΡΟΛΟΝ τὸν αὐτοκράτορα, τὸν μέγαν ἐπονομασθέντα. ὃν λέγουσιν ἔτως ἐφηδῆσθαι τῇς σχολαῖς, καὶ τῇς σχολαστικαῖς

τικαῖς ἀσκήσεσιν, ὥστε μὴ μόνον τ Παρισινῆς Ακαδημίας ἄπιτ@ ἐγίνετο κὴ ἡμελωτὴς: ἀλλὰ κὴ τὰς τῶν ἐν διδασκαλείῳ μαθόντων σοφωτὰς πολλάκις ἐζήταζε: κὴ τὰς μὴν ὀκνηρὰς κὴ τὰ δέοντα μὴ πεάτοντας ἐπεμίμνησκε, τί ἂν αὐτῶν ἔργον εἴη: τὰς δ' ἐπιμελεῖς & φιλοπόνους τῶν ἄθλων ἢ βραβείων κὴ ἡμῶν ἠξίου.

Καὶ ἀνὶ τούτου διεγηπήματ@ ὑμῶν κὴ συνεχῆς σοὶς τὴν Ακαδημίαν ἐνοίας, ἅπαντις τὴν ἡμετέραν σπουδήν τε κὴ φιλοπονίαν σοὶ τὰ γράμματα: κὴ διὰ παντὸς δ' εἶκ τὴν ὀφειλομένην ἐπηρεσίαν καὶ θεραπείαν τῷ ὑμῶν ἀξιώματι ἐπισχνέμεθα. καὶ εἰς τὸν ἐπίλοιπον χρόνον τῇ τ ἐπιτροχῆς καὶ φρενήσεως ὑμῶν σοβολῇ τι καὶ πίστει ξύμπαν τὸ φρονιστήριον συνίστεμεν. EIPHKA.

ALIA INVITATIO RECITATA à JOHANNE IMHOF, Patricio Noribergenſi.

PErcelli nonnihil ac perturbari animum meum, verbaq; & ingenium me deficere, ſentio, Viri Nobiliſſimi & Ampliſſimi, dum Orator huc miſſus ſum, & verba mihi apud A. V. facienda ſunt. Nam ſi Theophraſtus Ereſius in Areopago verba faciens obmutuit: Si Herodes Atticus inſignis ille orator coram M. Antonio verba faciens orationis curſum ſiſtere coactus fuit: Quid mirum, ſi in tanta Præſtantiſſimorum Virorum corona, mihi puero metus incutiatur, & verba me deficiant? Solatur me tamen, & animum meum conſternatum rurſus erigit, quod non ſponte mea ad vos venerim; ſed ſuperiorum meorum mandatis morigeratus, huc locorum me contulerim, firmiſſima ſpe fretus, A. V. mihi præbituras aures. Operam ego viciſſim dabo, ut verba in pauca conferens, quàm breviſſimè id, quod mihi injunctum fuit, exequar.

Apparuit rurſus, divino favente numine, tempus illud expectatum, quo pro more in Academia veſtra recepto, à Magnifico Domino Rectore & ipſius adjunctis, progreſſibus diſcipulorum exploratis, gnavi & induſtrii vel ad ſuperiores claſſes, vel ad lectiones publicas, non abſque brabeo, ex liberalitatis veſtræ fonte deſumpto, mittendi ſunt, & in loco quidem publico, atque conſpectu Nobiliſſimorum & Præſtantiſſimorum Virorum, quorum tàm

splendore & festiva acclamatione, quàm vestra munificentia incitati, reliquum studiorum suorum curriculum felicius decurrant, & ultimum eorum scopum tandem consequantur. Sicuti enim generosum equum in stadiis currentem, aut canem aliquem feras insequentem, citatissimo quidem cursu, id quod faciendum illis incumbit, perficere videmus: acclamatione tamen & παπσμῷ hominum accedente, utrumque quàm velocissimè cursum intendere: eodem modo juventus studiosa in literarum studiis arripiendis occupata, & ad literarum scopum magno cum labore consequendum sua sponte incitata, nescio quomodo generosiores impetus mente concipiat, & alacrius in iisdem pergat, si industriam & assiduitatem suam à præstantissimis viris tacita acclamatione & remuneratione quadam laborum suorum probari, & ad altiora suscipienda perficiendaq; se inflammari animadvertat.

Huic actui & renunciationi publicæ cum destinatus sit vicesima nona hujus mensis dies, qui Divis Petro & Paulo sacer est, Academiæ vestræ præsides etiam atque etiam à vobis contendunt, ut nonnulli ex selectissimo Ordine vestro Senatorio, ad prædictum diem haud gravatim compareant, renunciationi publicæ, atque adeo Panegyri intersint, præsentia sua perhonorifica & applausu strenuos atque industrios adolescentum animos ad altiora deinceps suscipienda inflamment: Tardos contra & desides excitent, ut torpore abjecto sedulos imitantes, operæ pretium tandem aliquod in studiis faciant. Quod si à vobis P.C. haud gravatim, ut sperant, impetraverint, patebit vos & Academiam vestram semel magnis sumptibus extructam, non deserere, sed magis magisq; fovere & amplecti velle, & tàm docentium, quàm discentium cœtum vobis maximæ curæ esse, magno id illis argumento erit. Commilitones etiam mei, munificentia vestra inflammati, quanti literarum studia sint æstimanda, deprehendent, & se in æternum multis nominibus vobis obstrictos fatebuntur, in quoscunque etiam mundi angulos devenerint, promptissimum vestrum erga literatos affectum & beni[illegible]
ga se exercitam, apud alios extolle[illegible] Hoca hæc adeu[illegible]
quoque, Æneæ Virgiliani ad
beneficentia vestra dicam
dicturus sum:

O DEUS imp[illegible]
Omnes per [illegible]

Non opis est nostræ grates persolvere dignas.
Dii modo, si qua pios respectant numina, si quid
Usquam justitiæ est, & mens sibi conscia recti:
Præmia digna ferant vobis, cœloque reponant.

DIXI.

ORATIO PRIMÆ CLASSIS,
RECITATA à THEODORICO-JUSTO AUROCHS, Thuringo.



NOn equidem diffiteor, Rector Magnifice, decere nos quid exigis, sed tardum officii tui me fecit oratio; qui enim ipse testatus es, ad hunc Amplissimum consessum posse eum vel disertissimum Oratorem eloquium facere, quomodo me nunc jubes hic docere hominem infantem, & vix per ætatem vernacula balbutientem. Sed fortè aliud abs te exi[illegible] scio, aliud à nobis requiri; itaque harum rerum ego c[illegible] Te [illegible] Recta igitur quo me vocas, progredior: [illegible] tantissimi, animum meum privatæ, & [illegible] æstu sublevate, sit abeunti meum ex[illegible] mina, imaginem præsert, cui inter-venit [illegible] se recipit, domi fovendum & colendum: IMMUTABILE FATUM. Historiam [illegible] Syrtes Medorum rex sumens, quo videret

ex filiæ naturalibus vitem enatam, cujus palmite omnis Asia obumbraretur, acceptoq; à Magis responso, fore, ut ex filia nasceretur princeps potentissimus, qui avum imperio deiiceret: filiam eam Mandanem nomine, Persæ cuidam, mediocri viro, Cambysi nomine elocat, filiumq; ex eo matrimonio natum Harpago ministro omnium secretorum conscio, necandum tradit; is pueri misertus, & ne post mortem Astyagis fraudi sibi res ea foret, timidus pastori armenti regii perficiendum facinus commendat: is non minori affectu abiicit in silvis, & feris laniandum permittit. Interim pastoris uxor filium quoque enititur, quæ cum ex marito resciviſſet, expositum ab eo infantem pulcerrimum fuisse, reduci jubet alendum cum suo, neq; Deum ad iram, innocentis infantuli nece, provocandum monet. Dicto audiens maritus properè recurrit in silvas, & infantem, cui canis ubera præbebat, reperit, receptumq;, cane insequente, uxori cum suo alendum tradit. Sic Cyrus fataliter cui destinatus erat imperio servatus est: constititq; adeo veritas famosissimo huic hemistichio: manet immutabile fatum. *Cui quà Græci, quà Latini scriptores, passim succinunt, è quibus paucorum testimonia ne cognoscere pigeat: τὸ μόρσιμον, inquit Pindarus Pythiorum 12. ὃ τις φεύξεται: & Theocritus Idyl. 24.*

--------οὐκ ἐστὶν ἀλύξαι
ἀνθρώπους, ὅ, τι μοῖρα κὴ ἀλωᾶτις ἐπέυγει.

Non vitare datum est homini ulli stamina Parcæ. Poëta antiquissimus Phanocles apud Clementem Alexandrinum: τὸ μοιρίδιον νῆμ' ἄλυτον ὑδέπω ἐστὶν ἐκφυγέειν, ὁπόσοι γῆν ἐπιφερόμεθα. Parcarum textum insolubile nemini licet evitare, quotquot hanc homines terram depascimur. Accedat his ex plurimis aliis Euripides, qui disertè satis in Heraclidis: μόρσιμα δ' ὅτι φυγεῖν χρή. ὃ σοφία τις ἀπώσεται. Quæ verba pulcerrimè reddidit Ammianus Marcellinus: Nulla vis humana vel virtus meruisse unquam potuit, ut quod præscripsit fatalis ordo, non fiat: Quin, ut eleganter ait Vellejus Paterculus, adeo ineluctabilis vis fatorum est, ut cujus fortunam mutare constituit, ejus quoque consilia corrumpat. Hebetantur, ait Marcellinus, sensus hominum, manum injectantibus fatis, ut & sententiis & corporibus titubent, quod de Crassi militibus in Parthiam tendentibus olim Dio, Collenutius de Manfredo Neapolitano rege; alii de aliis. Ludunt igitur inanem operam, quotquot imperio fataliter destinatos perdere præsumunt, & immutabile Dei

bile Dei decretum superbè rescindere conantur: Voluit Amulius oppresso fratre Numitore, regni Latii consorte, in se transferre regnum & suos, filia Numitoris in carcerem compacta, & partu ejus Romulo & Remo exposito, necarique jusso, ne illi successor foret: operam lusit: Cambyses somnio monitus Smerdin quendam sibi successorem divinitus datum, quanquam fratrem eo nomine sustulit, oraculi tamen fidem non evertit. Tiberius Galbam, cum plures tamen, quos suspectabat, sustulisset, è medio tollere non valuit. Saul Davidem, Salomon Jeroboamum successores divinitus destinatos, in vanum attentarunt. Summa, quod Adrianus Imperator olim usurpabat, ex Senecæ monito Neroni dato: Successorem suum nemo unquam occidit. Vidit hoc prudenter & piè Titus Vespasianus, qui duos patricii generis convictos affectati imperii, & quod plus quam civilia tractassent, nihil ultra, quam ut desisterent, monuit, Fato, addens, principatum dari: alia si peterent, quæ in sua manu forent, ultro tributurum. O divinam vocem: cui nihil concedit rescriptum Marci Imperatoris, quod Vero misit, de Avidio Casso conquerenti: Epistolam, inquit, tuam legi; sollicitam potius quam Imperatoris, & non nostri temporis. Nam si Cassio divinitus debetur Imperium, non poterimus interficere, etiamsi velimus. Scis enim proavi tui dictum: Successorem suum nullus occidit: sin minus, ipse sponte, sine nostra crudelitate, fatales laqueos inciderit. Digna etiam sunt altitudine ea animi & dignitatis verba, quibus Suleimannus ad filium Bajazethem usus, qui temerario ausu arma contra fratrem Selimum induerat, & ad imperium vivo patre nitebatur animosius, quàm par erat: postquam enim filium acriter initio objurgasset, ut per quem non stetisset, quo minus status Ottomanici imperii in ruinæ discrimen adduceretur, parcere se tandem illi velle addit ex paterno affectu, ipse interim futurorum curam Deo relinqueret: nihil istorum humano geri arbitrio, Dei nutu regna transferri. Si ita fatum esset, ut post mortem suam ipse regno potiretur, id ratum fore, ultroque venturum ei regnum, neque futurum in manu cujusquam remorari, quod divinitus statutum esset; sin aliter Deo visum, insanum esse frustra laborare, obniti divinæ voluntati, & veluti cum numine pugnare; proinde tumultuari desineret, neu fratrem quietum lacesseret, neu senectutis suæ otium turbaret. Quibus verbis quid potuit ab Imperatore gravius? à patre mitius? à gentili religiosius? Modum igitur po-

nite cupiditatibus vestris ô principes, & futurorum securi, Deo permittite, quem successorem vobis velit mittere, cui regnum vestrum tradere.

Fata *(scilicet)* regunt orbem, certa stant omnia lege;
Longaq; per certos signantur tempora cursus.

Nos verò qui privati sumus, hoc brabeo nostro commoniti, sorte nostra & loco quisque suo contenti simus, in quo nos Deus collocavit: neque altiora affectemus cum periculo: tuta & præsentia malimus, quam incerta & abrupta: quod monitum tantò majori curæ nobis esse debet, quantò verius dictum olim à Boëthio: Neminem ullum tàm compositæ felicitatis esse, qui non aliquando cum status sui qualitate rixetur. DIXI.

ORATIO SECUNDÆ CLASSIS, RECITATA à JOHANNE GRASSEL, Villacensi Carinthio.

QVod ille declamaturus apud Cæsarem, dixit: Cæsar, qui apud te audent dicere, magnitudinem tuam ignorant, qui non audent, humanitatem: idem propemodum mihi nunc in hoc augusto splendidissimorum ac lectissimorum hominum cætu verba facturo, dicendi initium occurrit. Quantum enim à dicendo deterreor splendore ac dignitate audientium; tantum vicissim ad dicendum eorum invitor atque allicior humanitate. Accedit huc tua, Magnifice Domine Rector, auctoritas, quæ facilè, quicquid hoc est caliginis offusum oculis, sua luce dispellit:

pellit: facilè linguam, timore quasi vinctam stupentemq; laxat: facilè denique, ut orationi pandam vela, persuadet. Agedum igitur animo confirmato, quam hoc numisma, Amplissimorum & Nobilissimorum D.D. Scholarcharum donum, spectandam exhibet historiam, pro captu ætatulæ excutiamus.

Conspicitur autem inibi Cyrus, puer inter pastorum filios educatus, & ab iisdem fortè ludentibus, propter animi indolem insigni regio decoratus, & in sublime elatus, cum hac epigraphe: NON SINE OMINE. Enimverò natura rerum ita se dispensare amat, ut non illico universam se profundat, nec tota repentè evolet: sed per gradus quosdam progressura prius mittat signa sui. Patet hoc in arboribus, quarum cum dos præcipua ac finis sit ferre fructum, prius in florem sese induunt. Patet in segetibus, quæ antequam fructum faciant, herbæ viriditate pascunt oculos. Patet denique (ut alia innumerabilia prætermittã) in ipso cæleſti corpore, in quo ante diẽ diei imitatione ludit Phosphorus, quasi Sol alter, ut eum Plinius appellat. Sed & ipse Sol radiis suis veluti præludit, antequam exoriatur, luce præmissa. Quorsum ista tandem? ut & in vita rebusq; hominum, imaginemur simile. Nam in his quoque natura, priusquam rem exhibeat, spem ostendit: nec vires suas effundit, antequam eas ludendo veluti periclitata fuerit. Inde Vopiscus illud in Probo Augusto scitum: Neminem unquam pervenisse ad virtutem summam jam maturum, nisi qui puer seminario virtutum generosiore concretus, aliquid inclytum designarit. Scilicet, ut in gladiatorio munere præludio olim præmittebatur legitimo certamini: sic præclara indoles virtutis justis ac legitimis certaminibus, per facta ac dicta speciosa, vel in ipsa pueritia præludit. Ejusmodi igitur naturæ generosioris igniculi, cum in Cyro etiamnum puero emicarent, exilirentq; identidem, ea res æqualium ipsius (cum quibus sors iniqua eum conjunxerat) quamvis rudium, quamvis agrestium, quamvis denique fortunam & natales ejus ignorantium, animos percusserat. Regem igitur ludentes faciebant eum, quem jam antea natura fecerat, quemque adeò non decebat esse, nisi regem. In quam sententiam pulchrè apud Xenophontem l. 5. regiæ institutionis. Medus quidam Cyrum alloquitur hisce verbis: Ego verò, mi Rex: nam regem te nihilominus à natura esse arbitror, quam sit is, qui in alveari dux apum nascitur. illi enim apes semper lubentes obtemperant, ac quocunque loco manserit, ab eo nulla earum discedit: quod si ali-

si aliquò exierit, nulla ipsum deserit, tàm ardens illis est ingenitus amor, ut ejus imperio pareant: itidem erga te mihi quodam modo videntur hi homines affecti esse: hæc ille. Quibus addamus licet in ejusmodi ludicris extare nonnunquam rationem divinæ providentiæ; quippe cui moris aliquando sese exserere in parvis, & ingentium rerum documenta minima agere. Quam maximè autem causa regiæ dignitatis supernis est applicanda judiciis, ut piè apud Cassiodorum loquitur rex Gothicus. Ex hujusmodi certè regnorum sive futuri imperii ominibus historiæ Augustæ scriptores, quales sunt: Suetonius, Lampridius, Spartianus, Trebellius, Pollio, Volcatius, Vopiscus, toti ferè contexuntur. Sed ad Cyri puerile regnum proximè alludit Severi posteà Imperatoris puerilis ducatus. Is enim, ut in ejus vita memorat Spartianus, in prima pueritia, priusquam latinis græcisq; literis imbueretur, nullum alium inter pueros ludum, nisi ad judices exercuit, quum ipse prælatis fascibus ac securibus, ordine puerorum circumstante, sederet ac judicaret. Quæ quidem Spartiani verba, nemo legit, opinor, quin ei excitetur memoria Magni Athanasii: Ille enim similiter Episcopatus, inter pueros puer ludens, (nota est historia ex Ecclesiasticis scriptoribus) τὸν ἑαυτῦ τύχην ἐγύμναζεν, ut verbis Aristidis utar.

Quamobrem hæc talia pueris nobis aures pervellunt, ut & ipsi remissiones nostras lususq; sanctitate quadam ac verecundia temperemus: Nam præterquam quòd (ut verissimè scriptum Plinio Juniori in Panegyrico) voluptates sunt, quibus optimè de cujusq; gravitate, sanctitate, temperantia, creditur: cum alioquin nemo sit adeo dissolutus, cujus non occupationibus aliqua species severitatis insidat: quanta hisce lusionibus insint aliquando omina Cyrus, Severus, Athanasius, qui quod in pueritia luserunt, ætatis progressu sunt experti, documentis ingentibus declarant. DIXI.

ORA-

ORATIO TERTIÆ CLASSIS, RECITATA AB ABRAHAMO à Burgsdorff, Marchico.

SAtis infantiam ſuam purgarunt æquales mei; quos & pro me, & ſucceſſoribus meis quoque dixiſſe, ut mihi perſuadeo, ita credere vos velim, Auditores optimi, præſtantiſſimiq;. Neque hoc loco, quod ſciam, tàm facundia quæritur, quàm officium & obedientia. Itaque rectà accedam, Rector Magnifice, ad brabei mei expoſitionem, captui meo & ætati accomodatam. Conſpicor in eo Cræſum regem rogo inſidentem juſſu Cyri, à quo bello captus fuerat, ſublatisq; in cælum oculis lamentabiliter ingemiſcentem. Περιγραφὴ *hæc habet verba:* ANTE OBITUM NEMO. *Hiſtoriam Herodotus deſcribit in hunc modum: Cum Cræſus Lydorum rex potentiſſimus ad ſummam felicitatem nihil ſibi deeſſe ſuperbè perſuaderet, & ſuper ea re judicium & adſenſum ſapientiſſimi Solonis exquireret: hic ut ferociam & faſtum Cræſi retunderet, in hæc verba reſpondit: non niſi de mortuis demum fieri judicium poſſe, beati ne vixerint an ſecus. Quod in riſum tum convertens Cræſus, ſerò nimis verum didicit. Exutus enim à Cyro principatu, rogoq; impoſitus: O Solon, Solon, exclamare cæpit. Quod ubi Cyro renunciatum eſt, inquiri juſſit, quod illud aut cujus nomen eſſet, quod tanto cum affectu iteraſſet: Qui regi victori rem prorſus, ut geſta erat olim, commemoravit, eáque narratione animum ejus flexit, ut humanorum caſuum inconſtantiam velut in ſpeculo contemplatus, ſupplicium Cræſo remitteret, & amicum adſciſceret.*

ORATIO QUARTÆ CLASSIS, RECITATA à GEORGIO-CHRISTOPHORO GELLERO, Noribergensi.



SPectandam mihi hoc numismà vestrum, Nobilissimi & Amplissimi Patres, congiarium exhibet Coronã cœlitus demissam, cum hac epigraphe: DAT ADIMITQUE DEUS. *Nimirum regna à Deo dari adimiq́, isto emblemate significatur. Atq́ hoc nobis Christianis exploratum est, qui regum & exortus & interitus à Divino numine pendère, tot historiæ sacræ exemplis docemur. Quis enim Saulẽ? quis eo reprobato, Davidem evexit ad Imperium? Quis capiti Salomonis regium circumdedit decus? Quis hoc in idololatriam prolapso, decem tribus à regno Judæ avulsas dedit Jeroboamo. Quis idem adversus reges idololatras, regem Israëlis constituit Jehu? Quis regno Babylonis, simulq́ vita exuit Balthasarem? Benè igitur Imperatores Bizantini, eorumq́ æmulatione Franci, titulum* Θεοστεφῆς, *à Deo coronati, olim usurparunt. Cui consonat hodiernum illud regum ac principum,* Dei Gratia. *Nam, ut pie Rex Gothicus apud Cassiodorum libro decimo Variarum Epist. 31. Quam maximè caussa regiæ dignitatis supernis est applicanda judiciis: quia ipse nihilominus ordinavit, cui suos populos parère cognoscit. Sed & verissimè, ad Verum fratrem de Cassio rebellante scribens Marcus Imperator: nam si ei divinitus (inquit) debetur Imperium: non poterimus interficere, etiam si velimus. Scis enim Proavi tui dictum:* Successorem suum nullus occidit. *Quod quidem*

Trajani

Trajani optimi principis dictum sapiens omnis memoriæ veritas comprobavit. Nam ut ad superiora exempla historiæ sacræ redeamus: ecquid in expertum reliquit Saul, ut Davidem successorem tolleret? Quid vitæ Jeroboami nonne imminebat Salomonis potentia formidabilis? Jam ut Astyagis crudelitatem evadat, eoque invito postea regnet, à cane alitur Cyrus. At Romulo, fratriq; Remo, quò sint frustra Amulii conatus, lupina præbentur ubera. Alium Hispanorum feritatem emolliturum regem educant feræ: Servatq; Oceanus, quem avus perditum isset. Adeo (ut ex veri tripode profatur Madaurensis Philosophus) nec consilio prudenti, nec remedio sagaci, divinæ providentiæ fatalis dispositio subverti, vel reformari potest. Id quod intelligens Tyberius, cum de successione ambigeret, tandem consilium, cui impar erat, fato commisit, ut recenset Tacitus libro sexto Annalium. At eidem fato repugnans inferiori ævo Valens Imperator, nihilo secius Theodosium successorem habuit: utut à sese omnes ejus nominis viros primarios putaret extinctos. Præclarè igitur Nicetas Choniates, exponens causas spretæ ab Andronico Comneno de Isaacio Angelo, qui paulò post ipsi vitam & imperium eripuit, admonitionis. Fata enim (inquit) urgebant, & Deus utique illo prudentior erat. Quæ cum ita sint, quin, ut initio dictum est, & ortus & interitus regum & principum sint fatales, dubium esse nemini potest.

DIXI.

PANE-

PANEGYRIS XXXVII.

Anni 1613.

RECTORE D. M. MICHAELE PICCARTO, PHILOSOPHO.

INVITATIO AMPLISSIMI SENATUS NORIBERGENSIS,

RECITATA à WOLFGANGO-ALBERTO PÔMER, Patricio Noribergensi.

ΚΑλῶς ἀμπέπαυται καὶ σοφῶς, ὦ ἄνδρες ὑπέρτατοι καὶ ἐξοχώτατοι, καθ' ἕκαστον ἔτος ἀνακρίσεις ἐν τῇ ὑμῶν ἀκαδημίᾳ γίνεσθαι, καὶ τὸς εὐφυεστέρους τῶν μαθητῶν, οἳ πλείω σπεὶ τὼ ἀρετὼ καὶ τὰς τέχνας σπουδὴν ἔχουσιν, εἰς τὰς ἀνωτέρας ἀκροάσεις μεθίστασθαι. Τούτων δ' ἐξεπάστων ἤδη γεγονυιῶν, τῇς σεβασίστοις δημοσίαις καὶ τῇ τῶν Σεβαστείων ἀμφοῖν ἀποπεμφθείσῃ ἡμέρᾳ, νυνὶ σεῦ βοηθοῦντος ἐγγὺς ἔστι, τ' λαμπροτάτης γερουσίας Νωρικῆς, καὶ τ' ὑμετέρας μεγαλοπρεπείας, ὡσπερεὶ τῶν τ' Ακαδημίας ἀρχόντων καὶ τροφέων δαψιλεστάτων, ἐπιπόθεῖ τι καὶ σεσοδέχεται τὼ παρουσίαν.

Τοιγαροῦν ὦ εὐγενέστατοι Ϲ ἐνδοξότατοι βελάρχαι, τ' ὑπεροχῆς ὑμῶν καὶ τ' συγκλήτου βελῆς αἰτοῦσιν δέομαι, τῇ ἡμέρᾳ τοῖς δυσὶν ἀποστόλοις Πέτρῳ τε καὶ Παύλῳ καθιερωμένῃ ἐν Αλτορφίῳ ἐπιφανεῖαι, Ϲ τὼ σχολαστικὴν πανήγυριν τῇ παρουσίᾳ ὑμῶν ἀξιοσεμνοῦσαι τε Ϲ συνεπιτελέσαι.

Ἔτως γὰρ τὸν ἐξαίρετον ὑμῶν σεὸς τὰς ἐλευθέρους παιδείας ἔρωτα, Ϲ τὸν φιλέστοργον σεὸς Ακαδημίαν, ὡς ἀγαπητὸν ξυγκρότημα, θυμὸν καὶ εὐμένειαν ὑμῶν σαφῶς δηλώσετε. καὶ ἐπαινετῶς μιμήσεσθε ΚΑΡΟΛΟΝ τὸν αὐτοκράτορα, τὸν μέγαν ἐπονομασθέντα. ὃν λέγουσιν ἔτως ἐφηδῆσθαι τῇς σχολαῖς, καὶ τῇς σχολαστικαῖς

τικαῖς ἀσκήσεσιν, ὥστε μὴ μόνον τ̃ Παρισινῆς Ακαδημίας ἄπτ@ ἐγίνετ κὰ ἠμελωτὴς: ἀλλὰ κὰ τὰς τῶν ἐν διδασκαλείῳ μαθόντων πρωτοπρὸς πολλάκις ἐζήταζε: κ̀ τὸς μὲν ὀκνηρὸς κ̀ τὰ δέοντα μὴ πρᾶτοντας ἐπεμίμνησκε, τί ἂν αὐτῶν ἔργον εἴη: τὸς δ' ἐπιμελεῖς Ĉ φιλοπόνους τῶν ἄθλων ἢ βραβείων κ̀ ἡμῶν ἠξίε.

Καὶ ἀνὰ τρίτε διερχτήματ@ ὑμῶν κ̀ συνεχῶς πρὸς τὴν Ακαδημίαν εὐνοίας, ἅπαντις τὴν ἡμετέραν ἀγαθὴν τε κ̀ φιλοπονίαν πρὸ τὰ γράμματα: κ̀ δὴ παντὸς μ̃ δίκ τὴν ὀφειλομένην ἐπηρεσίαν καὶ θεραπείαν τῷ ὑμῶν ἀξιώματι ἐπιχειρήμεθα. καὶ εἰς τὸν ἐπίλοιπον χρόνον τῇ τ̃ ἐπιτροχῆς καὶ φρονήσεως ὑμῶν πρ@βολῇ τε καὶ πίστει ξύμπαν τὸ φρονιστήριον συνίστημεν. EIPHKA.

ALIA INVITATIO RECITATA à JOHANNE IMHOF, Patricio Noribergensi.

PErcelli nonnihil ac perturbari animum meum, verbaq; & ingenium me deficere, sentio, Viri Nobilissimi & Amplissimi, dum Orator huc missus sum, & verba mihi apud A.V. facienda sunt. Nam si Theophrastus Eresius in Areopago verba faciens obmutuit: Si Herodes Atticus insignis ille orator coram M. Antonio verba faciens orationis cursum sistere coactus fuit: Quid mirum, si in tanta Præstantissimorum Virorum corona, mihi puero metus incutiatur, & verba me deficiant? Solatur me tamen, & animum meum consternatum rursus erigit, quod non sponte mea ad vos venerim; sed superiorum meorum mandatis morigeratus, huc locorum me contulerim, firmissima spe fretus, A.V. mihi præbituras aures. Operam ego vicissim dabo, ut verba in pauca conferens, quàm brevissimè id, quod mihi injunctum fuit, exequar.

Apparuit rursus, divino favente numine, tempus illud expectatum, quo pro more in Academia vestra recepto, à Magnifico Domino Rectore & ipsius adjunctis, progressibus discipulorum exploratis, gnavi & industrii vel ad superiores classes, vel ad lectiones publicas, non absque brabeo, ex liberalitatis vestræ fonte desumpto, mittendi sunt, & in loco quidem publico, atque conspectu Nobilissimorum & Præstantissimorum Virorum, quorum tàm

splendore & festiva acclamatione, quàm vestra munificentia incitati, reliquum studiorum suorum curriculum felicius decurrant, & ultimum eorum scopum tandem consequantur. Sicuti enim generosum equum in stadiis currentem, aut canem aliquem feras insequentem, citatissimo quidem cursu, id quod faciendum illis incumbit, perficere videmus: acclamatione tamen & παπσμῷ hominum accedente, utrumque quàm velocissimè cursum intendere: eodem modo juventus studiosa in literarum studiis arripiendis occupata, & ad literarum scopum magno cum labore consequendum sua sponte incitata, nescio quomodo generosiores impetus mente concipiat, & alacrius in iisdem pergat, si industriam & assiduitatem suam à præstantissimis viris tacita acclamatione & remuneratione quadam laborum suorum probari, & ad altiora suscipienda perficiendaq; se inflammari animadvertat.

Huic actui & renunciationi publicæ cum destinatus sit vicesima nona hujus mensis dies, qui Divis Petro & Paulo sacer est, Academiæ vestræ præsides etiam atque etiam à vobis contendunt, ut nonnulli ex selectissimo Ordine vestro Senatorio, ad prædictum diem haud gravatim compareant, renunciationi publicæ, atque adeo Panegyri intersint, præsentia sua perhonorifica & applausu strenuos atque industrios adolescentum animos ad altiora deinceps suscipienda inflamment: Tardos contra & desides excitent, ut torpore abjecto sedulos imitantes, operæ pretium tandem aliquod in studiis faciant. Quod si à vobis P.C. haud gravatim, ut sperant, impetraverint, patebit vos & Academiam vestram semel magnis sumptibus extructam, non deserere, sed magis magisq; fovere & amplecti velle, & tàm docentium, quàm discentium cœtum vobis maximæ curæ esse, magno id illis argumento erit. Commilitones etiam mei, munificentia vestra inflammati, quanti literarum studia sint æstimanda, deprehendent, & se in æternum multis nominibus vobis obstrictos fatebuntur, in quoscunque etiam mundi angulos devenerint, promptissimum vestrum erga literatos affectum & benignitatem erga se exercitam, apud alios extollent, & ad loca hæc adeunda allicient. Ego quoque, Æneæ Virgiliani ad Didonem verba in ore habiturus sum, & pro beneficentia vestra dicam cum condiscipulo hoc meo, & in sepulcrum usque dicturus sum:

O DEUS imperii eximium, sapientia cujus
Omnes per terras præclara est dicta fama:

Non

Non opis est nostræ grates persolvere dignas.
Dii modo, si qua pios respectant numina, si quid
Usquam justitiæ est, & mens sibi conscia recti:
Præmia digna ferant vobis, cœloque reponant.

DIXI.

ORATIO PRIMÆ CLASSIS,
RECITATA à THEODORICO-JUSTO AUROCHS, Thuringo.



NOn equidem diffiteor, Rector Magnifice, decere nos quod exigis, sed tardum officii tua me fecit oratio; qui enim ipse testatus es, ad hunc Amplissimum consessum posse eum vel disertissimum Oratorem elinguem facere, quomodo me nunc jubes hic dicere hominem infantem, & vix per ætatem vernacula balbutientem. Sed fortè aliud abs te exspectari scis, aliud à nobis requiri; itaque harum rerum ego curiosus esse nolo: quin nec debeo: Rectà igitur quò me vocas, progredior: Vos Auditores omnium ordinum præstantissimi, animum meum probate, & benevolentiæ vestræ favore, me in hoc æstu sublevate. Brabeum meum expositi infantis, quem canis lactat fœmina, imaginem præfert, cui intervenit opilio, qui infantem cani ereptum ad se recipit, domi fovendum & alendum: cum inscriptione hac: MANET IMMUTABILE FATUM. *Historiam Justinus describit lib. 1. Territus Astyages Medorum rex somnio, quo viderat*

ex filiæ naturalibus vitem enatam, cujus palmite omnis Asia obumbraretur, acceptoq; à Magis responso, fore, ut ex filia nasceretur princeps potentissimus, qui avum imperio deiiceret: filiam eam Mandanem nomine, Persæ cuidam, mediocri viro, Cambysi nomine elocat, filiumq; ex eo matrimonio natum Harpago ministro omnium secretorum conscio, necandum tradit; is pueri misertus, & ne post mortem Astyagis fraudi sibi res ea foret, timidus, pastori armenti regii perficiendum facinus commendat: is non minori affectu abiicit in silvis, & feris laniandum permittit. Interim pastoris uxor filium quoque enititur, quæ cum ex marito resciviſſet, expositum ab eo infantem pulcerrimum fuisse, reduci jubet alendum cum suo, neq; Deum ad iram, innocentis infantuli nece, provocandum monet. Dicto audiens maritus properè recurrit in silvas, & infantem, cui canis ubera præbebat, reperit, receptumq;, cane insequente, uxori cum suo alendum tradit. Sic Cyrus fataliter cui destinatus erat imperio servatus est: constititq; adeo veritas famosissimo huic hemistichio: manet immutabile fatum. *Cui quà Græci, quà Latini scriptores, passim succinunt, è quibus paucorum testimonia ne cognoscere pigeat: τὸ μόρσιμον, inquit Pindarus Pythiorum 12. ὃ τις φεύξεται: & Theocritus Idyl. 24.*

--------τὸν ἐστὶν ἀλύξαι
ἀνθρώπους, ὅ, τι μοῖρα κὴ ἁλωσήρεσσιν ἐπαύρῃ.

Non vitare datum est homini ulli stamina Parcæ. Poëta antiquissimus Phanocles apud Clementem Alexandrinum: τὸ μοιρίδιον νῆμ' ἄλυτον ἐδέπω ἐστὶν ἀνθρώποις ἐκφυγέειν, ὁπόσοι γῆν ἐπιφερβόμεθα. Parcarum textum insolubile nemini licet evitare, quotquot hanc homines terram depascimur. Accedat his ex plurimis aliis Euripides, qui disertè satis in Heraclidis: μόρσιμα δ' ὅτι φυγεῖν θέμις· ἡ σοφία δὲ ἀπώσατο. Quæ verba pulcerrimè reddidit Ammianus Marcellinus: Nulla vis humana vel virtus meruisse unquam potuit, ut quod præscripsit fatalis ordo, non fiat: Quin, ut eleganter ait Vellejus Paterculus, adeo ineluctabilis vis fatorum est, ut cujus fortunam mutare constituit, ejus quoque consilia corrumpat. Hebetantur, ait Marcellinus, sensus hominum, manum injectantibus fatis, ut & sententiis & corporibus titubent, quod de Crassi militibus in Parthiam tendentibus olim Dio, Collenutius de Manfredo Neapolitano rege; alii de aliis. Ludunt igitur inanem operam, quotquot imperio fataliter destinatos perdere præsumunt, & immutabile Dei

bile Dei decretum superbè rescindere conantur: Voluit Amulius oppresso fratre Numitore, regni Latii consorte, in se transferre regnum & suos, filia Numitoris in carcerem compacta, & partu ejus Romulo & Remo exposito, necariq; jusso, ne illi successor foret: operam lusit: Cambyses somnio monitus Smerdin quendam sibi successorem divinitus datum, quanquam fratrem eo nomine sustulit, oraculi tamen fidem non evertit. Tiberius Galbam, cum plures tamen, quos suspectabat, sustulisset, è medio tollere non valuit. Saul Davidem, Salomon Jeroboamum successores divinitus destinatos, in vanum attentarunt. Summa, quod Adrianus Imperator olim usurpabat, ex Senecæ monito Neroni dato: Successorem suum nemo unquam occidit. Vidit hoc prudenter & piè Titus Vespasianus, qui duos patricii generis convictos affectati imperii, & quod plus quam civilia tractassent, nihil ultra, quam ut desisterent, monuit, Fato, addens, principatum dari: alia si peterent, quæ in sua manu forent, ultro tributurum. O divinam vocem: cui nihil concedit rescriptum Marci Imperatoris, quod Vero misit, de Avidio Casso conquerenti: Epistolam, inquit, tuam legi; sollicitam potius quam Imperatoris, & non nostri temporis. Nam si Cassio divinitus debetur Imperium, non poterimus interficere, etiamsi velimus. Scis enim proavi tui dictum: Successorem suum nullus occidit: sin minus, ipse sponte, sine nostra crudelitate, fatales laqueos inciderit. Digna etiam sunt altitudine ea animi & dignitatis verba, quibus Suleimannus ad filium Bajazethem usus, qui temerario ausu arma contra fratrem Selimum induerat, & ad imperium vivo patre nitebatur animosius, quàm par erat: postquam enim filium acriter initio objurgasset, ut per quem non stetisset, quo minus status Ottomanici imperii in ruinæ discrimen adduceretur, parcere se tandem illi velle addit ex paterno affectu, ipse interim futurorum curam Deo relinqueret: nihil istorum humano geri arbitrio, Dei nutu regna transferri. Si ita fatum esset, ut post mortem suam ipse regno potiretur, id ratum fore, ultroque venturum ei regnum, neque futurum in manu cujusquam remorari, quod divinitus statutum esset; sin aliter Deo visum, insanum esse frustra laborare, obniti divinæ voluntati, & veluti cum numine pugnare; proinde tumultuari desineret, neu fratrem quietum lacesseret, neu senectutis suæ otium turbaret. Quibus verbis quid potuit ab Imperatore gravius? à patre mitius? à gentili religiosius? Modum igitur po-

nite cupiditatibus vestris ô principes, & futurorum securi, Deo permittite, quem successorem vobis velit mittere, cui regnum vestrum tradere.

Fata (*scilicet*) regunt orbem, certa stant omnia lege;
Longaq; per certos signantur tempora cursus.

Nos verò qui privati sumus, hoc brabeo nostro commoniti, sorte nostra & loco quisque suo contenti simus, in quo nos Deus collocavit: neque altiora affectemus cum periculo: tuta & præsentia malimus, quam incerta & abrupta: quod monitum tantò majori curæ nobis esse debet, quantò verius dictum olim à Boëthio: Neminem ullum tàm compositæ felicitatis esse, qui non aliquando cum status sui qualitate rixetur. DIXI.

ORATIO SECUNDÆ CLASSIS, RECITATA à JOHANNE GRASSEL, Villacensi Carinthio.



QVod ille declamaturus apud Cæsarem, dixit: Cæsar, qui apud te audent dicere, magnitudinem tuam ignorant, qui non audent, humanitatem: idem propemodum mihi nunc in hoc augusto splendidissimorum ac lectissimorum hominum cœtu verba facturo, dicendi initium occurrit. Quantum enim à dicendo deterreor splendore ac dignitate audientium; tantum vicissim ad dicendum eorum invitor atque allicior humanitate. Accedit huc tua, Magnifice Domine Rector, auctoritas, quæ facilè, quicquid hoc est caliginis offusum oculis, sua luce dispellit:

pellit: facilè linguam, timore quasi vinctam stupentemq; laxat: facilè denique, ut orationi pandam vela, persuadet. Agedum igitur animo confirmato, quam hoc numisma, Amplissimorum & Nobilissimorum D.D. Scholarcharum donum, spectandam exhibet historiam, pro captu ætatulæ excutiamus.

Conspicitur autem inibi Cyrus, puer inter pastorum filios educatus, & ab iisdem fortè ludentibus, propter animi indolem insigni regio decoratus, & in sublimè elatus, cum hac epigraphe: NON SINE OMINE. *Enimverò natura rerum ita se dispensare amat, ut non illico universam se profundat, nec tota repentè evolet: sed per gradus quosdam progressura prius mittat signa sui. Patet hoc in arboribus, quarum cum dos præcipua ac finis sit ferre fructum, prius in florem sese induunt. Patet in segetibus, quæ antequam fructum faciant, herbæ viriditate pascunt oculos. Patet denique (ut alia innumerabilia prætermittã) in ipso cœlesti corpore, in quo ante diẽ diei imitatione ludit Phosphorus, quasi Sol alter, ut eum Plinius appellat. Sed & ipse Sol radiis suis veluti præludit, antequam exoriatur, luce præmissa. Quorsum ista tandem? ut & in vita rebusq; hominum, imaginemur simile. Nam in his quoque natura, priusquam rem exhibeat, spem ostendit: nec vires suas effundit, antequam eas ludendo veluti periclitata fuerit. Inde Vopisci illud in Probo Augusto scitum: Neminem unquam pervenisse ad virtutem summam jam maturum, nisi qui puer seminario virtutum generosiore concretus, aliquid inclytum designarit. Scilicet, ut in gladiatorio munere præluso olim præmittebatur legitimo certamini: sic præclara indoles virtutis justis ac legitimis certaminibus, per facta ac dicta speciosa, vel in ipsa pueritia præludit. Ejusmodi igitur naturæ generosioris igniculi, cum in Cyro etiamnum puero emicarent, exilirentq; identidem, ea res æqualium ipsius (cum quibus sors iniqua eum conjunxerat) quamvis rudium, quamvis agrestium, quamvis denique fortunam & natales ejus ignorantium, animos percusserat. Regem igitur ludentes faciebant eum, quem jam antea natura fecerat, quemque adeò non decebat esse, nisi regem. In quam sententiam pulchrè apud Xenophontem l. 5. regiæ institutionis. Medus quidam Cyrum alloquitur hisce verbis: Ego verò, mi Rex: nam regem te nihilominus à natura esse arbitror, quam sit is, qui in alveari dux apum nascitur. illi enim apes semper lubentes obtemperant, ac quocunque loco manserit, ab eo nulla earum discedit: quod si ali-*

si aliquò exierit, nulla ipsum deserit, tàm ardens illis est ingenitus amor, ut ejus imperio pareant: itidem erga te mihi quodam modo videntur hi homines affecti esse: hæc ille. Quibus addamus licet in ejusmodi ludicris extare nonnunquam rationem divinæ providentiæ; quippe cui moris aliquando sese exserere in parvis, & ingentium rerum documenta minima agere. Quam maximè autem causa regiæ dignitatis supernis est applicanda judiciis, ut piè apud Cassiodorum loquitur rex Gothicus. Ex hujusmodi certè regnorum sive futuri imperii ominibus historiæ Augustæ scriptores, quales sunt: Suetonius, Lampridius, Spartianus, Trebellius, Pollio, Volcatius, Vopiscus, toti ferè contexuntur. Sed ad Cyri puerile regnum proximè alludit Severi postea Imperatoris puerilis ducatus. Is enim, ut in ejus vita memorat Spartianus, in prima pueritia, priusquam latinis græcisq; literis imbueretur, nullum alium inter pueros ludum, nisi ad judices exercuit, quum ipse prælatis fascibus ac securibus, ordine puerorum circumstante, sederet ac judicaret. Quæ quidem Spartiani verba, nemo legit, opinor, quin ei excitetur memoria Magni Athanasii: Ille enim similiter Episcopatus, inter pueros puer ludens, (nota est historia ex Ecclesiasticis scriptoribus) τὼ ἑαυτῆ τύχην ἐγύμναζεν, ut verbis Aristidis utar.

Quamobrem hæc talia pueris nobis aures pervellunt, ut & ipsi remissiones nostras lususq; sanctitate quadam ac verecundia temperemus: Nam præterquam quòd (ut verissimè scriptum Plinio Juniori in Panegyrico) voluptates sunt, quibus optimè de cujusq; gravitate, sanctitate, temperantia, creditur: cum alioquin nemo sit adeo dissolutus, cujus non occupationibus aliqua species severitatis insidat: quanta hisce lusionibus insint aliquando omina Cyrus, Severus, Athanasius, qui quod in pueritia luserunt, ætatis progressu sunt experti, documentis ingentibus declarant. DIXI.

ORA-

ORATIO TERTIÆ CLASSIS, RECITATA AB ABRAHAMO à Burgsdorff, Marchico.

SAtis infantiam ſuam purgarunt æquales mei; quos & pro me, & ſucceſſoribus meis quoque dixiſſe, ut mihi perſuadeo, ita credere vos velim, Auditores optimi, præſtantiſſimiq. Neque hoc loco, quod ſciam, tàm facundia quæritur, quàm officium & obedientia. Itaque rectà accedam, Rector Magnifice, ad brabei mei expoſitionem, captui meo & ætati accomodatam. Conſpicor in eo Cræſum regem rogo inſidentem juſſu Cyri, à quo bello captus fuerat, ſublatiſq. in cælum oculis lamentabiliter ingemiſcentem. Περιγραφὴ *hæc habet verba:* ANTE OBITUM NEMO. *Hiſtoriam Herodotus deſcribit in hunc modum: Cum Cræſus Lydorum rex potentiſſimus ad ſummam felicitatem nihil ſibi deeſſe ſuperbè perſuaderet, & ſuper ea re judicium & adſenſum ſapientiſſimi Solonis exquireret: hic ut ferociam & faſtum Cræſi retunderet, in hæc verba reſpondit: non niſi de mortuis demum fieri judicium poſſe, beati ne vixerint an ſecus. Quod in riſum tum convertens Cræſus, ſerò nimis verum didicit. Exutus enim à Cyro principatu, rogoq. impoſitus: O Solon, Solon, exclamare cœpit. Quod ubi Cyro renunciatum eſt, inquiri juſſit, quod illud aut cujus nomen eſſet, quod tanto cum affectu iteraſſet: Qui regi victori rem prorſus, ut geſta erat olim, commemoravit, eâque narratione animum ejus flexit, ut humanorum caſuum inconſtantiam velut in ſpeculo contemplatus, ſupplicium Cræſo remitteret, & amicum adſciſceret.*

Cæterum quæ super hoc Solonis responso disputant Aristoteles, Cicero & alii, neque ætatis meæ est exquirere, neque instituti, ex aliorum doctrina narrare. Monere enim emblemata amant, non disputare. Monet autem hoc emblema nostrum, ne secundis efferamur nimium, omnemq; hominis aut humanitatis sensum exsuamus: Novit enim nemo, quid serus vesper vehat, & ut Horatius canit:

Nulla præstat velox aut magna fortuna fidem.

Non commemorabo exempla Polycratis Samii, non Dionysii Syracusani, non Bellisarii aut Bajazethis, quorum historiæ jam in vulgus notæ sunt: Hugolini Giradesci Pisani ex Paulo Æmilio non possum præterire fatum, qui Guelpharum partium princeps, Gibellinis partim pulsis, partim perculsis, eò potentiæ domi pervenerat, ut nutu patriam omnem solo temperaret, & omnibus rebus externis beatissimus esset: prævalebat opibus, præstabat ingenio, vigebat authoritate, florebat fœcunditate matrimonii, uno verbo, affluebat omnibus omnium rerum copiis, adeo quidem, ut & ipse suas res secundas intra sinum gauderet, & aliorum commendatione ac deprædicatione se oblectaret. Hic Giradescus cum natalitium cognatis & amicis pro fortunæ suæ splendore appararet convivium, ut & se & hospites exhilararet, suasq; laudes audiret: nunc ex hoc, nunc ex illo sciscitatur, satisne illis beatus videretur, cui omnia affatim essent bonorum? Quibus cum hospitis fortuna loquentibus tandem ordo ad Marcum quendam intimum Hugolini devenit, qui vel reputatione rerum humanarum, quam fluxæ fallaciq; specie, quam volucri orbe circumagantur: vel desuper mente edocta cum alto respondit suspirio: sola numinis ira procul diuq; abesse à tàm secundis rebus non potest. Neque defuit tristi augurio huic tristior eventus, senescentibus enim paulò post Guelforum viribus, mutataq; fortuna Gibellini correptis armis domum ejus circumsistunt, oppugnant, filium unum & nepotem resistere & vim arcere conatos sternunt, ipsum & duos præterea filios, tres nepotes comprehensos in turrim includunt, obseratisq; foribus claves in præterfluentem Arnum proiiciunt, qua in turri fame in oculis, in gremio suo charissima pignora (quo dolore ipsi exputate) morientia moriens ipse pater vidit: cui vociferanti exposcentiq;, ut humanis suppliciis exigendis contenti essent, ne sacrorum quidem potestas facta est, memorabili ad omnem posteritatem inconstantis & infidæ fortunæ exemplo. Neque illa mitior erga Johannem Carracciolum fuit è Squicia Patriciorum Neapo-

Neapolitanorum familia oriundum: qui cum libidinibus Johannæ Neapolitanæ alterius Messalinæ gratiam emisset, ab eadem regni Neapolitani Seneschallus constitutus est: quo officio abusus, & regnum solus gubernare cepit, haud aliter, ac si rex esset, & celebratis filii sui cum Jacobi Caldoræ viri illustrissimi filia nuptiis, summum felicitatis fastigium se conscendisse putavit. Verum ille parum fido se permisit numini: ecce enim, cum impotentis imperii pertæsi magnates reginæ hominem jam libidine fractum fastidienti persuasissent, ut regni tranquillitati flagitiosissimi & impotentissimi hominis vitam donaret; veniunt ante conclavis sui portam, in arce Capuana, nocte intempesta, ad decimum quintum calendarum Septembris, anni millesimi, quadringentesimi, tricesimi secundi, sicarii à regina submissi, & ostium pulsantes subito jubent, ut surgat, & reginam in vitæ periculo gravi constitutam adeat: Qui nihil cunctatus è lecto se proripit, puerosq; mandat, ut ostium aperiat, auditurus, quid sit negotii: Aperto ostio sicarii irruunt, seminudum, ut jussi fuerant, necant, & nondum altera caliga indutum, tanquam vilissimum mancipium extra arcem elatum abiiciunt, hora una istam omnem imaginariam felicitatem terminante. Plura qui volent exempla, pervolvant apud Augustæ historiæ scriptores vitam Sejani, Pisonis, Plautiani, & aliorum: apud recentiores Alvari de Luna, apud Rodericum Santium Hispanum; Georgii Martinusii apud Thuanum: & vero verius Solonis monitum perspicient, quod elegantissimis verbis Poëta doctissimus effatus est:

——————ultima semper
Expectanda dies homini, dicique beatus
Ante obitum nemo, supremaque funera debet.

DIXI.

ORATIO QUARTÆ CLASSIS, RECITATA à CHRISTOPHORO PICCARTO, Altdorfino.



HAnnibalem ajunt dixisse, cum fossam humano sanguine plenam vidisset: O formosum spectaculum! Digna vox homine sanguinario, cædibus innato innutritoq; : & qui tanta pestis mortalium futurus esset. Mihi vero species rei in hoc numo expressa, nunc horrore quodammodo animum perstrinxit. Contemplor enim inibi Tomyrin Massagetarum reginam, Cyri Monarchæ Orientis amputatum caput utri sanguine repleto immittentem, cum hoc superaddito lemmate: SINE CÆDE ET SANGUINE PAUCI. Nota est historia ex Herodoto, aliisque. Nam hunc exitum Cyrus fecit, postquam annos triginta vertentes imperârat, & ad summum humanarum rerum fastigium interim ascenderat: Siquidem L. V. Olympiade Persarum regnum: altero & vicesimo anno post, Chaldæorum adeptus, tandem anno ante interitum, subjugatis Bactrianis, totius Asiæ imperio à finibus Indiæ ad Cyclad.s insul.s, potitus fuerat. Sed ô fortunæ diu lenocinantis perfidum finem! (Liceat enim mihi verbis Apollinaris Sidonii hic uti) quæ virum, ut scorpius, ultimâ sui parte percussit. Enimverò plerumque fortuna eos, quos plurimis beneficiis ornavit, ad duriorem casum reservat, ut ait Julius Cæsar, qui hoc ipsum gravissimo suo casu verum comprobavit. Nam dum Cyro similis esse quærit, Cyro similem invenit vitæ exitum. Siquidem qui terrarum orbem civili san-

guine

guine impleverat, (agnoscitis verba Flori) tandem ipse sanguine suo curiam implevit. Omninò enim, si ab orbe condito maximos & illustrissimos quosque bellatores, imperatoresq; citemus, paucos reperiemus, fato suo functos, quive incruentum vitæ finem habuerint. Ut quid enim? Fieri vix potest, ut tot innocentium fusus cruor, non illius, cujus culpa fusus est, cæde tandem expietur. Sed & ipsum, per se imperare, quam sit insidiis obnoxium, dum velut inter sacrum & saxum stant, hi, quos metuunt homines, Damocles Διονυσιοχόλαξ *loquitur, quem tamen Petronius maximus Imperator felicem prædicasse dicitur, quod non uno longius prandio regni necessitatem toleravisset. O vocem illius (quam idem Sidonius refert) magnopere attendendam! Verum enim in ipso eculeo docuit. Ecce alium ingemiscentem: misera est conditio Imperatorum, quibus de affectatâ tyrannide nisi occisis non potest credi! & alium rursus lamentantem, taliaq; ad milites, qui ipsum induerant purpurâ, proferentem: Nescitis amici, quid mali sit imperare. Gladii & tela nostris cervicibus impendent, imminent hastæ undique & spiculæ, ipsi custodes timentur, ipsi comites formidantur: non cibus pro voluptate, non iter pro auctoritate, non bella pro judicio, non arma pro studio. Adde quod omnis ætas in imperio reprehenditur. Senex est quispiam, inhabilis videtur: sin minus, ineptus furor. Et hic quidem uno veluti fasce verborum miserias imperantium complexus est, quas graphicè depingit, & magis fusè explicat apud Xenophontem Hiero tyrannus. Operæ precium verò fuerit ejus querimoniæ finem audire: Nimirum (inquit) si ulli alii, mi Simonides, laqueo vitam ut finiat expedit, equidem reperio maximè tyranni è re esse, ut id faciat. O hominis diu noctuq; sub cultro viventis confessionem lugubrem. Cui non absimili, est illa Claudii Cæsaris apud Suetonium in Senatu quiritatio, miserantis conditionem suam, cui nihil tuti usquam esset. Denique his omnibus Colophonem imponat Epitaphium istud Censorini, quem inter triginta tyrannos Trebellius Pollio enumerat:* Felix ad omnia infeliciſſimus Imperator. *Usque adeo è veri tripode profatus est Poëta:*

Ad generum Cereris sine cæde & sanguine pauci
Descendunt reges, & sicca morte tyranni.

DIXI.

PANEGYRIS XXXIIII.

Anni 1614.

RECTORE D. D. SCIPIONE GENTILI, JC.

INVITATIO AMPLISSIMI SENATUS NORIBERGENSIS,

RECITATA à JACOBO SCHLEICHER, Noribergensi.

Τῆς ἐξαιρέτου Φρονήσεως ὑμῶν ἔργον ἐστὶν, ὦ ἄνδρες εὐγενέστατοι καὶ μεγαλοπρεπεῖς, καθ' ἕκαστον ἔτος ἐν Αλτορφίῳ τὰς δημοσίας ἀναβάσεις γίνεσθαι. Πρῶτον μὲν, ἵνα πάντες τῷ θεῷ χάριν ὀφείλειν τῆς Ακαδημίας σωθείσης τε καὶ Φυλαχθείσης ἕνεκα: καὶ ἐπ' ἐκείνης τοιπὸν ἀσφαλείᾳ καὶ αὐξήσει πολλὰς ἱκεσίας ποιῶνται. Επειτα δ' ἵν' οἱ μὲν παιδόμενοι μᾶλλον, καὶ τὴν φιλεργίαν αὐτῶν τοῖς ἔργοις ἐνδεικνύμενοι νεανίσκοι βραβεῖα λαμβάνοιεν: οἱ δ' ἀμαθέστεροι καὶ ἀμελέστεροι τότων τῷ ζηλοῦν ὅτι μείζω φιλοπονίαν καὶ σπουδὴν ἐπιδεικνύονται.

Τότε δὴ χρόνου ἐγγίζοντος ἐπὶ δοκιμασίας τῶν νέων ἤδη ληφθείσης, ἐπὶ τῶν ἠθῶν ἐπὶ παιδευτῶν ἄλις ἐξητασμένων: ὁ τῆς Ακαδημίας ἡγεμὼν, καὶ πάντες οἱ ἀρχόμενοι ὑπ' αὐτῷ, τὴν τῆς μεγαλοπρεπείας ὑμῶν πρόθεσιν παρεσίαν: ἵνα τῇ ἡμέρᾳ τοῖς ἁγίοις Πέτρῳ τε καὶ Παύλῳ ἱερωθείσῃ, θεωμένων καὶ ξυνόντων ὑμῶν, τοῖς ἐφήβοις εὐθὺ τῶν βραβείων τυγχάνειν, καὶ εἰς ὑψηλοτέρας σχολὰς ἐγγράφεσθαι. Διὸ ἐπὶ ὑμᾶς, ὦ ἄνδρες εὐγενέστατοι, καὶ σύμπαντας τὴν τῆς Νωρίβεργης ἱερουσίαν ἱκετεύομεν, τὴν παλαιὰν ἔυνοιαν τὴν πρὸς ἡμᾶς καὶ πάντας τὰ γυμνασία διδασκάλους τε καὶ μαθητὰς ἐνδείκνυσθαι: καὶ φθίνοντος τότε μηνὸς τῇ ὑμετέρᾳ παρεσίᾳ τὴν σχολαστικὴν πανήγυριν λαμπροτέραν καθιστάναι.

Ταυτ'

Ταῦτ' ἐὰν (ὡς ἐλπίζομεν) πιθῆτε, καὶ φιάτας ὑμᾶς παρέχητε νῦν, οἵας περ ἐν τῷ παρελθόντι χρόνῳ: Τί χρὴ τῶν συμβησομένων δεῖ μακρολογεῖν; ὁ μὲν γὰρ βελτίους τῶν μαθητῶν, τοῖς ἀξιεπαίνοις ἐπιτηδεύμασιν ἐμμένοντες, τὴν ἑαυτῶν Φιλομάθειαν ἀναζωπυρήσουσιν: οἱ δὲ Φαυλότεροι τὴν τῶν βελτόνων ἀγωγὴν μὴ μόνον ἐπαινέσουσιν, ἀλλὰ καὶ μιμήσονται. οἱ δὲ διδάσκοντες τὰ παρ' αὐτῶν καλῶς ἀποκριτήσουσι, καὶ ἕνεκα δὲ τὴν ὑμετέραν ἀκαδημίαν αὐξηθήναι, καὶ εὐδαίμονα γενηθῆναι, πάντες ὑπισχνοῦσιν ἀποίσουσιν. ΕΙΡΗΚΑ.

ALIA INVITATIO EODEM ANNO, RECITATA PER PAULUM IM HOF, Patric. Noribergensem.

VUlgare & vetus dictum, & ab ethnico Philosopho Aristotele aliquoties iteratum: Omnia fieri propter finem aliquem. Nullum siquidem opus sive bonum sive malum illud sit, reperitur, cujus finem non spectet is, à quo suscipitur. Olitorem quippe si interroges, quid spectet tam sedulò sarculis rastrisq; glebas frangendo, plantasq; tenellulas rigando? respondebit certè: ut aliquid pecuniæ ex oleribus illis colligat, seq; suosq; curet. Si fluvium interroges, cur tam rapido & festino cursu sine intermissione currat? rursus finem suum esse respondebit: redire in mare, unde originem traxerit. Si arbores interroges, cur flores tam varios in vere protrudant? respondebunt: eo fine, ut autumno appropinquante, varii generis poma, variis usibus conducentia, producant.

Eundem in modum si adolescentes è meliore luto factos, inque Academiis versantes interroges: cur tanto impetu studia literarum excolant, nullis laboribus parcant, è lecto cum aurora se proripiant, lectiones auditas atque à præceptoribus inculcatas ruminent, bonorum authorum helluones sint, & eorum scripta magna cum aviditate evolvant, inque sanguinem succumq; convertant? Maximè verò, cur faciant, si interroges, ubi laborem suum recompensari, & publico encomio in multorum clarissimorum virorum præsentia celebrari videant? certè respondebunt, se id facere eum ob finem, ut aliquando opera & industria sua, tàm Ecclesiis quàm Rebuspub. usui & emolumento esse possint.

Quamob-

Quamobrem cum præterlapsis aliquot diebus P.C. Academiæ vestræ, Rector Magnificus unà cum suis adjunctis explorationem accuratam eruditionis & progressuum nostrorum instituerit, & non paucos ad bonarum artium scopum collimasse deprehenderit, eosq; dignos judicaverit, qui ad superiores classes vel ascenderent, vel classico jugo exemti, publicas deinceps lectiones auscultarent, atque adeo laborum suorum exantlatorum præmium, publicumq; testimonium in clarissimorum virorum præsentia ad penultimum hujus mensis diem reportent: Ideo Academiæ vestræ præsides summis precibus apud vos instare, & singulari studio à vobis contendere mihi mandarunt, ut ad prædictum diem, qui D. Petro & Paulo Apostolis consecratus est, nonnulli ex Amplissimo Senatorio numero Altorfii compareant, & perhonorifica præsentia sua præmiorum distributioni intersint, atque adeò tacito illo præconio ac applausu, quàm præmiorum illecebris, commilitonibus meis calcar adiiciant, ut majore impetu in literarum curriculo progrediantur, eodem conamine altiora, quæ restant adhuc, studia arripiant, & excusso torpore non prius cessent, usque dum literarum finem consecuti fuerint. Ut enim fruges aëris temperie & liquidiore cœlo uberius proveniunt, haud secus bonæ artes & eximia ingenia, benignitate, munificentia & humanitate superiorum evocantur: Contra verò sordibus & morositate eorum, qui ad clavum imperii sedent, restinguuntur & languescunt. Confidunt Academiæ vestræ præsides, P.C. vos prompto & lubenti animo id esse facturos, pro præclaro virtutum vestrarum erga Academiam suam affectu: tum pro insita erga literarum studiosos propensione, ut omnes deprehendere possint, tàm docentium quàm discentium cœtum maximè curæ vobis esse.

Nobis verò & cæteris commilitonibus nostris nunquam tantorum beneficiorum memoria animo effluet, sed grata mente ea subinde revolvemus, & in quascunque terras perventuri sumus, ad extremum usque vitæ halitum, Senatus Norici humanitatem & beneficentiam decantabimus. DIXI.

ORA-

ORATIO PRIMÆ CLASSIS,

RECITATA AB HIERONYMO LÖFELHOLTZ, Patricio Noribergensi.

MAllem equidem, Magnifice Domine Rector, partes has, abs te commendatas esse viro ætate maturo, qui & ingenio valeret ad dicendum, & usu quoque rerum ad explicanda indulgentiæ paternæ in liberos mala, quæ emblemate nostro producitur, in quo parentem, precibus impotentis filii compulsum, adnumerare ei pecuniam & hæreditatis paternæ partem conspicor, hoc est, furioso præbere gladium, quo se perimat, aut aspidem, cujus veneno pereat. Sensum clamat epiphonema: INDULGENTIA PERDIT. *Historiam prolixè sacræ paginæ, eamq; oculis honoratissimorum Hospitum subiiciet post prandium juventus Academica. Quid enim ego Adolescens hic dicam? Invehar oratione in parentes hujus seculi? ætati venerandæ & sanctissimo nomini injuriam facere, aut vim admovere vīdebor: contra sententiam etiam animi loqui: nihil enim gratius ætati nostræ accidere solet, quàm si parentes habeamus votis nostris, & cupiditatibus obsequentes, sicut ex adverso ringi solemus, atque expostulare, quasi iniquè nobiscum agatur, si rectius se nobis sapere, & commodis nostris melius providere posse, profiteantur. Obsistere porrò voluntati & jussui tuo, Rector Magnifice, impium juxta & indecorum censeo, itaque hoc potius agam, & de re gravi sic dicam, ut & rectè me institutum, & melius vulgo sentire, omnes quotquot adestis, Hospites honoratissimi, agnoscatis.*

Atque primùm illud fixum nobis constitutumq́ esto: non in manu parentum aut arbitrio positum, adeoq́ ἀυθαίρετον esse, amorem liberorum & prolis suæ aut usu demum vel præceptis comparari: Sed naturæ rerum parentis hoc opus esse, aut, si Euripidi fides, ipsius Dei; is videlicet Δεινὸν τι φίλτρον τέκνων ἔθηκε τοῖς ἀνθρώποις, *potens & vehemens philtrum indidit erga prolem hominibus, quod & Themistius, qui ab eloquentiæ flumine Χρυσόρρους cognomentum meritus est, agnovit, qui στοργὴν ἀξιέπαινον πάθος dicit* ἐνδιδόμενον ἐκ θεοῦ τῇ φύσει, *hoc est laude dignum affectum, ex cœlo desuper naturæ alligatum. Hic adfectus facit, ut liberos parentes ament, & plus etiam se aut oculis suis. Unde apud Oppianum;* φάος γλυκερώτερα τέκνα γονεῦσι, *liberi lumine oculorum dulciores dicuntur parentibus esse. Deinde ut commoda & salutem liberorum curæ habeant, & omnibus modis tuendam & defendendam suscipiant. Intra hos terminos si contineat sese amor, omni præconio dignus est: cum primum autem excœcat judicium, & transit in indulgentiam, sic ut omnia liberis permittant parentes, tum actum est de illis: nascitur enim primum ex indulgentia illa contemtus disciplinæ, & evilescit auctoritas præceptorum ac monitorum, quorum necessaria severitas subcumbit lenitati patriæ: hinc emergit audacia effrons, & impudens juxta ac impotens: audacia provocat libidinem quidvis agendi, quæ tandem miseram & incautam adolescentiam præcipitat atque demergit in exitium & perniciem. Parentes etiam tales stulti sui in liberos amoris pœnas tandem atroces & miserabiles pendunt. Exemplo sit Heli sacerdos in sacris, qui cum nimis delicatè filios suos amaret, & ad nequitiam eorum ac scelera conniveret, utrumque turbato mortalitatis ordine mortuum cognovit, & mox insecutus est, quodq́ sacerdotium in filios cum summa dignitate transferre debebat, Samueli cessit. Peccant autem hoc peccatum parentes duobus potissimum modis: delicatè nimis educando; & ad vitia ac delicta connivendo. Illo paulatim adsuefaciunt ad intemperantiam liberos,* συντεφρωμένη γὰρ ἡδονὴ παισὶν, *inquit Theano ad Eubulem,* ἀνηλάστους ποιεῖ, καὶ ὑπὸ τῆ τρυφῆς οἱ παῖδες ὕβριος καὶ πάσης ἀκρασίας κακίαν γεννήσωσι: *isto feneſtram ad omnem nequitiam aperiunt, & veluti manu ducunt. Nam quæ major illecebra peccandi, quàm spes impunitatis? Timor est qui continet & metus, tolle hoc repagulum, amove hunc obicem, & plenis invehetur velis improbitas, atque velut admissis equis lasciviet & decurret in sceleribus, tanquam in suo cir-*

suo circo. Atque hac quidem ratione in simias parentes hujusmodi degenerant, quæ sicut catulos suos arctiore complexu ferè enecant, ita illi semper-lenitate sua, liberos corrumpunt, & corruptos exitio tradunt. Fugiant igitur boni cordatiq, & filiorum suorum verè amantes parentes tàm enorme & immane vitium, quod elegantissimis versibus nervosissimè descripsit illustris Scaliger:

Commune patrum crimen indulgentia est,
Vultu paternæ caritatis se offerens.
Gnati, nepotis non coërcere impetus,
Et in ruinam subministrare omnia,
Affabile odium est, & tepens crudelitas.

Ex adversò autem honestæ institutionis rationem habeant, dum adhuc teneri liberi χλωρὸν, ut veteri Græcorum adagio dicitur, modicè alant, libertatem lasciviendi negent, necessitatem disciplinæ custodiant, teneros & imbecilles animos, ne luxu diffluant, terrore constringant: sic consequuntur, ut frugi sint, continentes, laudi magis quàm ludo dediti, & ad omnia sublimia totis viribus contendant: Quæ res parentibus senio confectis omnia ætatis tædia edulcare consuevit & nova subministrare robora, maximis etiam gaudiis eosdem afficere: Quid enim jucundius parentibus, quam virtus liberorum, ut disertissimus olim Judæorum Philo. Fridericum sanè tertium Imperatorem accepimus, cum Maximilianus filius, qui Patri in Imperio successit, in conspectu Electorum & Principum Imperii facundissima oratione se ipsis commendasset, eoque nomine Electores patri Imperatori gratularentur, & beatum tantæ indolis atque exspectationis filio prædicarent, præ gaudio flevisse & interiorem animi lætitiam lachrymis prodidisse, id quod aliis quoq; exemplis doceri posset, nisi me pudor meus & vestra, Auditores splendidissimi, dignitas dicendi facere finem & silere tandem juberet. DIXI.

ORATIO SECUNDÆ CLASSIS, RECITATA à LEONHARDO GRUNDHERRN, Patricio Noribergensi.



QVi Spartæ Phiditiis præerant, unum plurésve Helotas benè madidos vinoq́ obrutos, teſtante præter alios Plutarcho, producebant, ut deformitate rei ob oculos poſita, adoleſcentibus ad temperantiam calcar adderent. Idem veſtrum conſilium, eadem mens, Patres Ampliſſimi, ex hoc numiſmate elucet. Conſpicitur enim Baccho Veneriq́ inibi operatus perditus adoleſcens, qui ut ſeſe in hæc flagitia ingurgitârit, haud abs re fuerit paucis diſſerere. Etſi autem hinc pudor meus, hinc infantia ac balbuties linguam mihi ligant, ac ſilentium indicunt: antiquior tamen (ut par eſt) tua apud me Magnifice Domine Rector, authoritas, neque pudorem, velut attonitum, hærere, neque linguam, quaſi vinctam, intra fauces obſtupeſcere permittit. Perditus igitur iſte, de quo modo agitur, adoleſcens, portione ſua hæreditaria (hoc eſt gladio, quo ſeſe occideret) à parente accepta, ad exteros proficiſcitur. Ibi enim verò alacer ac geſtiens (ut qui ſe nunc demum ſuum ac liberum eſſe gratularetur) more juvenci indomiti, vel petulci hædi cæpit vitulari ac laſcivire, & in campo exſultare licentiæ. Quumque in exitium pronus ac præceps rueret, adeo nemo eum ſufflaminavit, ut contra reperirentur, qui ultrò ad perniciem currentem incitarẽt adulatores ac paraſiti, genus hominum, præ quo ſatius ducebat Antiſthenes olim, in corvos incidere. Hi enim

enim (inquit) tantummodò mortui corpus, at illi viventis animum corrumpunt. Istorum igitur sordibus aures adolescentis, ne quid salutare aut profuturum admitterent, obstruentibus, mox idem miserrimus perniciei candidatus ab iisdem in ganeum, hoc est, in maximam malam crucem abducitur, inibi vino lustrisq; conficiendus. Et jam turpia non solum delectant, sed etiam placent, desinitq; remedio esse locus, quum, quæ vitia fuerant, mores facta sunt:

Labitur interea res & vadimonia fiunt:
Languent officia, atque ægrotat fama vacillans.
Unguenta, & pulcra in pedibus Sicyonia rident
Scilicet, & grandes viridi cum luce Smaragdi
Auro includuntur, teriturque thalassina vestis
——————————Assiduè

& quæ apud Poëtam in eam sententiam sequuntur. Maxima autem ea ratio est, quod lupæ, calidæq; illæ Solis filiæ rapiunt & absumunt. Eæ immanissimæ bestiæ, quicquid sanguinis reliquum est, misero absorbent: quippe prædam nacti opimam, quam dum recens est, dum calet, cum Ballione Plautino devorare gestiunt. Itaque dum illis comis est, fit ipse inops amator. Res confit cito, quàm si tu obiicias formicis papaverem, ut ejusdem Comici verba usurpem. Nec mirum, quum nec illæ poscendi, nec hic largiendi ullum sibi vel modum vel terminum constituant: & alioquin (ut ait vetus Poëta nescio quis)

Ἔργον συναγαγεῖν σωρὸν ἐν πολλῷ χρόνῳ
Ἐν ἡμέρᾳ δὲ μιᾷ διαφορῆσαι ῥᾴδιον.
Congerere acervum spissus est nimium labor.
Ac dissipari facilis hic uno die.

Atque hoc maximè modo adolescens moritur, dum valet, sentit, sapit: situ corpus corrumpit, vires Venere ac vino enervantur, vis ingenii consenescit, animus luxuria diffluit, marsupio verò omnis anima intertrahitur. O igitur ex ipso veri sacrario prolatam hanc inscriptionem: DULCE VENENUM! *Enimverò voluptates istas pestiferas, non temerè Romanus sapiens assimilavit latronibus, quos Philetas (inquit) Ægyptii vocant, quique in hoc amplexantur viatores, ut strangulent. Nobis ô adolescentuli æquales, nobis præcipuè hæc talia ingeruntur: nostrum enim ferrum in igne*

est, nostra res agitur. Utut auribus firmissimo spissamento obturatis, remis velisq; properemus, vix tamen est, ut harum Sirenum pernicios issimas illecebras, & illecebrosissimam perniciem effugiamus: ut scopulos ætatis tuti prætervehamus, ut in portum incolumes appellamus. Cæterum jam tempus videtur, ut quoniam huic Venereo nepotulo nihil reliqui est, qui luxuriam alat, ei detur gnata hujus inopia, qui cum ætatem exigat. Eja igitur, qui hactenus Epicuri de grege porcum egisti, jam jam ad tuos porcos abi, communi cum eis cibo alendus, ut fiat illud: Ἄξια ἡ κύων τῆς ἑρμάτης: Digna est canis hoc cibo. DIXI.

ORATIO TERTIÆ CLASSIS, RECITATA AB ABRAHAMO Gioluckovvsky, Polono.



QUod Virgilius olim de Hectore suo Æneam loqui facit in somnis ipsi oblato:

Heu mihi, qualis erat, quantum mutatus ab illo
Hectore:

Id ego de Adolescente hoc nostro, quem in brabeo meo porcorum furfuribus saginari & infelicem in vitam trahere conspicor, optimo jure usurpare posse videor. Quæ enim illa tam subita Metamorphosis? Cincinnatulum & calamis[tratum] Adolescentem, serico byssoq; vestitum, peregrini muris olen[tibus] delliis unguenta, auro textili tortilique nitidum, gemmas & monilia

monilia floresq; sertos & solutos calcantem, inter delicatissimas puellas fotum nutricatumq;, & ambrosiâ tantum non ac nectare pastum, subito desertum ab omnibus & seminudum in abjectissimas istas sordes præcipitatum, ut omnis consilii inops, omnium rerum egenus, subulcum jam agat, & nec mucido pane, sed fursuribus tantum vitam tolerare ac sustentare necesse habeat. O lugendam & nunquam satis deflendam rerum vicissitudinem: ô triste fatum, ô inexspectatam miseriam. At verò caussas ejus tribus verbis indicatas in Donarii mei ambitu video, quæ sunt: SORS DIGNA LABORUM. *Attigit etiam eas æqualis meus, qui ante me dixit. Hi videlicet, Auditores, sunt fructus ἰωασίμα μελικράτε lethalis mulsi, sive μελιτίνης ἀγχόνης mellea præfocationis, ut Diogenes vocare solebat, quam præbere solet imperitæ adulescentiæ voluptas. Sic illa oculos delectat, sic aures demulcet, sic ventrem distendit: sed & mentem unâ operâ inquinat, consilium auffert, rationem excæcat, & ne unquam resipiscat, potione inflammat usquq; incendit. Hæc est illâ fundi nostri calamitas: gurges & vorago patrimoniorum: mare illud in quo tot miseri adolescentes famæ salutis & reculatum omnium naufragium fecêre. Juvenilis intemperantia, quæ vel à parentum fluit indulgentiâ, vel, ut alga saxis, pravorum accrescit sodalitiis, corpus succiplenum vel exsugit & enecat in vigore, vel effœtum tradit senectuti: quæ cum ipsa per se morbus sit, additamentum miseriæ habet, quando corpus quoque morbidum & omnibus impuritatibus marcidum sortitur. Accidit deinde egestas alienissimo tempore, decocto laceratoq; aleâ, ventre, manu, per solutam adolescentiam, patrimonio: nec solatium ab amicis, quos turpi infamiq; vitâ repulêre dudum, & fecerunt ex amicis inimici ut essent. Tum demum, sed ut plurimum sera sequitur pœnitentia, quæ ad flumen aut restim vocat; tum conscius anteactæ vitæ animus evigilat: quo*

Occultum quatiente intus tortore flagellum
Attoniti trepidant, ac surdo verbere cæsi
Agnoscunt veteres, nullo ignoscente, reatus.

Neque vel dum finis miseriarum est, sed via tantum & gradus ad ultimum illud & horrendum judicium, quo res actionesq; humanæ ad ignem purgabuntur, & in media collocabuntur luce: ubi divortium faciet proborum & improborum justissimus illerum arbiter, & tremendam illam damnationis vocem audire cogentur voluptatum illæ victimæ & omnis libidinis ho-

nis hostiæ ac prostibula. O horribilem sortem, sed convenientem tamen meritis & vitæ tali. Quam ne experiamur, summa nobis debet esse cautio, ô optimi Adolescentes, itaque quantum possumus, à lubrico recedamus, nam & in sicco parum firmiter statur. Verè autem in lubrico nostra versatur ætas. Blanditur hinc materni affectus vehementia, ridet inde voluptatis dulcedo & invitat, incitant & impellunt prava sodalitia, suadent aut certè delictum extenuant exempla, occasiones denique rapiunt & proritant. Una revocat virtus, sed lege durâ ac severâ, quam quotus quisque nostrum est, qui monentem audiat. Nos verò & ea, quæ diximus, revocent mala. Nam si quis eò se munire velit, ut ad frugem redire tandem cum adolescente nostro se posse cogitet, vereor ego valde, ne frustra sit, terret enim me nescio quomodo vox Beati illius Patris, maledictum eum proclamantis, qui florem juventutis Diabolo, fecem ævi aut senectutis Deo ac virtuti consecrare parùm prudèter præsumat. Voluptas sanè, quem semel comprehendit, non facilè amittit iterum, in hoc amplectitur ut strangulet, rotat ac torquet ut libet, haud aliter quàm scarabæi locum quendam in Olyntho Thraciæ ingressi tamdiu gyrari agitarique solent, donec egredi nequeunt. Sed miseris voluminibus circumacti tandem immoriuntur. Principiis igitur obsistendum, temperantia in victu, vigilantia & industria in expediendis iis, quæ nostri sunt officii, cautelâ in fugiendo occasiones, denique, quod utramque penè paginam nobis unum faciet, ardore in invocando auxilio divino: sic sentiemus tandem id, quod vulgò absurdum semper visum: Maximam videlicet voluptatem in prætermittendis voluptatibus esse.

DIXI.

ORA-

ORATIO QUARTÆ CLASSIS, RECITATA à JOHANNE MAURICIO, Altorphino.

ME vero, Magnifice Domine Rector, etiam atque etiam juvat inspicere hoc numisma. Neq; tam argenti fulgor perstringit oculos, quam animum permulcet effigies, spectandam exhibens historiam filii perditi, à patre, postquam ad bonam mentem miseriis condocefactus rediit, in gratiam recepti. Enimverò filius iste perditus graphicè nobis depingit ipsum Hominem: qui felicitatis suæ in Paradiso decoctor, quum naufragium inibi salutis, quasi patrimonii fecisset: ad hæc ultima malorum redactus est. Quod ipsum innuens Plato (neque enim magnis ingeniis inter paganos defuit resplendentia veritatis, ut loquitur Beatus Augustinus) ait: animam in hisce rebus infimis turpiter repere ac volutari, materiæq; adhærescere: quoniam ipsa sibi confregerit alas, quibus à Deo prædita fuerat. En igitur verè filium perditum, qui helluato patrimonio, in porcorum contubernio contabescat? Hunc igitur miserrimum statumquomodo, alis recuperatis, exsuere possit anima: porro filius idem exemplo suo nobis præit. Namque is miseriis coopertus, circumspectis rebus suis omnibus, rationibusq; subductis, summam fecit cogitationum suarum. Inde patrem supplex adit: peccasse sese quàm humilimè fatetur: atque ut inter mercenarios saltem sibi locus sit, rogat. Nec mora: plus quàm optaverat, ac petere ausus fuerat, à parente benignissimo consequitur. Tale scilicet, tamq; incomparabile bonum POENITENTIA *est:*

quam (verbis Lactantii) Deus imbecillitatem nostram sciens, pro suâ pietate aperuit homini portum salutis. Tunc ergò justi sumus, quum nos peccatores fatemur: & justitia nostra non ex proprio merito, sed ex Dei consistit misericordiâ, ut benè ait Beatus Hieronymus, libro primo adversus Pelagianos: eademq; instillat Beatus Augustinus in Psalmum tricesimum octavum, & libro de naturâ & gratiâ capite tricesimo sexto: qui idem & in centesimum decimum psalmum, pœnitentiam indulgentiæ portum, ad quem prora est convertenda, ut ad justitiam velificemus, sanè quàm eleganter usurpat.

Agite igitur, nos quoque, miseriis nostris aurem nobis pervellentibus, accurramus ad Patrem cœlestem, qui ultrò obvius nos supplices amplectetur, dummodò verè & ex animo pœnitentiam egerimus. Neque enim pœnitentia dicenda est, quæ quam deprecatur culpam, iterare cogitat. D I X I.

GRATIARUM ACTIO,

RECITATA AB HIERONYMO MARQUARDO FREHER, Noribergensi.

Rectè tu quidem præcipis, Magnifice Dn. Rector, & officio nostro convenienter: Ubi enim merita in luce mediâ posita sunt, ibi vox ipsa naturæ, ut nihil de sapientum monitis dicam, gratiarum actionem requirit. Cæterum ut hæc rectè instituatur, meritorum ratio prius expendenda venit, cui illa accommodari debet. Illud judicii est, hoc posterius adfectus: Jam verò ea est mei judicii imbecillitas, ut vim atque magnitudinem meritorum hujus diei nequaquam capere aut ingenii mei angustiâ complecti possim; unde sicut summus dolor & acutissimus silētio prodi solet, ita hic infantia mea magnitudinem beneficiorum meritorumq; cumulum arguet. Nam ut à Deo optimo maximo initium faciam, si nec Socratis oculus, nec Platonis studium, nec Aristotelis ingenium majestatem & bonitatem numinis complecti potuere, quid ego consequar Adolescens? qui ad splendorem supremi hujus Entis ne oculos quidem levare, sine metu cæcitatis audeo. Quidquid video tamen, quicquid audio, quicquid sensibus percipio, quidquid intellectu contemplor, id omne Dei munus est, hæc lux quam cernimus, hic spiritus, quem trahimus, hic

mus, hic aër, quem haurimus, hæc vita, quam vivimus, hæ literæ, quas discimus, è manu Dei sunt, & ineffabili erga nos homines affectu, atque hic insaniorem esse puto eum, qui verbis hæc assequi se posse speret, illo, qui referre pro illis gratiam condignam præsumat.

Perge, sis, ô Deus, & deinceps nobis quoque eundem vultum ostende, serva nobis & protege magnificum & amplissimum Reipublicæ Noribergensis Senatum, Academiæ hujus Patres & Fundatores benignissimos, Doctores etiam & Præceptores ejusdem celeberrimos, quorum virtute & doctrina nititur Academia, caputq; celsum cœlo tollit. Sic stabit rectus & verus de te sensus, purus & illibatus tui numinis vigebit cultus, florebit & germinabit religio, pax publica conquiescet suaviter, barbarie pulsâ literæ, virtus & probitas dignitatem obtinebunt, & grata tibi ac nobis salutaria dicentur & fient.

A Deo ad vos me converto, Viri magnifici, nobilissimi, amplissimi, inclytæ Norimbergensis Reipublicæ Senatores splendidissimi, & Academiæ nostræ Scholarchæ meritissimi, Domini & Mecœnates benignissimi, quorum virtutes oratione adsequi & beneficia verbis complecti paris est difficultatis: Illæ enim, ut spatia orbis terrarum dudum sunt egressæ, & ibi solum ignorantur, ubi homines; sic hæc ita obvia sunt, ita magna, ita numerosa, ut qui adtingere ea dicendo velit, deterat ingenii inopia, qui oratione complecti, Anticyras relegandus ad helleborum videatur. Vel hic hodiernus dies loquatur, quæ in nos feciſtis benè. Curiam vestram, quam rectè Germaniæ oraculum appellem, nostrâ causa deseruiſtis, res imperii nostro honori posthabuiſtis, honoratissimos hospites vobis adjunxiſtis, munificentiâ regia nos locupletâſtis, & quod nobis palmarium esse debet, studia nostra favore & approbatione vestra incendiſtis. Pergite, quæsumus, deinceps vestri similes esse, Viri maximi, quique animi magnitudine jam reges & principes imitari didiciſtis, eorumq; inſtituta hactenus probaſtis (quod vestra hæc clamat Academia regiis planè sumtibus introducta, & iisdem in hunc usque diem conservata) eos voluntatis perpetuitate quoque exæquate, sic amplissimæ laudi vestræ atque meritissimis præconiis maximus cumulus accedet.

Tibi porrò, Magnifice Domine Rector, vobis reverendi, clarissimi doctissimi omnium facultatum & ordinum Professores, quibus verbis, quo orationis flumine satisfaciemus? Ita de nobis semper hodieq; meriti estis, ut parum

posse, omnia debere vestra causa lubentes volentes ultrò profiteamur. Spes igitur nostras, animos, & quidquid tandem futuri sumus, vobis devovemus, spondemusq; nos virtutis dignitatis & meritorum vestrorum præcones indefessos & minimè malignos in perpetuum futuros.

Quid tandem vobis reponamus, Hospites nobilissimi, honoratissimi & spectatissimi, qui honoris nostri causa ex urbe & aliunde confluxistis, & quid de literis ac honestis artium liberalium studiis sentiatis, tam luculento opere testatum feciſtis. Parum dixero, si voluntatis promptitudinem, si animi nostri observantiam, si studium & favorem in commendanda hac vestra in nos benevolentia, vobis detulero. Sed tamen istud parum, cum alia nunc non reperiamus, spero vobis non ingratum fore, utq; spe mea non fallar maximo vos opere quæso.

Vobis denique nobilissimi & doctissimi Domini Studiosi, qui hujus promotionis nostræ arbitri & spectatores item fuistis benevolentissimi, quique, ut Milesii olim, fuistis fortes, & adclamatis nobis, qui esse incipimus: pro hoc animo, pro hac comitate plurimum nos obstrictos fatemur: rationem tamen, qua nos expediamus, nunc quidem non reperimus. Deum autem veneramur, ut occasionem nobis in manus det, quâ vestræ humanitati plenè & ad votum utrimque satisfaciamus. Interim hac obvia & peramicâ gratiarum actione uti contenti sitis, per adolescentem virtutem vestram vos obsecramus & obtestamur. D I X I.

PANE-

XXXIX. PANEGYRIS, Anni 1615.

RECTORE D. D. CASPARO HOFMANNO, MEDICO.

INVITATIO AMPLISSIMI SENATUS NORIBERGENSIS,

RECITATA à TOBIA FÜRLEGER, *Noribergensi.*

Πολλὰ μὲν ὦ τὰ ὑμέτερας πολιτείας ἄρχοντες, ὦ ἄνδρες ἐγγενέσθαι καὶ φρονιμώτατοι, κατορθώκεναι, ὥστε ἢ μηδενὸς πώποτε πράγματος ἄμεινον βεβουλεῦσθαι δοκεῖν ἢ ὥστε τὰ Ακαδημίας κτίσεως, καὶ ἕως ἄρτι κατὰ τὸ δυνατὸν διακοσμήσεως. Εἶτα ἢ καὶ τοῦτο μέγιστον τὰ ὑμέτερας φρονήσεως τεκμήριον ἔστιν, ὅτι καθ' ἕκαστον ἔτος, ἐν τῇ Ακαδημίᾳ ὑμῶν, ἀνάκρισις γίνεται τῶν μαθητῶν καὶ μὴ παύτων οἱ ἐν τῷ ζητεῖν καὶ φροντίζειν τὸν πλεῖστον χρόνον διατρίψαντες, καὶ τὴν ἑαυτῶν φρόνησιν ἐπιδεικνύμενοι, βραβεῖα λαμβάνουσι, καὶ εἰς τὰς ἀνωτέρας συμμορίας μεθίστανται. Τῆς δὲ τοιαύτης δοκιμασίας ἤδη λειφθείσης, καὶ τὰ ἀκαδημικῆς πανηγύρεως ἐγγὺς ὄσης, ὁ μεγαλοπρεπὴς καὶ φρονιμώτατος ὑμῶν κυβερνήτης, καὶ οἱ ἄλλοι σοφώτατοι διδάσκαλοι πρέσβεις ὑμᾶς ἀπέστειλαν, ὅπως τὴν ὑμετέραν μεγαλοπρέπειαν καὶ ὅλως τὴν λαμπροτάτην τὰ Νωρικῆς πόλεως ἀρχοσίαν, εἰς τὴν ἐν Αλτορφίῳ πανήγυριν, ἐν τῇ ἑορτῇ Πέτρου τε καὶ Παύλου τῶν ἀποστόλων, σὺν ἐντῷ καὶ Θεῷ γενησομένην, παρακαλέσωμεν.

Ουκ ἄν, ὦ βουλευταὶ ἐξοχώτατοι, τὰ ὑπεροχῆς ὑμῶν δεόμεθα καὶ ἱκετεύομεν ἐν τῇ ῥηθείσῃ ἡμέρᾳ εἰς ἀκαδημίαν παρέρχεσθαι, καὶ τὰς μὲν δημοσίας ἐπαναβάσεις χωρεῖν, τὰς δὲ τῶν νεανίσκων διαλέξεις ἀκούειν εὐμενῶς μὴ ἀπαξιῶσαι.

est, nostra res agitur. Utut auribus firmissimo spissamento obturatis, remis velisq; properemus, vix tamen est, ut harum Sirenum perniciosissimas illecebras, & illecebrosissimam perniciem effugiamus: ut scopulos ætatis tuti prætervehamus, ut in portum incolumes appellamus. Cæterum jam tempus videtur, ut quoniam huic Venereo nepotulo nihil reliqui est, qui luxuriam alat, ei detur gnata hujus inopia, qui cum ætatem exigat. Eja igitur, qui hactenus Epicuri de grege porcum egisti, jam jam ad tuos porcos abi, communica cum eis cibo alendus, ut fiat illud: Ἀξία ἡ κύων τῆς βρώσεως: *Digna est canis hoc cibo.* DIXI.

ORATIO TERTIÆ CLASSIS, RECITATA AB ABRAHAMO Gioluckovvsky, Polono.



QVod Virgilius olim de Hectore suo Æneam loqui facit in somnis ipsi oblato:

Heu mihi, qualis erat, quantum mutatus ab illo
Hectore?

Id ego de Adolescente hoc nostro, quem in brabeo meo porcorum furfuribus saginari & infelicem ita vitam trahere conspicor, optimo jure usurpare posse videor. Quæ enim illa tam subita Metamorphosis? Cincinnatulum & calamistratum Adolescentem, serico byssoq; vestitum, peregrini muris olentem pelliculas & bdellii unguenta, auro textili tortiliq; nitidum, gemmas & monilia

monilia floresq; sertos & solutos calcantem, inter delicatissimas puellas fotum nutricatumq;, & ambrosiâ tantum non ac nectare pastum, subito desertum ab omnibus & seminudum in abjectissimas istas sordes præcipitatum, ut omnis consilii inops, omnium rerum egenus, subulcum jam agat, & nec mucido pane, sed furfuribus tantum vitam tolerare at sustentare necesse habeat. O lugendam & nunquam satis deflendam rerum vicissitudinem: ô triste fatum, ô inexspectatam miseriam. At verò caussas ejus tribus verbis indicatas in Donarii mei ambitu video, quæ sunt: SORS DIGNA LABORUM. *Attigit etiam eas æqualis meus, qui ante me dixit. Hi videlicet, Auditores, sunt fructus θανασίμω μελικράτε lethalis mulsi, sive μελιτίνης ἀγχόνης mellea præfocationis, ut Diogenes vocare solebat, quam præbere solet imperitæ adulescentiæ voluptas. Sic illa oculos delectat, sic aures demulcet, sic ventrem distendit: sed & mentem unâ operâ inquinat, consilium auffert, rationem excæcat, & ne unquam resipiscat, potione inflammat usuq; incendit. Hæc est illa fundi nostri calamitas: gurges & vorago patrimoniorum: mare illud in quo tot miseri adolescentes famæ salutis & reculârum omnium naufragium fecêre. Juvenilis intemperantia, quæ vel à parentum fluit indulgentiâ, vel, ut alga saxis, pravorum accrescit sodalitiis, corpus succiplenum vel exsugit & enecat in vigore, vel effœtum tradit senectuti: quæ cum ipsa per se morbus sit, additamentum miseriæ habet, quando corpus quoque morbidum & omnibus impuritatibus marcidum sortitur. Accidit deinde egestas alienissimo tempore, decocto laceratoq; aleâ, ventre, manu, per solutam adolescentiam, patrimonio: nec solatium ab amicis, quos turpi infamiq; vitâ repulêre dudum, & fecerunt ex amicis inimici ut essent. Tum demum, sed ut plurimum sera sequitur pœnitentia, quæ ad flumen aut restim vocat; tum conscius anteactæ vitæ animus evigilat: quo*

Occultum quatiente intus tortore flagellum.
Attoniti trepidant, ac surdo verbere cæsi
Agnoscunt veteres, nullo ignoscente, reatus.

Neque vel dum finis miseriarum est, sed via tantum & gradus ad ultimum illud & horrendum judicium, quo res actionesq; humanæ ad ignem purgabuntur, & in media collocabuntur luce: ubi divortium faciet proborum & improborum justissimus ille rerum arbiter, & tremendam illam damnationis vocem audire cogentur voluptatum illæ victimæ & omnis libidinis ho-

nis hostiæ ac prostibula. O horribilem sortem, sed convenientem tamen meritis & vitæ tali. Quam ne experiamur, summa nobis debet esse cautio, ô optimi Adolescentes, itaque quantum possumus, à lubrico recedamus, nam & in sicco parum firmiter statur. Verè autem in lubrico nostra versatur ætas. Blanditur hinc materni affectus vehementia, ridet inde voluptatis dulcedo & invitat, incitant & impellunt prava sodalitia, suadent aut certè delictum extenuant exempla, occasiones denique rapiunt & proritant. Una revocat virtus, sed lege durâ ac severâ, quam quotus quisque nostrum est, qui monentem audiat. Nos verò & ea, quæ diximus, revocent mala. Nam si quis eò se munire velit, ut ad frugem redire tandem cum adolescente nostro se posse cogitet, vereor ego valde, ne frustra sit, terret enim me nescio quomodo vox Beati illius Patris, maledictum eum proclamantis, qui florem juventutis Diabolo, fecem ævi aut senectutis Deo ac virtuti consecrare parùm prudèter præsumat. Voluptas sanè, quem semel comprehendit, non facilè amittit iterum, in hoc amplectitur ut strangulet, rotat ac torquet ut libet, haud aliter quàm scarabæi locum quendam in Olyntho Thraciæ ingressi tamdiu gyrari agitarique solent, donec egredi nequeunt. Sed miseris voluminibus circumacti tandem immoriuntur. Principiis igitur obsistendum, temperantia in victu, vigilantia & industria in expediendis iis, quæ nostri sunt officii, cautelâ in fugiendo occasiones, denique, quod utramque penè paginam nobis unum faciet, ardore in invocando auxilio divino: sic sentiemus tandem id, quod vulgò absurdum semper visum: Maximam videlicet voluptatem in prætermittendis voluptatibus esse.

DIXI.

ORA-

ORATIO QUARTÆ CLASSIS, RECITATA à JOHANNE MAURICIO, Altorphino.

ME vero, Magnifice Domine Rector, etiam atque etiam juvat inspicere hoc numisma. Neq; tam argenti fulgor perstringit oculos, quàm animum permulcet effigies, spectandam exhibens historiam filii perditi, à patre, postquam ad bonam mentem miseriis condocefactus rediit, in gratiam recepti. Enimverò filius iste perditus graphicè nobis depingit ipsum Hominem: qui felicitatis suæ in Paradiso decoctor, quum naufragium inibi salutis, quasi patrimonii fecisset: ad hæc ultima malorum redactus est. Quod ipsum innuens Plato (neque enim magnis ingeniis inter paganos defuit resplendentia veritatis, ut loquitur Beatus Augustinus) ait: animam in hisce rebus infimis turpiter repere ac volutari, materiæq; adhærescere: quoniam ipsa sibi confregerit alas, quibus à Deo prædita fuerat. En igitur verè filium perditum, qui helluato patrimonio, in porcorum contubernio contabescat? Hunc igitur miserrimum statum quomodo, alis recuperatis, exsuere possit anima: porro filius idem exemplo suo nobis præit. Namque is miseriis coopertus, circumspectis rebus suis omnibus, rationibusq; subductis, summam fecit cogitationum suarum. Inde patrem supplex adit: peccasse sese quàm humilimè fatetur: atque ut inter mercenarios saltem sibi locus sit, rogat. Nec mora: plus quàm optaverat, ac petere ausus fuerat, à parente benignissimo consequitur. Tale scilicet, tamq; incomparabile bonum POENITENTIA *est:*

quam (verbis Lactantii) Deus imbecillitatem nostram sciens, pro suâ pietate aperuit homini portum salutis. Tunc ergò justi sumus, quum nos peccatores fatemur: & justitia nostra non ex proprio merito, sed ex Dei consistit misericordiâ, ut benè ait Beatus Hieronymus, libro primo adversus Pelagianos: eademq; instillat Beatus Augustinus in Psalmum tricesimum octavum, & libro de naturâ & gratiâ capite tricesimo sexto: qui idem & in centesimum decimum psalmum, pœnitentiam indulgentiæ portum, ad quem prora est convertenda, ut ad justitiam velificemus, sanè quàm eleganter usurpat.

Agite igitur, nos quoque, miseriis nostris aurem nobis pervellentibus, accurramus ad Patrem cœlestem, qui ultrò obvius nos supplices amplectetur, dummodò verè & ex animo pœnitentiam egerimus. Neque enim pœnitentia dicenda est, quæ quam deprecatur culpam, iterare cogitat. DIXI.

GRATIARUM ACTIO,

RECITATA AB HIERONYMO MARQUARDO FREHER, Noribergensi.

Rectè tu quidem præcipis, Magnifice Dn. Rector, & officio nostro convenienter: Ubi enim merita in luce mediâ posita sunt, ibi vox ipsa naturæ, ut nihil de sapientum monitis dicam, gratiarum actionem requirit. Cæterum ut hæc rectè instituatur, meritorum ratio prius expendenda venit, cui illa accommodari debet. Illud judicii est, hoc posterius adfectus: Jam verò ea est mei judicii imbecillitas, ut vim atque magnitudinem meritorum hujus diei nequaquam capere aut ingenii mei angustiâ complecti possim; und eſicut summus dolor & acutissimus silētio prodi solet, ita hic infantia mea magnitudinem beneficiorum meritorumq; cumulum arguet. Nam ut à Deo optimo maximo initium faciam, si nec Socratis oculus, nec Platonis studium, nec Aristotelis ingenium majestatem & bonitatem numinis complecti potuere, quid ego consequar Adolescens? qui ad splendorem supremi hujus Entis ne oculos quidem levare, sine metu cæcitatis audeo. Quidquid video tamen, quicquid audio, quicquid sensibus percipio, quidquid intellectu contemplor, id omne Dei munus est, hæc lux quam cernimus, hic spiritus, quem trahimus, hic

mus, hic aër, quem haurimus, hæc vita, quam vivimus, hæ literæ, quas discimus, è manu Dei sunt, & ineffabili erga nos homines affectu, atque hic insaniorem esse puto eum, qui verbis hæc assequi se posse speret, illo, qui referre pro illis gratiam condignam præsumat.

Perge, sis, ô Deus, & deinceps nobis quoque eundem vultum ostende, serva nobis & protege magnificum & amplissimum Reipublicæ Noribergensis Senatum, Academiæ hujus Patres & Fundatores benignissimos, Doctores etiam & Præceptores ejusdem celeberrimos, quorum virtute & doctrina nititur Academia, caputq; celsum cœlo tollit. Sic stabit rectus & verus de te sensus, purus & illibatus tui numinis vigebit cultus, florebit & germinabit religio, pax publica conquiescet suaviter, barbarie pulsâ literæ, virtus & probitas dignitatem obtinebunt, & grata tibi ac nobis salutaria dicentur & fient.

A Deo ad vos me converto, Viri magnifici, nobilissimi, amplissimi, inclytæ Norimbergensis Reipublicæ Senatores splendidissimi, & Academiæ nostræ Scholarchæ meritissimi, Domini & Mecænates benignissimi, quorum virtutes oratione adsequi & beneficia verbis complecti paris est difficultatis: Illæ enim, ut spatia orbis terrarum dudum sunt egressæ, & ibi solum ignorantur, ubi homines; sic hæc ita obvia sunt, ita magna, ita numerosa, ut qui adtingere ea dicendo velit, deterat ingenii inopia, qui oratione complecti, Anticyras relegandus ad helleborum videatur. Vel hic hodiernus dies loquatur, quæ in nos feciſtis benè. Curiam vestram, quam rectè Germaniæ oraculum appellem, nostrâ causa deseruistis, res imperii nostro honori posthabuistis, honoratissimos hospites vobis adjunxistis, munificentiâ regia nos locupletâstis, & quod nobis palmarium esse debet, studia nostra favore & approbatione vestra incendistis. Pergite, quæsumus, deinceps vestri similes esse, Viri maximi, quique animi magnitudine jam reges & principes imitari didicistis, eorumq; instituta hactenus probastis (quod vestra hæc clamat Academia regiis planè sumtibus introducta, & iisdem in hunc usque diem conservata) eos voluntatis perpetuitate quoque exæquate, sic amplissimæ laudi vestræ atque meritissimis præconiis maximus cumulus accedet.

Tibi porrò, Magnifice Domine Rector, vobis reverendi, clarissimi doctissimi omnium facultatum & ordinum Professores, quibus verbis, quo orationis flumine satisfaciemus? Ita de nobis semper hodieq; meriti estis, ut parum

posse, omnia debere vestra causa lubentes volentes ultrò profiteamur. Spes igitur nostras, animos, & quidquid tandem futuri sumus, vobis devovemus, spondemusq́ nos virtutis dignitatis & meritorum vestrorum præcones indefessos & minimè malignos in perpetuum futuros.

Quid tandem vobis reponamus, Hospites nobilissimi, honoratissimi & spectatissimi, qui honoris nostri causa ex urbe & aliunde confluxistis, & quid de literis ac honestis artium liberalium studiis sentiatis, tam luculento opere testatum feciſtis. Parum dixero, si voluntatis promptitudinem, si animi nostri observantiam, si studium & favorem in commendanda hac vestra in nos benevolentia, vobis detulero. Sed tamen istud parum, cum alia nunc non reperiamus, spero vobis non ingratum fore, utq́ spe mea non fallar maximo vos opere quæso.

Vobis denique nobilissimi & doctissimi Domini Studiosi, qui hujus promotionis nostræ arbitri & spectatores item fuistis benevolentissimi, quique, ut Milesii olim, fuistis fortes, & adclamatis nobis, qui esse incipimus: pro hoc animo, pro hac comitate plurimum nos obstrictos fatemur: rationem tamen, qua nos expediamus, nunc quidem non reperimus. Deum autem veneramur, ut occasionem nobis in manus det, quâ vestræ humanitati plenè & ad votum utrimque satisfaciamus. Interim hac obvia & peramicâ gratiarum actione uti contenti sitis, per adolescentem virtutem vestram vos obsecramus & obtestamur. DIXI.

PANE-

XXXIX. PANEGYRIS, Anni 1615.

RECTORE D. D. CASPARO HOFMANNO, MEDICO.

INVITATIO AMPLISSIMI SENATUS NORIBERGENSIS,

RECITATA à TOBIA FÜRLEGER, Noribergensi.

Πολλὰ μὲν ὦ τὴν ὑμετέρας πολιτείας ἄρχοντες, ὦ ἄνδρες σύγκλητοι καὶ Φρονιμώτατοι, κατωρθωκέναι, ὥστε ἢ μηδενὸς πώποτε πράγματος ἄμεινον βεβουλεῦσθαι δοκεῖν ἢ ὥστε τὴν Ακαδημίας ἵδρυσιν, καὶ ἕως ἄρτι τὸ δυνατὸν διακοσμηθείσης. Εἶτα ἢ καὶ τοῦτο μέγιστον τὴν ὑμετέρας Φρονήσεως τεκμήριον ἐστιν, ὅτι καθ' ἕκαστον ἔτος, ἐν τῇ Ακαδημίᾳ ὑμῶν, ἀνάκρισις γίνεται τῶν μαθητῶν καὶ μὴ παύεται οἱ ἐν τῷ ζητεῖν καὶ Φροντίζειν τὸν πλεῖστον χρόνον διατρίψαντες, καὶ τὴν ἑαυτῶν Φρόνησιν ἐπιδεικνύμενοι, βραβεῖα λαμβάνωσι, καὶ εἰς τὰς ἀνωτέρας συμμορίας μεθίστανται. Τῆς δὲ τοιαύτης δοκιμασίας ἤδη λειφθείσης, ἡ τὴν ἀκαδημικῆς πανηγύρεως ἐγγὺς ἦσης, ὁ μεγαλοπρεπὴς ἡ Φρονιμώτατος ὑμῶν κυβερνήτης, καὶ οἱ ἄλλοι σοφώτατοι διδάσκαλοι πρέσβεις ὑμᾶς ἀπέστειλαν, οἵτινες τὴν ὑμετέραν μεγαλοπρέπειαν ἐπ' ὄλως τὴν λαμπροτάτην τῆς Νωρεμβέργης πόλεως χορείαν, εἰς τὴν ἐν Αλτορφίῳ πανήγυριν, ἐν τῇ ἑορτῇ Πέτρου τε καὶ Παύλου τῶν ἀποστόλων, σύνεσιν τοῦ Θεοῦ γενησομένην, παρακαλέσωσιν.

Ουκ οὖν, ὦ βουλευταὶ ἐξοχώτατοι, τὴν ὑπεροχὴν ὑμῶν δεόμεθα ἐπικτείνωμεν ἐν τῇ ῥηθείσῃ ἡμέρᾳ εἰς ἀκαδημίαν παρέρχεσθαι, καὶ τὰς μὲν δημοσίας ἐπαναβάσεις θεωρεῖν, τὰς δὲ τῶν νεανίσκων διαλέξεις ἀκούειν σύμφωνος μὴ ἀπαξιώσητε.

Τῦτο γὰρ τ̃ μεγιστάνων, τῦτ' ἐστι τ̃ τ̃ ὑμῶν πάλαι ἀνδρῶν ἔργον εἶναι δοκεῖ, πρὸς τὰ μαθήματα δυσκόλως διακεῖσθαι, κ̀ τ̃ παιδείας ὀρέγεσθαι. Οὕτω γὰρ ὁ Καρολ@ ὁ αὐτοκράτωρ, ὁ πάππος τ̃ ἀειμνήστ@, οὐκ ἠρύθρια τ̀ γυμνάσιον εἰσελθὼν ἐν τῇ Πραγῇ κ̀ τ̃ διδασκάλων λόγους δόντων κ̀ ἀποδεξαμένων πόσας ὥρας ἀκούσας: ἓξ ἢ ἑπτὰ ἴσως πρὸς ταύτῃ φιλομάθειαν & φιλησυχίαν ἔχοντι, δεῖπνον δ' ὥραν εἶναι λέγουσιν, εἰπεῖν: ἐμοὶ δὲ μηδαμῶς. Τῦτο γὰρ τῦτο τὸ δεινόν μοι. Τὰ γὰρ ἔξω πλείστων ἄξια ἀκοῆς, τ̃ μεγίστην δόξαν λαβόντων, οἰκεῖά ἐστι. Τοιαῦτα δ' εἶναι τὰ μαθήματα, δηλονότι τ̃ ψυχῆς ἀγαθὰ, μόνα ἀθάνατα κ̀ θεῖα, μηδεὶς ἂν ἐξαρνοῖτο.

Καὶ τῷ αὐτῷ γνώμην ἔχοντες ὑμεῖς, κύριοί τε κ̀ εὐεργέται ἐνδοξότατοι, μὴ μόνον αὐτοὶ τὰ καλὰ κράμματα τῆς παιδαπάτης συγκαταμίγνυτε ἀρεταῖς ἡδίστην συζυγίαν, ἀλλὰ κ̀ πρὸς τῦτ' ἐπέρους ἐλλογιμωτάτους ἄνδρας, κ̀ τῦτ' νέους ἐρεσθμύους τ̃ παιδείας εὐνοϊκῶς διατίθεσθε. Ταύτῃ ἂν πρὸς ὑμᾶς εὔνοιαν & φιλοστοργίαν ἴν' ὕστερον διαφυλάξητε, κ̀ τῷ σχολαστικὴν παιήμερον τῇ παρεστία ὑμῶν ἐντιμοτέραν ποιήσητε, πάντες οἱ τ̃ Ακαδημίας μέτοχοι ἀξιῶμεν: καὶ πάλιν ὑποσχνύμεθα, τ̀ ὑμέτερον πρὸς τὰς ἐλευθέρας τέχνας ἔρωτα, καὶ βοήθειαν κ̀ ὑπηρεσίαν, ὅπῃ πάντα τ̀ χρόνον αἰνέσειν καὶ ὅπῃ φημίσειν: καὶ πλείστην ποιήσεσθαι σπουδὴν, ὅπως τ̃ ὑμετέρων εὐεργετημάτων ἀδέκτοι ἀνάξιοι εἶναι δόξωμεν. EIPHKA.

ALIA INVITATIO RECITATA à TOBIA OELHAFEN, Noribergensi.

QVod illis contingere plerumque videmus, qui è tenebris & longo situ ad solem subito educuntur, Patres conscripti, ut nimirum acies caliget, & fulgore oculi præstringantur, ut res oblatas visu percipere nequeant: idem mihi prorsus nunc evenire sentio, dum vos magna hujus inclytæ Reipublicæ sidera ego ferè puer intueor, hebescit nonnihil, quod ingenuè mihi fatendum est, ingenii acies, linguæ promtitudo retardatur, & verba me suspensum destituunt.

Quid tamen inceptandum? num ab eo cujus gratia à superioribus meis orator missus sum, resiliendum, & turpi fuga abeundum? nequaquam, quin potius

potius ut idem Sol excitat, & innatâ suâ vi rebus dat vigorem: sic mihi sentio ab Amplitudinum vestrarum aspectu alacritatem quandam infundi, & ab iisdem, quibus jam pridem detentus fueram, excitari. Itaque hic lubens figam pedem, & parebo Rectori meo Magnifico, qui me in Amplitudinum Vestrarum conspectu publicè & pauca quædam dicere voluit, quæ dum in medium profero, A. V. obnixè rogo, ut vacuas aures ad exiguum tempus mihi præbere non dedignentur.

Academiæ vestræ Rector Magnificus morum ingeniorumq; censor severus, una cum suis adjunctis visitatoribus, rursus in progressus & incrementa classicorum, pro more annuo, diligenter & exacte inquisivit, eorumq; non paucos, qui ad superiores classes ascenderent, dignos deprehendit; quosdam verò publicis lectionibus auscultandis destinavit, quorum nomina in publica atque anniversaria panegyri, quæ in penultimum hujus mensis diem incidit, evulgare & publicè proclamare cupit, non sine aliqua remuneratione laborum in literarum studiis exantlatorum, idq; porrò facturus est in præsentia multorum & præstantissimorum virorum, quorum splendore & festiva quasi acclamatione, & qualicunque laborum compensatione, illis calcar adderetur, ut ad altiora suscipienda perficiendaq; eniterentur, ne forte in semel suscepto studiorum tramite retrocederent, aut penitus laborum tædio fracti succumberent, sed potius alacri infractoq; animo ad studiorum scopum consequendum contenderent. Nemo est enim, Patres Conscripti, qui illud Ulpiani Jurisconsulti dictum ex aureo tripode depromtum esse non dicat: Justitiæ sacerdotes bonos efficere cives præmiorum exhortatione, & pœnarum metu. Imitatus est quippe Plutarchum & Lycurgum sapientissimum Græciæ legislatorem, qui oratione in Leocratem ita ait: Duo præcipue sunt, quæ juventutem instruunt & informant: delinquentium scilicet castigatio, & præmiatio bonorum. Ad utrumque enim horum aspicientes, illam quidem ob metum fugiunt; hanc ob gloriæ studium concupiscunt.

Quamobrem Academiæ vestræ Rector Magnificus, & cæteri Professores summis precibus à vobis contendunt, rogantq; Amplissimum & Inclytum hujus urbis Senatum, ut constituto illo die, quidam è vestro ordine Altorfii compareant, & sepositis occupationibus suis gravissimis, animo benevolo illis, quæ peragentur, intersint, & apud universos suæ Academiæ cives, ut & apud peregrinos illuc confluentes, testatum relinquant, Academiam

vestram

vestram vobis curæ cordiq; esse, literatos & literatorum congressus in pretio à vobis haberi, & literarum fautores & remuneratores nondum omnes esse sublatos. Et sicuti Ciceroni olim glorioſum fuit inclinante Republica ſeceſſum quærere, & non modo præclaris ſuis ſcriptis poſteritati conſulere: ſed & ludum publicum aperire, nobiles aliquot Senatorum filios viva voce inſtruere, illisq; ad prudentiam ulterius capeſſendam anſam præbere: ita inſignem A. V. gloriam & exiſtimationem apud cives & exteros ſibi concitabunt, quando in tantæ occupationum publicarum mole, curiæ & fori ſubſellia à vobis per tempus deſerta eſſe conſpicient, in literatorum tantum gratiam, & ad literarum ſtudia promovenda & remuneranda. Quam benevolentiam & munificentiam in ultimas quasque terrarum oras diffundent, & meritis laudibus ſine intermiſſione prædicabunt & extollent. DIXI.

ORATIO PRIMÆ CLASSIS, RECITATA à CHRISTOPHORO-ERNESTO COLLEMPECK, Auſtriaco.

NOn eſt pudoris mei, Magnifice Domine Rector, vel imperio tuo, & juſſui per contumaciam refragari, vel laudatiſſimæ hujus Academiæ, jam multis retro annis introductam, & in hodiernum uſque diem ſanctè conſervatam conſuetudinem per contemtum jugillare: alia omnia & meliora quidem doctus ſum. Itaque unæ mihi nunc illa cura, quomodo & voluntati ſimul tuæ, & expectationi hujus auguſtiſ-

augustissimi confessus, vel breviter satisfaciam. Eam ipsam curam alleviat nonnihil argumenti, quod tractandum mihi: video perspicuitas & evidentia, quæ penè me incertiorem reddit omittendorum, quàm dicendorum, quod res ipsa vos docebit, Auditores omnium ordinum optimi, præstantissimiq;, si benevolas parum aures commodare volueritis, quod omni observantia & humanitate animi à vobis reverenter & demisse peto.

Vinitorem videmus, Auditores, ubi primum vineam plantavit, mox fossa eam cingere, aut sepe sepire, ne damnum vitibus fiat, aut bestiæ irrumpant, custodem denique addere, qui à vi & injuria defendat. Idem & hortulanus agit, ubi enim tenellulas sevit arbusculas, omni studio circum eas munit, ita ut nec pecori nec homini sit ad eas propior accessus, quarum cacumina, si vel manu infracta, vel ore præroſa fuerint, priusquam adolescant, in perpetuum corrumpuntur. Agricola denique, qui boves & oves habet, camposq; ac pascua læta, statim & pastores illis addit, qui pascant, & canes, qui ab incursione luporum defendant, & stabula illis extruit, in quibus tutò pernoctent. Quorsum ista, Auditores? ut intelligatis scilicet boni parentis quoque officium esse, ubi primum proles ei nascitur, providere ei de egregia institutione, & præficiendis idoneis Magistris ac moderatoribus: inde enim curationis fieri debere initium, cordatè vidit Magnus Cassiodorus, unde magis noscitur esse periculum: nihil verò proclivius, quàm puerum cereum in vitia duci, & in ipsa, quod dicunt, herba enecari corrumpiq;. Ut palma, dum tenera est, gelu facilimè uritur, & perit: sic puer, qui cupiditatibus suis relictus, scilicet ut

Fingit equum tenerâ docilem cervice magister,
Ire viam, quam monstrat eques:

Sic primordio statim ætatis videndum patri, quomodo filius rectè instituatur. Hærent enim tenacissimè, quæcunque à teneris imbibuntur, &

Quo semel est imbuta recens, servabit odorem
Testa diu.

Quanquam verò hoc omnium parentum est officium, quod & Deus & natura ipsis imposuit, atque ab eisdem requirit, duæ tamen plerunque obstant pestes, & neglectum ejusdem inducunt; Indulgentia videlicet, nata ex cæco & immodico liberorum amore; & Avaritia. Illa facit, ut parentes nolint liberos suos exire de gremio matris, aut severa lege proficere, cui & ve-

lum prætexitur: Metus, ne si filius publico committatur, vitia seculi citius, quàm virtutes imbibat; ne durius habeatur, quàm ferre consueverit; unde fieri solet, ut qui per ætatis imbecillitatem judicare de literis nondum possunt, odisse jam possint, & amaritudinem intempestivè objectam perceptamque, ultra etiam rudes annos, reformident. Veram ista, superiori anno, si rectè memini, & allata & discussa sunt, & omnia incommoda indulgentiæ prodigi exemplo filii declarata: itaque alteram quoque pestem juventutis, hoc est, avaritiam parentum nunc considerabimus. Eam numus noster ob oculos ponit. Sedet hic in mensa σκυθρωπὸς quidam senex, & collectum multi ævi spatio aurum tremulis utrinque manibus complectitur: inde serpens erumpit, verè, ut perigraphe declarat: MATRIS FOEDISSIMA PROLES. *Hoc scilicet ingenium multorum parentum, ut unum illud sui officii esse putent, providere, ut opes relinquant filiis, de institutione parum solliciti sunt, quos perinde ego agere existimo, ac si quis de calceo sit sollicitus, pedem autem ipsum negligat. At verò si sapientum audire vellent monita, ubi unus annus insumendus esset, ut filii relinquerentur locupletes, quinquaginta ipsis opus fuerit ad sudandum, ut rectè instituti educatiq; relinquantur. Parum prodest, Auditores, multum portare in molendinum frumenti, si mola corrupta & fracta sit: frustra item aggeruntur & relinquuntur pecuniæ ingentes, si filius hæres judicio careat earum utendarum. Præcunt istæ opes adolescentibus ad ignaviam, & neglectum bonarum artium: ita enim blandimur nobis, cui bono sit desudare in studiis, cum domi sit, & parentum cura paretur indies, unde benè nobis esse possit affatim? præcunt ad improbitatem; sic enim persuademus nobis, facilè quævis delicta expiare nos posse pecunia & opibus paternis, audendum proinde aliquid, & nobili aliquo facinore inclarescendum. Atque hoc obtinere in Academiis videmus ut plurimum, quò cum domi jam per indulgentiam corruptos sine custode aut monitore filios mittunt, triparci patres, mox se illis applicant & veluti agglutinant nequitiæ Doctores, & nobiles istas ipsis instillant sententias, nec sine effectu. Sic Auditores*

——dum amphora cepit
Institui, currente rotâ tandem urceus exit.

Et serò nimis deprehendunt parcipromi isti senes, anguem se in sinu fovisse. Sunt alii patres, qui cum in aliis numis non parcant, tamen circa præceptorem & formatorem liberorum sordidi prorsus sunt, quasi nulla sit eorum

aut certè

aut certè non necessaria opera. Hi Ephemerin Cratetis observant: Ponito coquo minas decem; Medico drachmam; Assentatori talenta quinque: Consiliario fumum: Meretrici talentum: Philosopho sive Pædagogo triobulum. *Circumspice mihi sis hodierna tempora: quotusquisque est eorum, qui opibus turget, qui non plus famulo numeret, qui equum heri curat, quàm pædagogo, qui filios ejusdem instruit. Revivisceret Diogenes hodie & mallet, non ut olim Megarensis, alicujus aries esse, quàm filius; sed equus esse mallet, quam filius.*

Sibi igitur imputent Eucliones isti, aut imperiti numorum diribitores, si postea filios in calamitatem incidere videant, aut in omnem improbitatem delabi. Videant an malè suis congestis opibus infamiam eluere, aut mores filiorum immutare possint. Flere, dolere ruinam & casum suorum patres sæpè animadverti; sed lachrymis illis profici aliquid nondum vidi. DIXI.

ORATIO SECUNDÆ CLASSIS, RECITATA à JOHANNE-GOTFRIDO ab HUTTEN, Franco.

REcens sum à voce magistri illius, qui apud Satyricum discipulo intonat:

Udum & molle lutum es, nunc, nunc properandus, & acri
Fingendus sine fine rota.

Quæ dum verba vibrant ac sonant in auribus meis, ecce, oculos defi-

gens in hoc numisma, vestrum, Amplissimi Patres, donum pulcerrimum, contemplor inibi librum pulpito innixum, qui hinc lychni, hinc Solis radiis colluces exhibet legendum apertus; νυχθήμερον, cum superscripto: HAC ITUR AD ASTRA. *Et oculos simul & aures luculentis imaginibus ferit diligentia: quæ nempè nostræ huic ætatulæ studiis operatæ apprimè necessaria est. Etsi enim nulla ad discendum ætas sera; nostrum hoc tamen ætatis, ut sic dicam, ver habilissimum capiendis disciplinis nemo negaverit: Eapropter, dum ingenii vis novella viget, dum curis minimè distrahimur, dum maximè tempestivum atque opportunum est monemur, ut disciplinarum sementem faciamus, nec diurnæ nec nocturnæ in hoc operæ parcentes: ad quod & dignitatis & utilitatis & voluptatis denique stimulis perurgemur. Quæ tria, dum pro captu ingenioli paucis explico, peto, ut omnium ordinum splendidissimi Auditores, eâ, quâ solent, benignitate, balbutientem me audiant. Quid est igitur in homine Ratione atque Oratione præstantius? qui duo veluti limites eum disparant à vilitate reliquorum animalium. Quid porrò hæc ipsa perficit expolitq; in nobis? An non Eruditio, cujus munere non solum supra bestias, sed ipsos quodammodo homines adtollit se & assurgit homo? Non abs re igitur est, quod Gregorius Nazianzenus in laudatione Basilii, luscis eos comparat, qui eruditionis expertes, sola probitate censentur. Aristoteles quidem etiamnum audacius, interrogatus, quid inter doctos & indoctos esset discrimen? quantum, inquit, inter vivos & mortuos. Idem, testante Laërtio, visum quidem à circumfuso aëre lumen accipere, mentem verò à disciplinis crebrò inter familiares usurpabat. Quibus doctrinæ præconiis pulchrè concinit oraculum Athenienſibus olim editum. Quum enim hi Apollinem consuluissent, quid facto opus esset, ut cives suæ urbis boni viri essent, tulerunt hoc responsum: Immitterent in puerorum aures τὸ κάλλιστον: quo innuebatur, juventutis aures scientiis & bonâ disciplinâ esse inserendas, hoc enim nihil pulchrius, nihil melius, nihil antiquius, λόξιος ille vates per ambages canebat. Magnifica hæc: sed nihil magnificentius, quàm quod mortali immortalitatem in hac etiamnum vita sola conciliat Eruditio. Non enim contecti cædibus campi, non maria cruentata, non terrarum orbis bello concussus magnos olim homines prohibuerunt mori, sed hoc illis præstiterunt labores, vigiliæq; doctorum. Tolle hæc: jam Agamemnon cum mille navium classe naufragium fecerit memoriæ ac nominis sui: jam de domitore Orientis Cyro triumphabit*

umphabit oblivio: jam magnum ac supra hominem frustra spiraverit Alexander: jam Cæsar belli fulmen atque aquila in nubibus non erit. Quid? quod ipsi sibi, sed innoxiâ (quod caput est) multumq; etiam humano generi profuturâ ac salutari claritate possunt ac solent esse immortalitatis fabri viri docti suis monumentis? Satis de dignitate: neque enim insistere, sed leviter duntaxat libare res, permittunt temporis angustiæ. Quare nunc ad utilitatem transeo: quam verbis Cassiodori perstringam. Apud eum igitur rex Gothorum doctrinam hisce deprædicat: Desiderabilis, inquit, Eruditio literarum, quæ naturam laudabilem eximiè reddit ornatam. Ibi prudens invenit, undè sapientior fiat: ibi bellator reperit, unde animi virtute roboretur: inde princeps, quemadmodum populum sub æquitate componat: Nec aliqua in mundo potest esse fortuna, quam literarum non augeat gloriosa notitia. Et hæc quidem ille paucis multa: quibus tamen multò plura possint addi, ni tempus aurem pervellat, ut ad voluptatem porrò progrediar. Quodnam igitur voluptatis genus sese æquiparet ad hanc ingenuam verèq; cælestem voluptatem, quam usque & usque discendo haurimus? in quam voluptatem adeo quidam veterum sese ingurgitarunt, ut helluones librorum audirent, haud abs re quidem. Sola enim discendi sitis inexhausta; solus hic ardor inexplebilis: soli hac dulcedine ebrii, ea quæ prima ducuntur à cæteris mortalibus contemnunt ac pro nihilo putant. Adiice nunc quantum studiosus frugiq; Adolescens voluptatis capiat ex recordatione temporis à sese benè collocati, ex profectu suo, quem quotidiè facit: ex amore & laudibus tum propinquorum, tum etiam extraneorum. Quæ omnia si quis ad lancem recti judicii exegerit; næ illos, qui voluptatem alia & perversa via sectantur æquales suos vino lustriq; demersos, res suas sibi habere, multumq; plorare ac miseros esse, dum in ipsis etiam floribus anguntur, adolescens probus jubebit. DIXI.

ORATIO TERTIÆ CLASSIS, RECITATA à JOHANNE-GEORGIO AYRMAN, Noribergenſi.

QVo me autem vocas? Rector magnifice, ad Aleam? Teſſeras! Chartas luſorias? ad pocula? ad crapulam? & luxuriæ obiicis inſtrumenta? atque pruriginis arma? Quæ animum tenellum, & ad ſeria nondum firmum facilè pertentent, aut etiam abripiant. Ego verò ſerio id te agere, perſuadere mihi nondum poſſum: publico enim convicio hodieq; vapulant, quotquot hiſce ſeſe ludicris mancipare ſolent; & non ſine cauſa me terret πεῖγα φὴ *emblematis, quæ eſt:* HAC ITUR AD ORCUM. *Videlicet ita fieri ſolere plerumque, & pauciſſimos quosque rectam inſiſtere ſemitam, quam meus anteceſſor & oſtendit & collaudavit modò, plures voluptatum & deliciarum velut Euripo tranſverſos abripi, & in extremam tandem exitii voraginem præcipitari, numus hic noſter indicat. Atque id potiſſimum loco alieniſſimo fieri in Academiis nimirum, quò mittimur à parentibus tanquam in arcem ſapientiæ, templum veritatis, ſcientiarum theſaurum, omnium liberalium artium mercatum, paleſtram modeſtiæ & humanitatis, civilium inſtrumentorum armentarium, officinam denique converſationis & amicitiarum, &, ut paucis omnia dicam, paradiſum quendam perfectæ felicitatis. Quid nos? eò ubi devenimus tanquam Lethes paludem prætervecti, unde, & quo, & quibus cum mandatis venerimus, prorſus obliviſcimur. In omnem enim licentiam atque luxuriam effuſi omni pietati, virtuti, &*

tuti, & doctrinæ denique omni veluti nuncium remittimus, Baccho & Veneri sive ventri Murciæq; dies & noctes operati: quasi forum aleatorium calefacere quotidiè, tesseras & chartas lusorias sine missione tractare, in noctem prandia, in diem cœnas producere, aut si quid reliquum est noctis, immanibus & belluinis clamoribus tribuere, sibi & aliis jucundissimum naturæ beneficium, quod somnum appellamus, intervertere, ne fœdiora dicam alia, sit studiosum esse aut academicum? O noxium errorem, & trahentem in præcipitia, nisi corrigatur, & ultrò omnes Academias, si studiis prodesse, moribus autem nocere eas constaret. Sed videlicet voluptas est, quæ animos juveniles in prærupta vocat,

Blanda quidem vultu, sed qua non terrior ulla
Interius, fucata genas, & amicta dolosis
Illecebris, torvos auro circumligat hydros.

Huic animosè resistendum est initio statim, atque ab ejus cantilenis animi & sensus abducendi, ne illa nos prior evertat, & bonis omnibus, & ipsa valetudine; compleat vero dedecoris & infamiæ, denique ad restim, aut flumen vocet. Tolerari fortè posset hæc non ingrata voluptatis Tyrannis, si lacerato aleâ, ventre, manu per solutam adolescentiam patrimonio egestas solum vexaret: corpus & fama vigorem suum retinerent. Sed & illud frangitur quotidianis mortibus (quid enim est aliud quotidie vino, epulisq; sepeliri, quàm quotidie mori) doletq; faciendum sibi sæpius, quod lege naturæ facere debebat semel succumbere videlicet, & extingui. Infamia autem ante fores accubat, ut & dedecus publicum: Quis enim ad eum respiciat, qui ventri per omnia servit, & libidini? qui brutis ipsis fœdior est, quæ raro, aut etiam nunquam à naturæ legibus, & terminis in cibo, potu, Venere recedunt? Nihil dico de conscientiæ tormentis, nihil de exitu talium, qui sæpe horribilis; nihil de exitio, quod æternum.

Resipiscite ergo, O Juvenes, resipiscite, inquam, & solutæ hunc, corruptæq; vitæ typum damnantes ad seria, hoc est, sapientiam & virtutem convertite; luxuriam autem:

----prædulce malum, quæ dedita semper
Corporis arbitriis, hebetat caligine sensus,
Membraq; Circæis effœminat acrius herbis,
Vosque voluptatum incautos innexuit hamis:

Deserite

Deserite dum licet, & institutum vestrum, parentum spes ac vota, propinquorum expectationem, Reipublicæ jura & postulata ad animum revocate: Sic enim fiet, ut relicto hoc lubrico, quod ad Orcum ducit, semitam teratis rectam, quæ in templum initiò vos Virtutis, & per illud in Honoris tandem etiam, cum immortali vestra gloria & inducat, & ad Reipublicæ Christianæ salutem, & commoda procuranda reducat. DIXI.

ORATIO QUARTÆ CLASSIS, RECITATA à CHRISTOPHORO ALBERTO à Sekendorff, Franco.



Mè natura consuluit hominibus, quod Επιμηθεῖς *potius, quàm* Προμηθεῖς *plerosq; finxit, nec saltem catus ille Siculus illis insurravit:* Ου μεταγνοεῖν, ἀλλὰ προγνοεῖν χρὴ τὸν ἄνδρα τὸν σοφόν. *Hoc mihi, Magnifice Domine Rector, cæteriq; splendidissimi nobilissimiq; auditores, hoc, inquam, adolescens quoque iste, cujus hic numus effigie incusus, quamvis tacitus, loqui ac clamare videtur. Enimverò illum post admissa flagitia dolor expœnitentia urit incomparabilis, ac modo non lamentatur illud Poëtæ Persii:* Imus præcipites. *Item:*

Anne magis Siculi gemuerunt æra juvencæ.

Sic certè in cubitum se composuit: sic mœstus intuetur terram: sic obstupuit: sic desperatio toto ex ore eminet: sic oculi lachrymas stillant: sic humi sparsa sub pedibus instrumenta nequitiæ jacent: ut illud quod mensæ inscriptum, sine

ptum, sine lucro, jocus luduſq; videatur, præ tormentis illis, quibus intus laceratur: ſed nec marginalii inſcriptio: POST JUBILA FLETUS, *paria cum ipſius miſeria facit. Heu quo malorum redactus eſt miſer, dum ad inertiam ac voluptates corporis peſſum dato, perniciosaq; libidine pauliſper uſo, per ſocordiam vires, tempus, ingenium defluxêre? Quantillo guſtato dulcedinis, quàm largiter acerbitatis ipſi nunc devorandum eſt! Primum novit, ſe non poſſe non iratum habere Deum, ipſosq; parentes ac propinquos à ſe alienos, atque adeo ſe culpa ſua inviſum eſſe illis, quibus placere æquum fuit. Deinde loculis exinanitis, ære alieno ſeſe obrutum luget: impreſſamq; famæ maculam erubeſcit: ſed & pœnam à magiſtratu imminentem pertimeſcit: ac denique nihil bonæ ſpei in poſterum ſibi reliquum factum videns, minimo minus animum deſpondet. Serò enim animadvertit, ſe quo tempore fructus ſtudiorum percipere jam debeat, eo nullam adhuc doctrinæ feciſſe ſemitam: hebetatam eſſe vim ingenii, decoxiſſe vires memoriæ, omnem ſtudendi libidinem amiſſam eſſe. En, quàm* sine lucro *Cornelius noſter nepotatus luxuriatusq; ſit! Ite nunc, qui ſtudendi laborem averſati præcipitem vitiorum viam inſtitiſtis, ite, & in periculum cæci ruite!*

At nos ô æquales, ſi propria nobis ſalus felicitasq; cordi, ſi non & deduimus & dedoluimus, ad frugem, per Dei miſericordiam animum applicemus, quanquam ibi, ut ille ait, animo labos grandis capitur. Μοχθῶν ἀνάγκη τοὺς θεοὺς τοῖς ἀγαθοῖς πωλεῖν: *ac laboribus bona Dii vendunt. Quare, ut ſcitè ac rotundè Crates Philoſophus, ſive expetendus, ſive fugiendus eſt labor, laborandum eſt, ne laboremus. Nam, verbis Horatii: Si nolis ſanus, curres hydropicus. Atque hac veluti gemmula ea, quæ dixi, obſigno.* DIXI.

GRATIARUM ACTIO,

RECITATA AB ANDREA ÖRTELIO, Noribergensi.

QUamvis, Aoniæ Rector Venerande juventæ
Nondum hæc ora mihi lanugine vestiat ætas:
Sœpè tamen miseros tàm vanas volvere curas
Mortales, densa in noctis caligine, miror.
Hei mihi, quàm nullo satis est, has prodere versu!
At velut Alciden, famâ super æthera notum,
Eripuit dubio fati discrimine VIRTUS:
Sic nos cura Deum, ô flos intemeratæ juventæ.
Scilicet hæc nobis, Nobis exempla parantur,
Herculis hoc bivium est, ubi, ne nos publicus error
Præcipites agat in brevia & Syrtes malefidas,
Cauto opus est duce, qui vestigia lubrica firmet.
Felices nimium, quibus hoc licet esse beatis!
Nam quid ego hoc donum dicam memorabile donum?
Quadrifido pulchrè distinctum emblemate donum?
Ne quiquam fugiat rerum, non usque peritos,
Ne fieret, rarò, quæ recta aut curva geruntur.
Labilis hæc ætas sensu dimitteret imo.
Quid memorem tragicæ spectacula tristia Musæ,
Quæ dabit ingenti, post prandia læta, Cothurno
Area Collegi? Certè huc ea denique tendunt,
Non ut hiet patulo ad miracula rusticus ore
Attonitus rerum formis, trepidoque tumultu:
Sed mage, ut excoctum generoso pectus honesto
Abstineat sese vitiorum sordibus istis,
Qualibus imbutus juvenis sine fine modoque
Perniciem ad propriam festinat anhelus & excors,
Dum mala vel duri lacrymas motura Catonis

Incidit

Incidit, & nodum lethi trabe nectit ab altâ.
Et quisquam, ô socii, dubitet, superine laborent,
Ne curis hominum mersemur inanibus! O si
Tam foret hoc cordi nobis, quàm jugiter illis!
Sed sic est, Nobis, ut dixi, exempla parantur,
His sapere, aut miseranda morte perire jubemur.
O qui stelliferi flammantia sidera Cœli
Torques, & bona distribuis mortalibus æqua,
Te colo, te veneror, te flexo poplite adoro,
O serva nobis mitissima tempora pacis,
Dissice consilia, & capiti refer omina belli,
Qui turbare bonum hoc satagunt furialibus ausis.
Sic deerit nunquam (da tu ne defuat unquam,)
Arbiter ingeniorum & morum sedulus autor,
Quo duce, neglectis quæ mundus inania curat
Plurima, virtutis duntaxat semitam eamus.
Et tu, cui in terris dii debentur honores
Noridos ô columen, magni sacer ordo Senatus,
Eja, age; sis facilis Musis, velut usque fuisti,
Et Musæ laudemque tuam, famamque sonabunt.
At vos, quos sacro è numero sacer ordo Senatus
Delegit Patres, Curatoresque Lycei,
Ceu nostram auxistis præsenti numine pompam:
Sic vestris præsens cœptis Deus adsit amicè.
Vos alii, quicunque ultrò hæc ad limina fausti
Venistis, multum salvete mihi, sociisque:
Quos tanto, tamque insigni cumulastis honore.
Te quoque, compello, Rector dignissime, & ore
Quando tuorum in nos meritorum copia tanta est,
Sufficiat gratæ tibi testificatio mentis.
Vos etiam, magni Doctores, lumina nostra,
Hoc sinite exorem vos, ne feciſſe minora
Quàm par est, fraudi nobis sit vere sub isto
Ætatis. Sic vos Deus amplis auctibus auxit.

O Domine, exaudi pueri pia vota precesque
Esto bonus, placidusq; tuis, da, quæso, salutem,
Successumque tuo populo, da vivere rectè,
Et bene posse mori, ut, postquam tu jusseris ire
Ex hac in aliam vitam, sine murmure eamus
Teq; ibi perpetuis celebremus laudibus, AMEN.

XL. PANEGYRIS, Anni 1616.

SUB RECTORATU D.M. GEORGII QUECCII, ETHICI.

INVITATIO AMPLISSIMI SENATUS NORIBERGENSIS,

RECITATA AB ANDREA SCHÜRGER, Noribergensi.

Τὸ ἔξω τῆς Αθηναίων πόλεως γυμνάσιον ἀλσώδες, ἐν ᾧ πλάτων ἐσχόλαζε, καὶ τ' ἄπαντα χρόνον καπεδίωσεν, ὦ ἄνδρες τῆτι διγενεία καὶ τῇ σοφία προέχοντες, Ακαδημίαν ἀπὸ ἵππου ἥρωος Ακαδήμου λέγουσιν ὀνομασθῆναι. Τὸν αὐτὸν τρόπον ἐφ' ἡμῶν ἡ τῆ δημοσία ἐξουσία ἀνεψυμμένα, καὶ τῆς προτερήμασί τε καὶ ἀτελείαις κεκοσμημένα Φροντιστήρια Ακαδημίας καλοῦμεν: ἐν αἷς ἃ καλὰ τῶν μαθημάτων διδάσκετε, καὶ μὴ τῶν διαφόρων γλωττῶν, καὶ τῶν φιλοσοφικῶν ἐπιστημῶν, καὶ τὰ θεολογικὰ, καὶ τὰ νομικὰ, καὶ τὰ ἰατρικὰ ἑρμηνεύετε, καὶ σαφηνίζετε τοῖς ἀκροατῆς.

Τοιαύτην ἂν Ακαδημίαν καὶ ἡ λαμπροτάτη τῆς Νωρεμβέργης βουλὴ σύγκλητος τοῖς εὐδαιμονοῦσιν ἔτεσιν ἐν Αλτορφίῳ ἀνέῳξε καὶ διέταξε, κατ' ἐνιαυτὸν μηνὶ ἑκατομβαιῶνι ἅμα μὲν τοῖς ἐλλογιμωτέροις τ' νεων ὑμὰς ἀσπάσεσθαι καὶ τ' φιλοσοφίας

λοσοφίας ἐπισκέπτες αὐτὸς καὶ διδασκάλους αἱρεῖσθαι: ἅμα ἢ τ παίδων σὺν ἀφυεστέρους καὶ μᾶλλον φιλοπονημένους πρὸς τ γραμμάτων, βραβεῖα δωρεῖσθαι, καὶ ἐκ κατωτέρων εἰς ἀνωτέρας μεθιστάναι συμμορίας. Ἐπεὶ τοίνυν αὖτη πάλιν ἡμέρα τ πατηγυρικῶν ἀναβάσεων ἐγγίζει: τὸ ἀξίωμα ὑμῶν οἱ τ Ακαδημίας Νομικῆς ἱκετεύουσι προτάττω, ὡς ἐν ἑορτῇ τ ἁγίων ἀποστόλων Πέτρου καὶ Παύλου, τὸ Αλτέρφιον ἐπισκέψασθαι, καὶ τῷ ἀνοσιωτάτῳ θεῷ συναχθησομένην πανήγυριν τῇ ὑμετέρᾳ κοσμήσαι παρουσίᾳ.

Ταύτῃ τῇ δεήσει ἡμῶν ἐὰν (ὡς ἐλπίζομεν καὶ πιστεύομεν ῥᾳδίως) ἐπινεύσητε, ὦ ἐνδοξότατοι βουλευταὶ, καὶ ἐνεργήσητε μεγαλοπρεπῶς: πρὸς τῷ τ ὑμετέρας Ακαδημίας σωτηρίαν τε καὶ αὔξησιν τὸ πρᾶγμα τοῦτο οὐκ ἐλαχίστην ῥοπὴν, συμβαλεῖται. ὥσπερ γὰρ ὑπ ζεφύρου πιόντων ἡδιστά φασι τὸν κύκνους ἄδειν: οὕτως οἱ πρὸς τὸν λόγους ἐλαθέριοι, πρὸς τὰ κάλλιστα τ ἐπιτηδευμάτων ὁρμητικώτεροι καθίστανται, ὁπόταν τ ἀρχόντων εὐμένεια τε καὶ φιλανθρωπία τὸν τ ἐκείνων πόνους συνεπαίρῃ τε καὶ ὥσπερ ἅδην ὕτω πάντες τ ἵππον, ὡς ὀφθαλμὸς δεσπότην: τ αὐτὸν τρόπον καὶ τὰ τ ὑμετέρας Ακαδημίας ἄπαντα δοκεῖ μοι ὀφθαλμὸς ὑμῶν καὶ παρουσία καλά τε καὶ ἀγαθὰ μάλιστ ἐργάσεσθαι, εἰ μὴν γὰρ διδάσκαλοι πλείονα πιήσονται τὴν ἐπιμέλειαν τ φιλομαθῶν νεανίσκων, ἴδοντες αὐτὸν τὸν Νομικὸν βουλευτὰς καὶ σχολάρχας τ τ ἐκείνων μαθήσεως αὐτόπτας καὶ αὐτηκόους γινομένους. οἱ δὲ νέοι, καλῶν τ Ακαδημίας φυτῶν, τ τῆς ὑμῶν χερσὶ γεωργηθέντων δίκην, ἀφθόνως βλαστήσουσι, καὶ ἐν εὐκαιρίᾳ καρποφορήσουσιν. Οι ἢ ξένοι καὶ ἐξωλικὸι, τὴν ὑμῶν πρὸς τὰς καλὰς ἐπιστήμας εὔνοιαν μεγίστην ἀκτήσαντες, τὰς ἑαυτῶν παῖδας καὶ συγγενεῖς προθύμως εἰς ὑμετέραν Ακαδημίαν, ὡσπερεί τι τ καλλίστων μαθημάτων ἐμπόριον ἀποστελοῦσι.

Τούτων δὲ οὕτως ἐχόντων, εὐμενίσαντες τε φρονιμώτατοι κύριοι καὶ βουλευταὶ, ξυμπάσης τ συγκλήτου βουλῆς δεόμεθα, τὴν ἐν Αλτερφίῳ τούτῳ μηνὸς φθίνοντος γενησομένην πανήγυριν ἅμα τῇ παρουσίᾳ καὶ βλέμματι ὑμῶν γαληνῷ, ἅμα τῶν δώρων ἥτοι βραβείων ἀξιομνήστοτέραν ποιεῖν καὶ πολυθρυλλητοτέραν,

ΕΙΡΗΝΑ.

INVITATIO ALIA EODEM ANNO, RECITATA à FRIDERICO ERNESTO à FEILTSCH, Misnico.

QVi è portu solvunt, Patres Conscripti, quamdiu littoris orã legunt, præsenti sunt animo, minusq; commoventur: sed postquam velis expansis remisq; certantibus in altum provecti sunt, terram non amplius vident, & quocunque oculorum aciem vertunt, cœlum pontumq; undiq; intuentur: toto tunc animo & corpore præ se ferunt, se perturbari & cohorrescere. Idem profecto, Patres Conscripti mihi accidere sentio, dum in tanto Ampliss. Virorum conspectu mihi puero, qui ferè adhuc in Palæstra tantum literaria, & cum mei similibus sum eductus, nunc verba facienda video, qui forte Pericli aut Demostheni in eloquentia exercitatissimis artificibus metum incuterent. Verum illud me consolatur, animumq; perturbatum erigit, quod non sponte mea, sed à superioribus meis jussus (quibus reluctari nefas) id officium in me receperim, eâ spe fretus, me apud vos P. C. facile veniam impetraturum. Faxit Deus, ut navis mea secundis ventis agitata, cursum suum teneat, neve à proposito aberret, inq; vada aut scopulorum anfractus illidat.

Jubent leges Academicæ P. C. gravi cum judicio à majoribus vestris consignatæ, ut sub initium Junii Academiæ vestræ Rector Magnificus & cæteri adjuncti in progressus discipulorum accuratè inquirant, gnavos & industrios ad superiores classes vel mittant, vel publicis lectionibus auscultandis destinent, publiceq; renuncient, non sine remuneratione aliquâ laborum prius exantlatorum in solenni publicoq; loco, & quidem in præsentia Clarissimorum quorundam virorum, nullum alium certè ob finem, quàm ut hi gnavi & industrii laudis stimulo & acclamatione solenni, nec non præmiorum dulcedine illecti, majori ardore erga literarum studia inflammentur, tamq; diu desident in illis, usque dum studiorum scopum cum laude & voto parentum consecuti sint. Ignavi verò & otio dediti hac solenni renunciatione & præmiorum distributione admoneantur se non præmia, sed ignominiam & verbera commeruisse, & cum servo Plautino dicant:

Ignavis improbis viris dantur
Verbera, compedes, molæ,

Magna

Magna lassitudo, fames frigusq; durum.
Hæc prætia sunt ignaviæ.

Unde illi vel torpore excusso alacrius literarum studia aggrediantur, & quod hucusque neglectum est, resarciant: vel animum ad aliud vitæ genus applicent.

Huic actui verò & solemni renunciationi cum A. V. posthabitis curis gravioribus negotiisq; semper interfuerint, & præsentia sua quàm augustissima illum actum condecoraverint: Idcirco Magnificus Rector & cæteri Professores quàm obnixè A. V. rogant, ut in eodem erga Academiam vestram affectu, & propensâ in literatos animi significatione persistant, atque aliquot ex Amplissimorum Senatorum numero Altorfium ad vicesimum nonum hujus mensis diem ablegent, qui perhonorifica sua præsentia panegyrin illam solennem & anniversariam ornent, & omnibus illis, quæ ibi peragentur benigno lubentiq; animo intersint.

Declarabunt A. V. adventu suo perhonorifico, se Academiam suam, magnis olim sumptibus extructam, non negligere, sed deinceps quoque constanter fovere velle, atque literatorum congressus magnifacere. Adiicient denique A. V. nobis nostrisq; commilitonibus stimulum, ut in studiorum suscepto curriculo ardentius desudemus, usque dum studiorum scopum penitus, favente Deo, attingere liceat, consecuti simus.

Pro quo benevolentiæ genere & provehendarum literarum promtitudine, nos in perpetuum A. V. obstrictos esse libere profitebimur, & hoc rerum nostrarum statu, præstabimus, quod jam possumus, nimirum Deum syncero cordis affectu invocabimus, ut suo afflatu consilioq; A. V. instruat, virtute corroboret, inq; omni rerum discrimine præsenti numine protegat, quo præclarum & arduum hoc senatorii ordinis munus, ad suam subditorumq; salutem exequantur, atque adeo A. V. divina ope fultæ, Rempublicam hanc inclytam salvam florentemq; conservent, donec ex hac fluxa mortaliq; vitâ, ad beatam & immortalem translatæ, immarcessibilem gloriæ coronam
mereantur, quam ipsis & nobis concedat Deus unus & trinus in secula benedictus.

DIXI.

ORA-

ORATIO PRIMÆ CLASSIS, RECITATA à PAULO IN HOF, Patricio Noribergensi.



SAtisfeciſſe jam officio videbar meo, Rector Magnifice, cum & animum & conſcientiam oblatione pulcherrimi numiſmatis & admiratione munificentiæ laudatiſſimæ Reipublicæ Norimbergenſis & oculos intuitu brabei affabre ſculpti & effigiati pavi oblectaviq́. At tu, ut video, aliquid amplius poſtulas, & vis me expoſitione brevi emblematis etiam aures circumfluentis hujus cœtus & florentiſſimi ſplendidiſſimiq́ conſeſſus paſcere ac delinire, quod utinam, uti tu pro jure exigis, ita ego pro mandati tui dignitate & ſplendore Auditorii exſequi poſſim. Ut ut vero ſit, cum obſequii gloriam mihi relictam videam, imperitiæ & infantiæ notam apud tam æquos Auditores non deprecabor, cum præſertim expoſitio hæc æqualium meorum causâ exigi videatur, non eorũ, qui, cum ſummâ & perfectiſſimâ Doctrinæ, Prudentiæ, Sapientiæ prærogativa, approbatores noſtræ induſtriæ hic conſident, quibus hæc jam & perſpectiſſima & familiariſſima ſunt.

Brabeum igitur noſtrum, ut ſine ulteriori ambage ad rem veniam, repræſentat arbuſculam, ex unâ, dextrâ nempe parte, frugiferam; ex alterâ, veluti ſterileſcentem, non tamen in totum aridam, ſed de qua ſit ſpes fructus ſubſequentis, aut cujus ſurculus vireſcens adhuc ſtirpi alii inſeri & implantari poſſit, cum emblemate: NON EADEM FERT OMNIA RADIX. *Et quis ambigat hic aut hæreat! Experientia videlicet docet: Non eoſdem ex iiſdem*

x iisdem parentibus, etiam optimis, progigni liberos, sed γνησίους alios & genuinos, paternæ virtutis ac gloriæ hæredes & custodes acerrimos, alios contra degeneres & Metellis illis fratribus similes, quorum matrem, si quintum pareret, asinum parituram ferebant Romæ. Intuere mecum ipsa mundi incunabula & primum par conjugum Adamum & Hevam, quantum ex Abelis sanctitate voluptatis, tantum, & eo amplius, doloris ex impietate Caini perceperunt. Nec melior conditio Noachi fuit, cujus filium minorem Chamum neque patris institutio fidelis & diligens, neque horrendum justitiæ divinæ in diluvio editum exemplum emollire potuit, quo minus parenti, vino & somno devicto, petulanter nimis insultaret. Considera diversitatem ingeniorum & morum in Jacobo & Esauo, quos uno conceptu fovit, uno partu edidit Isaaci Rebecca, neque desunt hujus rei rationes, ab eruditis congestæ, & partim ex divinæ, partim ex humanæ sapientiæ thesauris erutæ. Unde, prudentes & pii qui sunt parentum, quibus degeneres aliqui primo ætatis vere liberi sunt, agnoscunt pœnam & manum Dei, qui parentum, hominum videlicet, peccata ista ratione punire solet, &, id se facturum, serio edixit, non tamen desperant de illis aut prorsus abiiciunt, sed ut hortulani diligentes sterilescentes palmites majori curâ fovent & observant, quàm ferocientes, ita isti, & diligentius & acrius monendo instant filiis, ut ad frugem redeant, & vel tandem resipiscant. Ut item hortulani cum sterilitatem in totum verentur, ramunculum, quâ succulentus adhuc est, recidunt à radice, & alteri inserunt & implantant stirpi, ut inde succum vigoremq; trahat, & sic fœcundetur fructuq; speratos ferat: ita boni parentes, filios, si domi nolint admittere disciplinam, transferunt in academias & ad præceptores industrios & fideles, aut certè iis applicant vitæ generibus, ad quæ animo feruntur, ut si non ad gloriæ culmen deducere, abducere saltem ab infamiâ possint. Atque hùc omnino pertinet quod Sexto Empyrico Autori tribuitur: Corpus esse characterem animi. Sicut igitur parentes liberos corporis aliquo vitio deformes non perimunt, aut domo eiiciunt, sed calidius etiam amant, quàm membris integros & forma conspicuos, ita & animi vitia non sunt statim exsecranda, sed sapienti moderatione corrigenda, & ex devio in semitam revocanda. Tam propitius illa miser pater aspiciet, quàm ægros suos medicus: curabit & curare non desinet, licet lenta sit curatio. Intuere mihi illum, cujus navigium multam, undiq; laxatis compagibus, aquam trahit: nautis ipsis è navigio

 iraſcitur?

iraſcitur? quin occurrit potius, & aliam excludit undam, deinde aliam egerit, manifeſta foramina præcludit, latentibus & ex occulto ſentinam ducentibus labore continuo reſiſtit, nec ideo intermittit, quia, quantum exhauſtum eſt, ſubnaſcitur. Lento videlicet adjutorio opus eſt, contra illam animi labem, & ſi non impetrari poteſt, ut deſinat, curandum ſaltem, ne vincat & efferatur. Unde nunquam mihi placere potuit Ariſtippi & factum & dictum: Factum quidem, quod degeneres, ut arbitrabatur, filios negligeret, tanquam ex ſe nati non eſſent, incuſatuſq; ob eam cauſam dictum adjecit improbum: An non & pituitam & pediculos è nobis natos, veluti inutiles, procul à nobis item abiicimus: Apage ſis Ariſtippe cum iſtâ inſaniente tuâ ſapientiâ: alio loco habendi ſunt liberi, quàm iſtæ fœditates, quas tu commemoras: neque Auguſtum hic audio, qui filias ſuas, ſuas appellare vomicas conſueverat. Scilicet quomodo ſterilitatem, aut nimios imbres & cætera naturæ mala aut numinum iras, ita improbitatem filiorum tolerare oportet. Interim Deum precari, ut ipſe mentem iis immutet, & monita noſtra ſui ſpiritus calore fœcundet, ut in agrum admiſſa animorum fructum ferant, & correctio atque emendatio vitæ voluptati nobis ſint, quo faciet multum converſatio cum optimis, ut enim, qui in ſole ambulant, colorem trahere neceſſe eſt, &, qui in culinâ, aromata olere: ita meliores fieri qui bonis convivunt: Quem convictus & cohabitatio latronum efferaverat puerum, eum converſatio Divi Johannis, repudiato infami genere vitæ, pietati conſecravit. Polemon luxurioſiſſimus juvenum inter pſaltrias atque tibicinas & impudicas mulieres ebrius coronatuſq;, cum irrupiſſet petulanter in Xenocratis Academiam, audito de temperantiâ ſermone, quem ipſius causâ Xenocrates inſtituerat, corollas capiti detraxit & molli illo vitæ infamis genere relicto in ſummum migravit Philoſophum: Nihil de Socratis ingenio & naturâ, animi propoſito immutata, nihil de juventute Themiſtoclis in vino & luſtris actâ, & Miltiadis trophæis immutata hic dicam: vel hodierna nobis actio comica exemplum ſuppeditabit, non eſſe de aduleſcentiâ præmaturè deſperandum: multæ ſunt rationes redeundi ad frugem, multa incentiva: Amor ſæpè virtutem incendit, nonnunquam invidia, nonnunquam exempla. Idem verò, quod parentibus, & præceptoribus dictum velim. Sunt enim quidam ita moroſi, ut, ſi videant diſcipulorum profectum ſuæ exſpectationi minus ſatisfacere, mox à ſe repellant, ut ſtudiis ineptos, aut verberibus ita enecent, ut

prius

prius odisse studia quàm intelligere incipiant. Neque verò ingenia omnia ejusdem indolis, & sæpe tardiora illa præcocibus optabiliora, discas ab igne, qui quo fulsit clarior, eò citius extinguitur, qui cum lentâ difficiliq; materia commixtus fumoq; demersus, velut è caligine lucet, vivacior est, quæ enim malignè alit causa, eadem & detinet, longiusq;, ut plurimum hærent, quæ tardius percipiuntur. DIXI.

ORATIO SECUNDÆ CLASSIS, RECITATA à JOHANNE-GEORGIO RIETER, Patricio Noribergensi.

ROmani illi veteres, ajente apud Nonium Marcellum Varrone, virginem de convivio abdicabant ideò, quod virginis acerbæ aures Veneris vocabulis imbui nollent. Sed & iidem majestatem pueritiæ (augustiæ verbum Plinii) non purpurâ magis quàm sanctitate ac verecundiâ percolentes, sedulò operam dabant, ne quid, præsente puero vel diceretur, quod turpe dictu; vel fieret, quod inhonestum factu videretur; ut legimus apud auctorem Dialogi de causis corruptæ eloquentiæ. Quorsum ista? Verecundor equidem, sed dicendum est tamen. Coniicienti mihi in hoc numisma, vestrum, Nobilissimi Amplissimiq; Patres, donum pulcerrimum, oculos, conspecta inibi Venus, astante Cupidine, Cor ardens manu sublatâ ostentans, ruborem primulum expressit: Sed idem me statim collegi, lectâ hac epigraphâ: ARDET VIRTUTI ARDETQUE FURORI. *Hæc enim*

verba, ne verum, purum, divinum amorem cum falsis, fœdis, vesanis q; amoribus, néve virtutis ac nobilitatis lucem, cum illicitorum scelerum cryptis & cloacis commisceamus, aurem satis pervellunt. Ut igitur priscis illis tenebrionibus plures erant deæ Veneres, quarum unam Οὐρανίαν, *sive Cœligenam, aliam* Πάνδημον *sive Vulgivagam, tertiam* Ἀποστροφίαν *Aversatricem, aut Vorticordiam cognominantes, illam quidem, ut virtutis amore succenderentur, has verò, ne turpitudinum stimulis & illecebris percellerentur, venerabantur: Sic hoc emblema quum purum castumq; amorem nobis commendet, tum verò ab impuro incestoq; deterret. Est enim quidam, est honestis ignibus ardens amor, quem tantum abest, ut aversentur sapientes, ut eo affectu, si institutio recta accesserit, nihil in mortalibus magis eximium censeant. Ille est enim, ille, qui sæpe feros squallentesq; animos, veluti rubigine detersâ, & mitigavit, & expolivit: ille qui jacentes humilesq;, tanquam alis additis, ad virtutem sublimes evexit. Neque enim, si credimus Platoni, quisquam adeo ignavus est, quem non inflammet amor, & quasi thyrso virtutis percellat. Unde & poëtæ repentè exsistunt Amoris afflatu. Siquidem, ut Græcus poëta canit,* Μουσικὴν δ' ἄρα Ἔρως διδάσκει, κἂν ἄμουσός τις ᾖ τὸ πρίν. *Musicam docebit amor, imperitus sis licet. Quin & idem Amor deparcos Eucliones recoquit in munificos & largos, inhumanos Timones in festivos atque hilares, si nos non fallit Plutarchus, qui in Convivalibus Quæstionibus proverbium eo trahit,* Ἐπὶ πᾶσιν Φίλῳ τὸ τῶν ἐρώντων δεῖπνον Καλάνδιον. *Quam quidem, cum de se conjecturam fecisset domi magis, quàm ex auditis Scalino senex apud Plautum in Casinâ, sic amorem deprædicat: Omnibus rebus ego amorem credo, & nitoribus nitidis antevenire. Nec potest quicquam commemorari, quod plus salis plusq; leporis hodie habeat. Cocos equidem nimis demiror, qui utuntur condimentis, eos eo condimento* [illegible] *tier, omnibus quod præstat. Namque ubi amor condimentum inerit, cuivis placiturum credo. Neque salsum, neque suave esse potest quicquam, ubi amor non admiscetur. Fel quod amarum est, id mel faciet: hominem ex tristi lepidum & lenem. Sed enim purus hic, ut dixi, amor sit oportet, sanctusq; & innoxius, non qui incendio suo vetita corripiat: sed ardens quædam permaneat amicitia, virtutis specie conciliata. Nam ipsa virtus, si videri posset, admirabiles proculdubiò sui gigneret amores, quum ejus pulcritudo animos intuentium circumfunderet, & delinitos admiratione luminis ac fulgoris sui raperet.*

vaperet. Quid igitur mirum, si & ipsi, quibus ipsa splendorem suum affudit, amentur? Si vota pro salute ipsorum ac gloriâ fiant? Si fortuna, quæ cum eorum virtutibus paria faciat optetur? Si denique præsentia illorum animis adumbretur? Præsertim cum eâ maximè ratione & ipsi virtutis compotes futuri simus, dum in eâ toti tanquam in fermento sumus. Sic enim cor Cymonis amor, ut Poëta fingit, novâ metamorphosi transformavit. Sed nec in veris historiis exempla desunt eorum, quos amor in melius mutavit. Omnium certè hunc artium inventorem in symposio prædicat Homerus ille philosophorum, & qui non solum ipse pulcerrimus optimusq; sit, sed talia reliquis quoque largiatur. Hic Deus est, inquit, qui pacem largitur omnibus, qui mari tranquillitatem, qui ventis requiem. Mansuetudinem quidem porrigens, exterminans feritatem, benevolentiæ largitor, malevolentiæ omnis expulsor: spectandus sapientibus, diis placidus, exoptandus expertibus, & desiderii pater. Bonorum studiosus, malorum contemtor. In labore, in timore, in desiderio, in sermone gubernator, præfectus, adjutor, servatorq; præcipuus. His & similibus in laudes amoris assurgit & attollitur divinus Plato: ad cujus altiloquentiam cum aspirare non possim, hic veluti sessus orationem desino.

DIXI.

ORATIO TERTIÆ CLASSIS, RECITATA à HIERONYMO SCHEURL, Noribergensi.



GRATIARUM ACTIO,

RECITATA AB ANDREA ÖRTELIO, Noribergensi.

QUamvis, Aoniæ Rector Venerande juventæ
Nondum hæc ora mihi lanugine vestiat ætas:
Sœpè tamen miseros tàm vanas volvere curas
Mortales, densa in noctis caligine, miror.
Hei mihi, quàm nullo satis est, has prodere versu!
At velut Alciden, famâ super æthera notum,
Eripuit dubio fati discrimine VIRTUS:
Sic nos cura Deum, ô flos intemeratæ juventæ.
Scilicet hæc nobis, Nobis exempla parantur.
Herculis hoc bivium est, ubi, ne nos publicus error
Præcipites agat in brevia & Syrtes malefidas,
Cauto opus est duce, qui vestigia lubrica firmet.
Felices nimium, quibus hoc licet esse beatis!
Nam quid ego hoc donum dicam memorabile donum!
Quadrifido pulchrè distinctum emblemate donum?
Ne quiquam fugiat rerum, non usque peritos,
Ne fieret, rarò, quæ recta aut curva geruntur.
Labilis hæc ætas sensu dimitteret imo.
Quid memorem tragicæ spectacula tristia Musæ,
Quæ dabit ingenti, post prandia læta, Cothurno
Area Collegi? Certè huc ea denique tendunt,
Non ut hiet patulo ad miracula rusticus ore
Attonitus rerum formis, trepidoque tumultu:
Sed mage, ut excoctum generoso pectus honesto
Abstineat sese vitiorum sordibus istis,
Qualibus imbutus juvenis sine fine modoque
Perniciem ad propriam festinat anhelus & excors,
Dum mala vel duri lacrymas motura Catonis

Incidit

Incidit, & nodum lethi trabe nectit ab altâ.
Et quisquam, ô socii, dubitet, superine laborent,
Ne curis hominum mersemur inanibus! O si
Tam foret hoc cordi nobis, quàm jugiter illis!
Sed sic est, Nobis, ut dixi, exempla parantur,
His sapere, aut miseranda morte perire jubemur.
O qui stelliferi flammantia sidera Cœli
Torques, & bona distribuis mortalibus æqua,
Te colo, te veneror, te flexo poplite adoro,
O serva nobis mitissima tempora pacis,
Dissice consilia, & capiti refer omina belli,
Qui turbare bonum hoc satagunt furialibus ausis.
Sic deerit nunquam (da tu ne defuat unquam,)
Arbiter ingeniorum & morum sedulus autor,
Quo duce, neglectis quæ mundus inania curat
Plurima, virtutis duntaxat semitam eamus.
Et tu, cui in terris dii debentur honores
Noridos ô columen, magni sacer ordo Senatus,
Eja, age; sis facilis Musis, velut usque fuisti,
Et Musæ laudemque tuam, famamque sonabunt.
At vos, quos sacro è numero sacer ordo Senatus
Delegit Patres, Curatoresque Lycei,
Ceu nostram auxistis præsenti numine pompam:
Sic vestris præsens cœptis Deus adsit amicè.
Vos alii, quicunque ultrò hæc ad limina fausti
Venistis, multum salvete mihi, sociisque:
Quos tanto, tamque insigni cumulastis honore.
Te quoque, compello, Rector dignissime, & ore
Quando tuorum in nos meritorum copia tanta est,
Sufficiat gratæ tibi testificatio mentis.
Vos etiam, magni Doctores, lumina nostra,
Hoc finite exorem vos, ne feciſſe minora
Quàm par est, fraudi nobis sit vere sub isto
Ætatis. Sic vos Deus amplis auctibus auxit.

O Domine, exaudi pueri pia vota precesque
Esto bonus, placidusq; tuis, da, quæso, salutem
Successumque tuo populo, da vivere rectè,
Et bene posse mori, ut, postquam tu jusseris ire
Ex hac in aliam vitam, sine murmure eamus
Teq; ibi perpetuis celebremus laudibus, AMEN.

XL. PANEGYRIS, Anni 1616.

SUB RECTORATU D.M. GEORGII QUECCII, ETHICI.

INVITATIO AMPLISSIMI SENATUS NORIBERGENSIS,

RECITATA AB ANDREA SCHÜRGER, Noribergensi.

Τὸ ἔξω τῆς Ἀθηναίων πόλεως γυμνάσιον ἀλσώδες, ἐν ᾧ Πλάτων ἐχόλαζε, καὶ τ' ἄπαντα χρόνον κατεβίωσεν, ὦ ἄνδρες τῇπ Εὐγενείᾳ καὶ τῇ σοφίᾳ προέχοντες, Ακαδημίαν ἀπὸ ἥρω Ακάδημ λέγουσιν ὀνομαθῆναι. Τὸν αὐτὸν τρόπον ἐφ' ἡμῶν τὰ τῇ δημοσίᾳ ἐξουσίᾳ ἀνεῳγμένα, καὶ τοῖς προπαιδεύμασί τε καὶ ἀτελείαις κεκοσμημένα Φροντιστήρια Ακαδημίας καλοῦμεν: ἐν αἷς τὰ καλὰ τῶν μαθημάτων διδάσκετε, καὶ μὴ τῶν διαφόρων γλωττῶν, καὶ τῶν φιλοσοφικῶν ἐπιστημῶν, καὶ τὰ θεολογικὰ, καὶ τὰ νομικὰ, καὶ τὰ ἰατρικὰ ἑρμηνεύεται, καὶ σαφηνίζεται τοῖς ἀκροαταῖς.

Τοιαύτην ἂν Ακαδημίαν καὶ ἡ λαμπροτάτη τῆς Νωρεμβέργης ἐκλησία σύγκλητος τοῖς παρεγενομένοις ἔτεσιν ἐν Αλτορφίῳ ἀνέῳξε: καὶ διέταξε, κατ' ἐνιαυτὸν μηνὶ ἑκατομβαιῶνι ἅμα μὲν τοῖς ἐλλογιμωτέροις τῶν νέων λόγους ἐπενέμειν καὶ τῇ φιλοσοφίας

λειφίας ἐπισκέπτας αὐτὰς καὶ διδασκάλους αἱρεῖσθαι· ἅμα δὲ τῶν παίδων τοὺς εὐφυεστέρους καὶ μᾶλλον φιλοπονουμένους περὶ τὰ γράμματα, βραβεῖσι δωρεῖσθαι, καὶ ἐκ κατωτέρων εἰς ἀνωτέρας μεθιστάναι συμμορίας. Ἐπεὶ τοίνυν αὖθις πάλιν ἡμέρα τῶν παγκυριακῶν ἀναβάσεων ἐγγίζει· τὸ ἀξίωμα ὑμῶν οἱ τῆς Ἀκαδημίας Νομικῆς ἱκέτευσι πρεσβεύειν, ὡς ἐν ἑορτῇ τῶν ἁγίων ἀποστόλων Πέτρου καὶ Παύλου, τὸ Ἀλτορφιον ἐπισκέψασθαι, καὶ τῷ εὐνοϊκῶτατῳ θεῷ συναχθησομένην πανήγυριν τῇ ὑμετέρᾳ κοσμήσαι παρουσίᾳ.

Ταύτῃ τῇ δεήσει ἡμῶν ἐὰν (ὡς ἐλπίζομεν καὶ πιστεύομεν ῥᾳδίως) ἐπινεύσητε, ὦ ἐνδοξότατοι βουλευταί, καὶ διεργέσθαι μεγαλοψυχεῖτε· πρὸς τῷ τὴν ὑμετέρας Ἀκαδημίας σωτηρίαν καὶ αὔξησιν τὸ πρᾶγμα τοῦτο οὐκ ἐλαχίστην ῥοπὴν, συμβαλεῖται. ὥσπερ γὰρ τὸ ζεφύριον πνεῦμα ἥλιόν φασιν οἱ κύκνους ᾄδειν· οὕτως οἱ περὶ τοὺς λόγους ἐλευθερίους, πρὸς τὰ κάλλιστα τῶν ἐπιτηδευμάτων ὁρμηνικώτεροι καθίστανται, ὁπόταν τῶν ἀρχόντων εὐμένειαν καὶ φιλανθρωπίαν τοὺς ἐκείνων πόνους συνεπεγείρει καὶ ὥσπερ ὑδὲν ὕτω παίνει τὸν ἵππον, ὡς ὀφθαλμὸς δεσπότην· τὸν αὐτὸν τρόπον καὶ τὰ τῆς ὑμετέρας Ἀκαδημίας ἄπαυστα δοκεῖ μοι ὀφθαλμὸς ὑμῶν καὶ παρουσία καλά τε καγαθὰ μάλιστα ἐργάσεσθαι, εἰ μὴν γὰρ διδάσκαλοι πλείονα πεποιήσονται τὴν ἐπιμέλειαν τῶν φιλομαθῶν νεανίσκων, ἴδοντες αὐτοὺς τοὺς Νομικῆς βουλευτὰς καὶ σχολάρχας τὰ τῶν ἐκείνων μαθήσεως αὐτόπλας καὶ αὐτηκόους γινομένους. οἱ δὲ νέοι, καλῶν τὰ Ἀκαδημίας φυτῶν, τῇ τῆς ὑμῶν χερὸς γεωργηθέντων αἴκην, ἀφθόνως βλαστήσουσι, καὶ ἐν εὐκαιρίᾳ καρποφορήσουσιν. Οἱ δὲ ξένοι καὶ ἐξωλικοὶ, τὴν ὑμῶν πρὸς τὰς καλὰς ἐπιστήμας εὔνοιαν μεγίστην ἀκούοντες, τοὺς ἑαυτῶν παῖδας καὶ συγγενεῖς προθύμως εἰς ὑμετέραν Ἀκαδημίαν, ὡσπερεί τι τῶν καλλίστων μαθημάτων ἐμπόριον ἀποστελοῦσι.

Τούτων δὲ ὕτως ἐχόντων, εὐγενέσταται καὶ φρονιμώτατοι κύριοι καὶ βουλευταὶ, ξυμπάσης τῆς συγκλήτου βουλῆς δεόμεθα, τὴν ἐν Ἀλτορφίῳ τοῦτο μηνὸς Φθινοντοπώρου γενησομένην πανήγυριν ἅμα τῇ παρουσίᾳ καὶ βλέμματι ὑμῶν γαληνῷ, ἅμα τῶν δώρων ἤτοι βραβείων ἀξιονομῇ λαμπροτέραν ποιῆσαι καὶ πολυθεατροτέραν,

ΕΙΡΗΚΑ.

INVITATIO ALIA EODEM ANNO, RECITATA à FRIDERICO ERNESTO à FEILTSCH, Misnico.

QVi è portu solvunt, Patres Conscripti, quamdiu littoris orã legunt, præsenti sunt animo, minusq; commoventur: sed postquam velis expansis remisq; certantibus in altum provecti sunt, terram non amplius vident, & quocunque oculorum aciem vertunt, cœlum pontumq; undiq; intuentur: toto tunc animo & corpore præ se ferunt, se perturbari & cohorrescere. Idem profecto, Patres Conscripti mihi accidere sentio, dum in tanto Ampliss. Virorum conspectu mihi puero, qui ferè adhuc in Palæstra tantum literaria, & cum mei similibus sum eductus, nunc verba facienda video, qui forte Periclì aut Demostheni in eloquentia exercitatissimis artificibus metum incuterent. Verum illud me consolatur, animumq; perturbatum erigit, quod non sponte mea, sed à superioribus meis jussus (quibus reluctari nefas) id officium in me receperim, eâ spe fretus, me apud vos P. C. facile veniam impetraturum. Faxit Deus, ut navis mea secundis ventis agitata, cursum suum teneat, neve à proposito aberret, inq; vada aut scopulorum anfractus illidat.

Jubent leges Academicæ P. C. gravi cum judicio à majoribus vestris consignatæ, ut sub initium Junii Academiæ vestræ Rector Magnificus & cæteri adjuncti in progressus discipulorum accuratè inquirant, gnavos & industrios ad superiores classes vel mittant, vel publicis lectionibus auscultandis destinent, publicèq; renuncient, non sine remuneratione aliquâ laborum prius exantlatorum in solenni publicoq; loco, & quidem in præsentia Clarissimorum quorundam virorum, nullum alium certè ob finem, quàm ut hi gnavi & industrii laudis stimulo & acclamatione solenni, nec non præmiorum dulcedine illecti, majori ardore erga literarum studia inflammentur, tamq; diu desident in illis, usque dum studiorum scopum cum laude & voto parentum consecuti sint. Ignavi vero & otio dediti hac solenni renunciatione & præmiorum distributione admoneantur se non præmia, sed ignominiam & verbera commeruisse, & cum servo Plautino dicant:

Ignavis improbis viris dantur
Verbera, compedes, molæ,

Magna

Magna laſſitudo, fames frigusq; durum.
Hæc prætia ſunt ignaviæ.

Unde illi vel torpore excuſſo alacrius literarum ſtudia aggrediantur, & quod hucuſque neglectum eſt, reſarciant: vel animum ad aliud vitæ genus applicent.

Huic actui verò & ſolemni renunciationi cum A. V. poſthabitis curis gravioribus negotiisq; ſemper interfuerint, & præſentia ſua quàm auguſtiſſima illum actum condecoraverint: Idcirco Magnificus Rector & cæteri Profeſſores quàm obnixè A. V. rogant, ut in eodem erga Academiam veſtram affectu, & propensâ in literatos animi ſignificatione perſiſtant, atque aliquot ex Ampliſſimorum Senatorum numero Altorſium ad viceſimum nonum hujus menſis diem ablegent, qui perhonorifica ſua præſentia panegyrin illam ſolennem & anniverſariam ornent, & omnibus illis, quæ ibi peragentur benigno lubentiq; animo interſint.

Declarabunt A. V. adventu ſuo perhonorifico, ſe Academiam ſuam magnis olim ſumptibus extructam, non negligere, ſed deinceps quoque conſtanter fovere velle, atque literatorum congreſſus magnifacere. Adiicient denique A. V. nobis noſtrisq; commilitonibus ſtimulum, ut in ſtudiorum ſuſcepto curriculo ardentius deſudemus, uſque dum ſtudiorum ſcopum penitus, favente Deo, attingere liceat, conſecuti ſimus.

Pro quo benevolentiæ genere & provehendarum literarum promtitudine, nos in perpetuum A. V. obſtrictos eſſe libere profitebimur, & hoc rerum noſtrarum ſtatu, præſtabimus, quod jam poſſumus, nimirum Deum ſyncero cordis affectu invocabimus, ut ſuo afflatu conſilioq; A. V. inſtruat, virtute corroboret, inq; omni rerum diſcrimine præſenti numine protegat, quo præclarum & arduum hoc ſenatorii ordinis munus, ad ſuam ſubditorumq; ſalutem exequantur, atque adeo A. V. divina ope fulta, Rempublicam hanc inclytam ſalvam florentemq; conſervent, donec ex hac fluxa mortaliq; vitâ, ad beatam & immortalem translatæ, immarceſſibilem gloriæ coronam mereantur, quam ipſis & nobis concedat Deus unus & trinus in ſecula benedictus.

DIXI.

ORA-

gens in hoc numisma, vestrum, Amplissimi Patres, donum pulcerrimum, contemplor inibi librum pulpito innixum, qui hinc lychni, hinc Solis radiis collucens exhibet legendum apertus; νυχθήμερον, cum superscripto: HAC ITUR AD ASTRA. *Et oculos simul & aures luculentis imaginibus ferit diligentia: quæ nempè nostræ huic ætatulæ studiis operatæ apprimè necessaria est. Etsi enim nulla ad discendum ætas sera; nostrum hoc tamen ætatis, ut sic dicam, ver habilissimum capiendis disciplinis nemo negaverit: Eapropter, dum ingenii vis novella viget, dum curis minimè distrahimur, dum maximè tempestivum atque opportunum est monemur, ut disciplinarum sementem faciamus, nec diurnæ nec nocturnæ in hoc operæ parcentes: ad quod & dignitatis & utilitatis & voluptatis denique stimulis perurgemur. Quæ tria, dum pro captu ingenioli paucis explico, peto, ut omnium ordinum splendidissimi Auditores, eâ, quâ solent, benignitate, balbutientem me audiant. Quid est igitur in homine Ratione atque Oratione præstantius? qui duo veluti limites eum disparant à vilitate reliquorum animalium. Quid porrò hæc ipsa perficit expolitq́, in nobis? An non Eruditio, cujus munere non solum supra bestias, sed ipsos quodammodo homines adtollit se & assurgit homo? Non abs re igitur est, quod Gregorius Nazianzenus in laudatione Basilii, luscis eos comparat, qui eruditionis expertes, sola probitate censentur. Aristoteles quidem etiamnum audacius, interrogatus, quid inter doctos & indoctos esset discrimen? quantum, inquit, inter vivos & mortuos. Idem, testante Laërtio, visum quidem à circumfuso aëre lumen accipere, mentem verò à disciplinis crebrò inter familiares usurpabat. Quibus doctrinæ præconiis pulchrè concinit oraculum Athenienſibus olim editum. Quum enim hi Apollinem consuluissent, quid facto opus esset, ut cives suæ urbis boni viri essent, tulerunt hoc responsum: Immitterent in puerorum aures τὸ κάλλιστον: quo innuebatur, juventutis aures scientiis & bonâ disciplinâ esse inserendas, hoc enim nihil pulchrius, nihil melius, nihil antiquius, λόξιος ille vates per ambages canebat. Magnifica hæc: sed nihil magnificentius, quàm quod mortali immortalitatem in hac etiamnum vita sola conciliat Eruditio. Non enim contecti cædibus campi, non maria cruentata, non terrarum orbis bello concussus magnos olim homines prohibuerunt mori, sed hoc illis præstiterunt labores, vigiliæq́, doctorum. Tolle hæc: jam Agamemnon cum mille navium classe naufragium fecerit memoriæ ac nominis sui: jam de domitore Orientis Cyro triumphabit*

umphabit oblivio: jam magnum ac supra hominem frustra spiraverit Alexander: jam Cæsar belli fulmen atque aquila in nubibus non erit. Quid? quod ipsi sibi, sed innoxiâ (quod caput est) multumq; etiam humano generi profuturâ ac salutari claritate possunt ac solent esse immortalitatis fabri viri docti suis monumentis? Satis de dignitate: neque enim insistere, sed leviter duntaxat libare res, permittunt temporis angustiæ. Quare nunc ad utilitatem transeo: quam verbis Cassiodori perstringam. Apud eum igitur rex Gothorum doctrinam hisce deprædicat: Desiderabilis, inquit, Eruditio literarum, quæ naturam laudabilem eximiè reddit ornatam. Ibi prudens invenit, undè sapientior fiat: ibi bellator reperit, unde animi virtute roboretur: inde princeps, quemadmodum populum sub æquitate componat: Nec aliqua in mundo potest esse fortuna, quam literarum non augeat glorioſa notitia. Et hæc quidem ille paucis multa: quibus tamen multò plura possint addi, ni tempus aurem pervellat, ut ad voluptatem porrò progrediar. Quodnam igitur voluptatis genus sese æquiparet ad hanc ingenuam verèq; cælestem voluptatem, quam usque & usque discendo haurimus? in quam voluptatem adeo quidam veterum sese ingurgitarunt, ut helluones librorum audirent, haud abs re quidem. Sola enim discendi sitis inexhausta; solus hic ardor inexplebilis: soli hac dulcedine ebrii, ea quæ prima ducuntur à cæteris mortalibus contemnunt ac pro nihilo putant. Adiice nunc quantum studioſus frugiq; Adolescens voluptatis capiat ex recordatione temporis à sese benè collocati, ex profectu suo, quem quotidiè facit: ex amore & laudibus tum propinquorum, tum etiam extraneorum. Quæ omnia si quis ad lancem recti judicii exegerit; næ illos, qui voluptatem alia & perversa via sectantur æquales suos vino lustriq; demersos, res suas sibi habere, multumq; plorare ac miseros esse, dum in ipsis etiam floribus anguntur, adolescens probus jubebit. DIXI.

ORATIO TERTIÆ CLASSIS, RECITATA à JOHANNE-GEORGIO AYRMAN, Noribergenſi.



QVo me autem vocas? Rector magnifice, ad Aleam? Teſſeras? Chartas luſorias? ad pocula? ad crapulam? & luxuriæ obiicis inſtrumenta? atque pruriginis arma? Quæ animum tenellum, & ad ſeria nondum firmum facilè pertentent, aut etiam abripiant. Ego verò ſerio id te agere, perſuadere mihi nondum poſſum: publico enim convicio hodieq; vapulant, quotquot hiſce ſeſe ludicris mancipare ſolent; & non ſine cauſa me terret πεῖγα φὴ *emblematis, quæ eſt:* HAC ITUR AD ORCUM. *Videlicet ita fieri ſolere plerumque, & pauciſſimos quosque rectam inſiſtere ſemitam, quam meus anteceſſor & oſtendit & collaudavit modò, plures voluptatum & deliciarum velut Euripo tranſverſos abripi, & in extremam tandem exitii voraginem præcipitari, numus hic noſter indicat. Atque id potiſſimum loco alieniſſimo fieri in Academiis nimirum, quò mittimur à parentibus tanquam in arcem ſapientiæ, templum veritatis, ſcientiarum theſaurum, omnium liberalium artium mercatum, palæſtram modeſtiæ & humanitatis, civilium inſtrumentorum armentarium, officinam denique converſationis & amicitiarum, &, ut paucis omnia dicam, paradiſum quendam perfectæ felicitatis. Quid nos? eò ubi devenimus tanquam Lethes paludem prætervecti, unde, & quo, & quibus cum mandatis venerimus, prorſus oblivíſcimur. In omnem enim licentiam atque luxuriam effuſi omni pietati, virtuti, &*

tuti, & doctrinæ denique omni veluti nuncium remittimus, Baccho & Veneri sive ventri Murciæq; dies & noctes operati: quasi forum aleatorium calefacere quotidiè, tesseras & chartas lusorias sine missione tractare, in noctem prandia, in diem cœnas producere, aut si quid reliquum est noctis, immanibus & belluinis clamoribus tribuere, sibi & aliis jucundissimum naturæ beneficium, quod somnum appellamus, intervertere, ne fœdiora dicam alia, sit studiosum esse aut academicum? O noxium errorem, & trahentem in præcipitia, nisi corrigatur, & ultrò omnes Academias, si studiis prodesse, moribus autem nocere eas constaret. Sed videlicet voluptas est, quæ animos juveniles in prærupta vocat,

Blanda quidem vultu, sed qua non tetrior ulla
Interius, fucata genas, & amicta dolosis
Illecebris, torvos auro circumligat hydros.

Huic animosè resistendum est initio statim, atque ab ejus cantilenis animi & sensus abducendi, ne illa nos prior evertat, & bonis omnibus, & ipsa valetudine; compleat vero dedecoris & infamiæ, denique ad restim, aut flumen vocet. Tolerari fortè posset hæc non ingrata voluptatis Tyrannis, si lacerato aleâ, ventre, manu per solutam adolescentiam patrimonio egestas solum vexaret: corpus & fama vigorem suum retinerent. Sed & illud frangitur quotidianis mortibus (quid enim est aliud quotidie vino, epulisq; sepeliri, quàm quotidie mori) doletq; faciendum sibi sæpius, quod lege naturæ facere debebat semel succumbere videlicet, & extingui. Infamia autem ante fores accubat, ut & dedecus publicum: Quis enim ad eum respiciat, qui ventri per omnia servit, & libidini? qui brutis ipsis fœdior est, quæ raro, aut etiam nunquam à naturæ legibus, & terminis in cibo, potu, Venere recedunt? Nihil dico de conscientiæ tormentis, nihil de exitu talium, qui sæpe horribilis; nihil de exitio, quod æternum.

Respiscite ergo, O Juvenes, respiscite, inquam, & solutæ hunc, corruptæq; vitæ typum damnantes ad seria, hoc est, sapientiam & virtutem convertite; luxuriam autem:

----prædulce malum, quæ dedita semper
Corporis arbitriis, hebetat caligine sensus,
Membraq; Circæis effœminat acrius herbis,
Vosque voluptatum incautos innexuit hamis:

Deserite

Deserite dum licet, & institutum vestrum, parentum spes ac vota, propinquorum expectationem, Reipublicæ jura & postulata ad animum revocate: Sic enim fiet, ut relicto hoc lubrico, quod ad Orcum ducit, semitam teratis rectam, quæ in templum initiò vos Virtutis, & per illud in Honoris tandem etiam, cum immortali vestra gloria & inducat, & ad Reipublicæ Christianæ salutem, & commoda procuranda reducat. DIXI.

ORATIO QUARTÆ CLASSIS, RECITATA à CHRISTOPHORO-ALBERTO à Sekendorff, Franco.



Male natura consuluit hominibus, quod Επιμηθεῖς *potius, quàm* Προμηθεῖς *plerosq; finxit, nec saltem catus ille Siculus illis insusurravit:* Ου μεταγνοῦν, ἀλλὰ προγνοῦν χρὴ τὸν ἄνδρα τὸ σοφόν. *Hoc mihi, Magnifice Domine Rector, cæteriq; splendidissimi nobilissimiq; auditores, hoc, inquam, adolescens quoque iste, cujus hic numus effigie incusus, quamvis tacitus, loqui ac clamare videtur. Enimverò illum post admissa flagitia dolor expœnitentiæ urit incomparabilis, ac modo non lamentatur illud Poëtæ Persii:* Imus præcipites. *Item:*

Anne magis Siculi gemuerunt æra juvencæ.

Sic certè in cubitum se composuit: sic mœstus intuetur terram: sic obstupuit: sic desperatio toto ex ore eminet: sic oculi lachrymas stillant: sic humi sparsa *sub pedibus instrumenta nequitiæ jacent: ut illud quod mensæ inscriptum, hic*

ptum, sine lucro, *jocus ludusq́ videatur, præ tormentis illis, quibus intus laceratur: sed nec marginalis inscriptio:* POST JUBILA FLETUS, *paria cum ipsius miseria facit. Heu quo malorum redactus est miser, dum ad inertiam ac voluptates corporis pessum dato, perniciosaq́ libidine paulisper uso, per socordiam vires, tempus, ingenium defluxêre? Quantillo gustato dulcedinis, quàm largiter acerbitatis ipsi nunc devorandum est! Primum novit, se non posse non iratum habere Deum, ipsosq́ parentes ac propinquos à se alienos, atque adeo se culpa sua invisum esse illis, quibus placere æquum fuit. Deinde loculis exinanitis, ære alieno sese obrutum luget: impressamq́ famæ maculam erubescit: sed & pœnam à magistratu imminentem pertimescit: ac denique nihil bonæ spei in posterum sibi reliquum factum videns, minimo minus animum despondet. Serò enim animadvertit, se quo tempore fructus studiorum percipere jam debeat, eo nullam adhuc doctrinæ feciſse semitam: hebetatam esse vim ingenii, decoxisse vires memoriæ, omnem studendi libidinem amissam esse. En, quàm* sine lucro *Cornelius noster nepotatus luxuriatusq́ sit! Ite nunc, qui studendi laborem aversati præcipitem vitiorum viam institistis, ite, & in periculum cæci ruite!*

At nos ô æquales, si propria nobis salus felicitasq́ cordi, si non & deduimus & dedoluimus, ad frugem, per Dei misericordiam animum applicemus, quanquam ibi, ut ille ait, animo labos grandis capitur. Μοχθῶν ἀνάγκη θεοὶ γλῶνας τυχῶν: *ac laboribus bona Dii vendunt. Quare, ut scitè ac rotundè Crates Philosophus, sive expetendus, sive fugiendus est labor, laborandum est, ne laboremus. Nam, verbis Horatii: Si nolis sanus, curres hydropicus. Atque hac veluti gemmula ea, quæ dixi, obsigno.* DIXI.

GRATIARUM ACTIO,
RECITATA AB ANDREA ÖRTELIO, *Noribergensi.*

QUamvis, Aoniæ Rector Venerande juventæ
Nondum hæc ora mihi lanugine vestiat ætas:
Sœpè tamen miseros tàm vanas volvere curas
Mortales, densa in noctis caligine, miror.
Hei mihi, quàm nullo satis est, has prodere versu!
At velut Alciden, famâ super æthera notum,
Eripuit dubio fati discrimine VIRTUS:
Sic nos cura Deum, ô flos intemeratæ juventæ.
Scilicet hæc nobis, Nobis exempla parantur.
Herculis hoc bivium est, ubi, ne nos publicus error
Præcipites agat in brevia & Syrtes malefidas,
Cauto opus est duce, qui vestigia lubrica firmet.
Felices nimium, quibus hoc licet esse beatis!
Nam quid ego hoc donum dicam memorabile donum?
Quadrifido pulchrè distinctum emblemate donum?
Ne quiquam fugiat rerum, non usque peritos,
Ne fieret, rarò, quæ recta aut curva geruntur.
Labilis hæc ætas sensu dimitteret imo.
Quid memorem tragicæ spectacula tristia Musæ,
Quæ dabit ingenti, post prandia læta, Cothurno
Area Collegi? Certè huc ea denique tendunt,
Non ut hiet patulo ad miracula rusticus ore
Attonitus rerum formis, trepidoque tumultu:
Sed mage, ut excoctum generoso pectus honesto
Abstineat sese vitiorum sordibus istis,
Qualibus imbutus juvenis sine fine modoque
Perniciem ad propriam festinat anhelus & excors,
Dum mala vel duri lacrymas motura Catonis

Incidit

Incidit, & nodum lethi trabe nectit ab altâ.
Et quisquam, ô socii, dubitet, superine laborent,
Ne curis hominum mersemur inanibus! O si
Tam foret hoc cordi nobis, quàm jugiter illis!
Sed sic est, Nobis, ut dixi, exempla parantur,
His sapere, aut miseranda morte perire jubemur.
O qui stelliferi flammantia sidera Cœli
Torques, & bona distribuis mortalibus æqua,
Te colo, te veneror, te flexo poplite adoro,
O serva nobis mitissima tempora pacis,
Dissice consilia, & capiti refer omina belli,
Qui turbare bonum hoc satagunt furialibus ausis.
Sic deerit nunquam (da tu ne defuat unquam,)
Arbiter ingeniorum & morum sedulus autor,
Quo duce, neglectis quæ mundus inania curat
Plurima, virtutis duntaxat semitam eamus.
Et tu, cui in terris dii debentur honores
Noridos ô columen, magni sacer ordo Senatus,
Eja, age; sis facilis Musis, velut usque fuisti,
Et Musæ laudemque tuam, famamque sonabunt.
At vos, quos sacro è numero sacer ordo Senatus
Delegit Patres, Curatoresque Lycei,
Ceu nostram auxistis præsenti numine pompam:
Sic vestris præsens cœptis Deus adsit amicè.
Vos alii, quicunque ultrò hæc ad limina fausti
Venistis, multum salvete mihi, sociisque:
Quos tanto, tamque insigni cumulastis honore.
Te quoque, compello, Rector dignissime, & ore
Quando tuorum in nos meritorum copia tanta est,
Sufficiat gratæ tibi testificatio mentis.
Vos etiam, magni Doctores, lumina nostra,
Hoc finite exorem vos, ne feciſſe minora
Quàm par est, fraudi nobis sit vere sub isto
Ætatis. Sic vos Deus amplis auctibus auxit.

O Domine, exaudi pueri pia vota precesque
Esto bonus, placidusq; tuis, da, quæso, salutem
Successumque tuo populo, da vivere rectè,
Et bene posse mori, ut, postquam tu jusseris ire
Ex hac in aliam vitam, sine murmure eamus
Teq; ibi perpetuis celebremus laudibus, AMEN.

XL. PANEGYRIS, Anni 1616.

SUB RECTORATU D.M. GEORGII QUECCII, ETHICI.

INVITATIO AMPLISSIMI SENATUS NORIBERGENSIS,

RECITATA AB ANDREA SCHÜRGER, Noribergensi.

Τὸ ἔξω τῆς Ἀθηναίων πόλεως γυμνάσιον ἀλσῶδες, ἐν ᾧ πλάτων ἐσχόλαζε, καὶ τ' ἄπαυστα χρόνον κατεβίωσεν, ὦ ἄνδρες τῇτι θεγενείᾳ καὶ τῇ σοφίᾳ σεσεμνυμένοι, Ἀκαδημίαν ἀπὸ ἥρωος Ἀκαδήμου λέγεσιν ὀνομασθῆναι. Τὸν αὐτὸν τρόπον ἐφ' ἡμῶν τὰ τῇ δημοσίᾳ ἐξεσίᾳ ἀνεῳγμένα, καὶ τοῖς σεσεμνυμένοις τε καὶ ἀτελείαις πεκοσμημένα Φρονιστήρια Ἀκαδημίας καλοῦμεν: ἐν οἷς τὰ καλὰ τῶν μαθημάτων διδάσκεται, καὶ μὴ τῶν διαφόρων γλωττῶν, καὶ τῶν φιλοσοφικῶν ἐπιστημῶν, καὶ τὰ θεολογικὰ, καὶ τὰ νομικὰ, καὶ τὰ ἰατρικὰ ἑρμηνεύεται, καὶ σαφηνίζεται τοῖς ἀκροατῆς.

Τοιαύτην ἦν Ἀκαδημίαν καὶ ἡ λαμπροτάτη τῆς Νωρεμβέργης ἐκλησιάρχης συγκλητος τοῖς πεπρεσβευμένοις ἔτεσιν ἐν Ἀλτορφίῳ ἀνέῳξε καὶ διέταξε, κατ' ἐνιαυτὸν μηνὶ σπατομβαιῶνι αἷμα μὲν τοῖς ἐλλογιμωτέροις τ νέων ἡμᾶς ἀσπάσεσθαι καὶ τ φιλοσοφίας

λοσοφίας ἐπιστάτης αὐτὸς καὶ διδασκάλους αἱρεῖσθαι: ἅμα δὲ τῶν παίδων τοὺς φυσει σεις καὶ μᾶλλον φιλοπονωμένους περὶ τὰ γράμματα, βραβεῖσι δωρεῖσθαι, καὶ ἐκ κατωτέρων εἰς ἀκροτέρας μεθιστάναι συμμορίας. Ἐπεὶ τοίνυν αὖθις πάλιν ἡμέρα τῶν παιγνιακῶν ἀναβάσεων ἐγγίζει: τὸ ἀξίωμα ὑμῶν οἱ τῆς Ἀκαδημίας Νομικῆς ἱκετεύουσι προστάτην, ὡς ἂν ἑορτὴν τῶν ἁγίων ἀποστόλων Πέτρου καὶ Παύλου, τὸ Ἀλτέρφιον ἐπισκέψασθαι, καὶ τῷ θεοῦντι θεῷ συναχθησομένην πανήγυριν τῇ ὑμετέρᾳ κοσμήσαι παρουσίᾳ.

Ταύτῃ τῇ δεήσει ἡμῶν ἐὰν (ὡς ἐλπίζομεν καὶ πιστεύομεν ῥᾳδίως) ἐπινεύσητε, ὦ ἐνδοξότατοι βουλευταί, καὶ συνεργήσητε μεγαλοψυχεῖς: πρὸς τὸ τῆς ὑμετέρας Ἀκαδημίας σωτηρίαν καὶ αὔξησιν τὸ πρᾶγμα τοῦτο οὐκ ἐλαχίστην ῥοπὴν, συμβαλεῖται. ὥσπερ γὰρ τὸ ζεφύριον πνεόντων ἡδιστά φασι τοῦ κύκνους ᾄδειν: οὕτως οἱ πρὸς τοῦ λόγους ἐλαθέρους, πρὸς τὰ κάλλιστα τῶν ἐπιτηδευμάτων ὁρμητικώτεροι καθίστανται, ὁπόταν τῶν ἀρχόντων εὐμένεια καὶ φιλανθρωπία τοὺς τῶν ἐκείνων πόνους συνεπαίρῃ καὶ ὥσπερ ὑδὲν ὕτω παίνει τὸν ἵππον, ὡς ὀφθαλμὸς δεσπότης: τὸν αὐτὸν τρόπον καὶ τὰ τῆς ὑμετέρας Ἀκαδημίας ἅπαντα δοκεῖ μοι ὀφθαλμὸς ὑμῶν καὶ παρουσία καλά τε καγαθὰ μάλιστα ἐργάσεσθαι, εἰ μὴ γὰρ διδάσκαλοι πλείονα ποιήσονται τὴν ἐπιμέλειαν τῶν φιλομαθῶν νεανίσκων, ἰδόντες αὐτοὺς τοὺς Νομικῆς βουλευτὰς καὶ σχολάρχας τὰ τῶν ἐκείνων μαθήσεως αὐτόπλας καὶ αὐτηκόους γινομένους. οἱ δὲ νέοι, καλῶν τῆς Ἀκαδημίας φυτῶν, τῆς τῶν ὑμῶν χερσὶ γεωργηθέντων δίκην, ἀφθόνως βλαστήσουσι, καὶ ἐν εὐκαιρίᾳ καρποφορήσουσιν. Οἱ δὲ ξένοι καὶ ἐξωλικοὶ, τὴν ὑμῶν πρὸς τὰς καλὰς ἐπιστήμας εὔνοιαν μεγίστην ἀκτήσαντες, τοὺς ἑαυτῶν παῖδας καὶ συγγενεῖς προθύμως εἰς ὑμετέραν Ἀκαδημίαν, ὡσπερεὶ τὰ τῶν καλλίστων μαθημάτων ἐμπόριον ἀποστελοῦσι.

Τούτων δὲ ὕτως ἐχόντων, εὐγενέστατοι καὶ φρονιμώτατοι κύριοι καὶ βουλευταὶ, ξυμπάσης τῆς συγκλήτου βουλῆς δεόμεθα, τὴν ἐν Ἀλτερφίῳ τοῦτο μηνὸς Φθινοντος γιγνομένην πανήγυριν ἅμα τῇ παρουσίᾳ καὶ βλέμματι ὑμῶν γαληνῷ, ἅμα τῶν δώρων ἤτοι βραβείων διανομῇ λαμπροτέραν ποιεῖν καὶ πολυθεατοτέραν.

ΕΙΡΗΚΑ.

INVITATIO ALIA EODEM ANNO, RECITATA à FRIDERICO ERNESTO à FEILTSCH, Misnico.

QVi è portu solvunt, Patres Conscripti, quamdiu littoris orã legunt, præsenti sunt animo, minusq; commoventur: sed postquam velis expansis remisq; certantibus in altum provecti sunt, terram non amplius vident, & quocunque oculorum aciem vertunt, cœlum pontumq; undiq; intuentur: toto tunc animo & corpore præ se ferunt, se perturbari & cohorrescere. Idem profecto, Patres Conscripti mihi accidere sentio, dum in tanto Ampliss. Virorum conspectu mihi puero, qui ferè adhuc in Palæstra tantum literaria, & cum mei similibus sum eductus, nunc verba facienda video, qui forte Periclē aut Demosthenī in eloquentia exercitatissimis artificibus metum incuterent. Verum illud me consolatur, animumq; perturbatum erigit, quod non sponte mea, sed à superioribus meis jussus (quibus reluctari nefas) id officium in me receperim, eâ spe fretus, me apud vos P. C. facile veniam impetraturum. Faxit Deus, ut navis mea secundis ventis agitata, cursum suum teneat, neve à proposito aberret, inq; vada aut scopulorum anfractus illidat.

Jubent leges Academicæ P. C. gravi cum judicio à majoribus vestris consignatæ, ut sub initium Junii Academiæ vestræ Rector Magnificus & cæteri adjuncti in progressus discipulorum accuratè inquirant, gnavos & industrios ad superiores classes vel mittant, vel publicis lectionibus auscultandis destinent, publiceq; renuncient, non sine remuneratione aliquâ laborum prius exantlatorum in solenni publicoq; loco, & quidem in præsentia Clarissimorum quorundam virorum, nullum alium certè ob finem, quàm ut hi gnavi & industrii laudis stimulo & acclamatione solenni, nec non præmiorum dulcedine illecti, majori ardore erga literarum studia inflammentur, tamq; diu desident in illis, usque dum studiorum scopum cum laude & voto parentum consecuti sint. Ignavi vero & otio dediti hac solenni renunciatione & præmiorum distributione admoneantur se non præmia, sed ignominiam & verbera commeruisse, & cum servo Plautino dicant:

Ignavis improbis viris dantur
Verbera, compedes, molæ,

Magna

Magna lassitudo, fames frigusq; durum.
Hæc prætia sunt ignaviæ.

Unde illi vel torpore excusso alacrius literarum studia aggrediantur, & quod hucusque neglectum est, resarciant: vel animum ad aliud vitæ genus applicent.

Huic actui verò & solemni renunciationi cum A. V. posthabitis curis gravioribus negotiisq; semper interfuerint, & præsentia sua quàm augustissima illum actum condecoraverint: Idcirco Magnificus Rector & cæteri Professores quàm obnixè A. V. rogant, ut in eodem erga Academiam vestram affectu, & propensâ in literatos animi significatione persistant, atque aliquot ex Amplissimorum Senatorum numero Altorfium ad vicesimum nonum hujus mensis diem ablegent, qui perhonorifica sua præsentia panegyrin illam solennem & anniversariam ornent, & omnibus illis, quæ ibi peragentur benigno lubentiq; animo intersint.

Declarabunt A. V. adventu suo perhonorifico, se Academiam suam magnis olim sumptibus extructam, non negligere, sed deinceps quoque constanter fovere velle, atque literatorum congressus magnifacere. Adiicient denique A. V. nobis nostrisq; commilitonibus stimulum, ut in studiorum susceptо curriculo ardentius desudemus, usque dum studiorum scopum penitus, favente Deo, attingere liceat, consecuti simus.

Pro quo benevolentiæ genere & provehendarum literarum promtitudine, nos in perpetuum A. V. obstrictos esse libere profitebimur, & hoc rerum nostrarum statu, præstabimus, quod jam possumus, nimirum Deum syncero cordis affectu invocabimus, ut suo afflatu consilioq; A. V. instruat, virtute corroboret, inq; omni rerum discrimine præsenti numine protegat, quo præclarum & arduum hoc senatorii ordinis munus, ad suam subditorumq; salutem exequantur, atque adeo A. V. divina ope fultæ, Rempublicam hanc inclytam salvam florentemq; conservent, donec ex hac fluxa mortaliq; vitâ, ad beatam & immortalem translatæ, immarcessibilem gloriæ coronam mereantur, quam ipsis & nobis concedat Deus unus & trinus in secula benedictus.

DIXI.

ORA-

ORATIO PRIMÆ CLASSIS, RECITATA à PAULO IN HOF, Patricio Noribergensi.



SAtisfeciſſe jam officio videbar meo, Rector Magnifice, cum & animum & conſcientiam oblatione pulcherrimi numiſmatis & admiratione munificentiæ laudatiſſimæ Reipublicæ Norimbergenſis & oculos intuitu brabei affabre ſculpti & effigiati pavi oblectaviq. At tu, ut video, aliquid amplius poſtulas, & vis me expoſitione brevi emblematis etiam aures circumfluentis hujus cœtus & florentiſſimi ſplendidiſſimiq, conſeſſus paſcere ac delinire, quod utinam, uti tu pro jure exigis, ita ego pro mandati tui dignitate & ſplendore Auditorii exſequi poſſim. Ut ut vero ſit, cum obſequii gloriam mihi relictam videam, imperitiæ & infantiæ notam apud tam æquos Auditores non deprecabor, cum præſertim expoſitio hæc æqualium meorum causâ exigi videatur, non eorũ, qui, cum ſummâ & perfectiſſimâ Doctrinæ, Prudentiæ, Sapientiæ prærogativa, approbatores noſtræ induſtriæ hic conſident, quibus hæc jam & perſpectiſſima & familiariſſima ſunt.

Brabeum igitur noſtrum, ut ſine ulteriori ambage ad rem veniam, repræſentat arbuſculam, ex unâ, dextrâ nempe parte, frugiferam; ex alterâ, veluti ſterileſcentem, non tamen in totum aridam, ſed de qua ſit ſpes fructus ſubſequentis, aut cujus ſurculus vireſcens adhuc ſtirpi alii inſeri & implantari poſſit, cum emblemate: NON EADEM FERT OMNIA RADIX. *Et quis ambigat hic aut hæreat! Experientia videlicet docet: Non eoſdem ex iiſdem*

x iisdem parentibus, etiam optimis, progigni liberos, sed γνησίους alios & genuinos, paternæ virtutis ac gloriæ hæredes & custodes acerrimos, alios contra degeneres & Metellis illis fratribus similes, quorum matrem, si quintum pareret, asinum parituram ferebant Romæ. Intuere mecum ipsa mundi incunabula & primum par conjugum Adamum & Hevam, quantum ex Abelis sanctitate voluptatis, tantum, & eo amplius, doloris ex impietate Caini perceperunt. Nec melior conditio Noachi fuit, cujus filium minorem Chamum neque patris institutio fidelis & diligens, neque horrendum justitiæ divinæ in diluvio editum exemplum emollire potuit, quo minus parenti, vino & somno devicto, petulanter nimis insultaret. Considera diversitatem ingeniorum & morum in Jacobo & Esauo, quos uno conceptu fovit, uno partu edidit Isaaci Rebecca, neque desunt hujus rei rationes, ab eruditis congestæ, & partim ex divinæ, partim ex humanæ sapientiæ thesauris erutæ. Unde, prudentes & pii qui sunt parentum, quibus degeneres aliqui primo ætatis vere liberi sunt, agnoscunt pœnam & manum Dei, qui parentum, hominum videlicet, peccata ista ratione punire solet, &, id se facturum, serio edixit, non tamen desperant de illis aut prorsus abiiciunt, sed ut hortulani diligentes sterilescentes palmites majori curâ fovent & observant, quàm ferocientes, ita isti, & diligentius & acrius monendo instant filiis, ut ad frugem redeant, & vel tandem resipiscant. Ut item hortulani cum sterilitatem in totum verentur, ramunculum, quâ succulentus adhuc est, recidunt à radice, & alteri inserunt & implantant stirpi, ut inde succum vigoremq; trahat, & sic fœcundetur fructusq; speratos ferat: ita boni parentes, filios, si domi nolint admittere disciplinam, transferunt in academias & ad præceptores industrios & fideles, aut certè iis applicant vitæ generibus, ad quæ animo feruntur, ut si non ad gloriæ culmen deducere, abducere saltem ab infamiâ possint. Atque huc omnino pertinet quod Sexto Empyrico Autori tribuitur: Corpus esse characterem animi. Sicut igitur parentes liberos corporis aliquo vitio deformes non perimunt, aut domo eiiciunt, sed calidius etiam amant, quàm membris integros & forma conspicuos, ita & animi vitia non sunt statim exsecranda, sed sapienti moderatione corrigenda, & ex devio in semitam revocanda. Tam propitius illa miser pater aspiciet, quàm ægros suos medicus: curabit & curare non desinet, licet lenta sit curatio. Intuere mihi illum, cujus navigium multam, undiq; laxatis compagibus, aquam trahit: nautis ipsis è navigio

 trascitur?

iraſcitur? quin occurrit potius, & aliam excludit undam, deinde aliam egerit, manifeſta foramina præcludit, latentibus & ex occulto ſentinam ducentibus labore continuo reſiſtit, nec ideo intermittit, quia, quantum exhauſtum eſt, ſubnaſcitur. Lento videlicet adjutorio opus eſt, contra illam animi labem, & ſi non impetrari poteſt, ut deſinat, curandum ſaltem, ne vincat & efferatur. Unde nunquam mihi placere potuit Ariſtippi & factum & dictum: Factum quidem, quod degeneres, ut arbitrabatur, filios negligeret, tanquam è ſe nati non eſſent, incuſatusq; ob eam cauſam dictum adjecit improbum: An non & pituitam & pediculos è nobis natos, veluti inutiles, procul à nobis item abiicimus: Apage ſis Ariſtippe cum iſtâ inſaniente tuâ ſapientiâ: alio loco habendi ſunt liberi, quàm iſta fœditates, quas tu commemoras: neque Auguſtum hîc audio, qui filias ſuas, ſuas appellare vomicas conſueverat. Scilicet quomodo ſterilitatem, aut nimios imbres & cætera naturæ mala aut numinum iras, ita improbitatem filiorum tolerare oportet. Interim Deum precari, ut ipſe mentem iis immutet, & monita noſtra ſui ſpiritus calore fœcundet, ut in agrum admiſſa animorum fructum ferant, & correctio atque emendatio vitæ voluptati nobis ſint, quo faciet multum converſatio cum optimis, ut enim, qui in ſole ambulant, colorem trahere neceſſe eſt, &, qui in culinâ, aromata olere: ita meliores fieri qui bonis convivunt: Quem convictus & cohabitatio latronum efferaverat puerum, eum converſatio Divi Johannis, repudiato infami genere vitæ, pietati conſecravit. Polemon luxurioſiſſimus juvenum inter pſaltrias atque tibicinas & impudicas mulieres ebrius coronatusq;, cum irrupiſſet petulanter in Xenocratis Academiam, audito de temperantiâ ſermone, quem ipſius causâ Xenocrates inſtituerat, corollas capiti detraxit & molli illo vitæ infamis genere relicto in ſummum migravit Philoſophum: Nihil de Socratis ingenio & naturâ, animi propoſito immutata, nihil de juventute Themiſtoclis in vino & luſtris actâ, & Miltiadis trophæis immutata hîc dicam: vel hodierna nobis actio comica exemplum ſuppeditabit, non eſſe de adoleſcentiâ præmaturè deſperandum: multæ ſunt rationes redeundi ad frugem, multa incentiva: Amor ſæpè virtutem incendit, nonnunquam invidia, nonnunquam exempla. Idem verò, quod parentibus, & præceptoribus dictum velim. Sunt enim quidam ita moroſi, ut, ſi videant diſcipulorum profectum ſuæ exſpectationi minus ſatisfacere, mox à ſe repellant, ut ſtudiis ineptos, aut verberibus ita enecent, ut

prius

prius odisse studia quàm intelligere incipiant. Neque verò ingenia omnia ejusdem indolis, & sæpe tardiora illa præcocibus optabiliora, discas ab igne, qui quo fulsit clarior, eò citius extinguitur, qui cum lentâ difficilique materia commixtus fumoq; demersus, velut è caligine lucet, vivacior est, quæ enim malignè alit causa, eadem & detinet, longiusq;, ut plurimum hærent, quæ tardius percipiuntur. DIXI.

ORATIO SECUNDÆ CLASSIS, RECITATA à JOHANNE-GEORGIO RIETER, Patricio Noriborgensi.

ROmani illi veteres, ajente apud Nonium Marcellum Varrone, virginem de convivio abdicabant ideò, quod virginis acerbæ aures Veneris vocabulis imbui nollent. Sed & iidem majestatem pueritiæ (augustiæ verbum Plinii) non purpurâ magis quàm sanctitate ac verecundiâ percolentes, sedulò operam dabant, ne quid, præsente puero vel diceretur, quod turpe dictu; vel fieret, quod inhonestum factu videretur; ut legimus apud auctorem Dialogi de causis corruptæ eloquentiæ. Quorsum ista? Verecundor equidem, sed dicendum est tamen. Coniicienti mihi in hoc numisma, vestrum, Nobilissimi Amplissimiq; Patres, donum pulcerrimum, oculos, conspecta imibi Venus, astante Cupidine, Cor ardens manu sublatâ ostentans, ruborem primulum expressit: Sed idem me statim collegi, lectâ hac epigraphâ: ARDET VIRTUTI ARDETQUE FUROR. *Hæc enim*

verba, ne verum, purum, divinum amorem cum falsis, fœdis, vesanis q; amoribus, néve virtutis ac nobilitatis lucem, cum illicitorum scelerum cryptis & cloacis commisceamus, aurem satis pervellunt. Ut igitur priscis illis tenebrionibus plures erant deæ Veneres, quarum unam Οὐρανίαν, *sive Cœligenam, aliam* Πάνδημον *sive Vulgivagam, tertiam* Ἀποστροφίαν *Aversatricem, aut Vorticordiam cognominantes, illam quidem, ut virtutis amore succenderentur, has verò, ne turpitudinum stimulis & illecebris percellerentur, venerabantur: Sic hoc emblema quum purum castumq; amorem nobis commendet, tum verò ab impuro incestoq; deterret. Est enim quidam, est honestis ignibus ardens amor, quem tantum abest, ut aversentur sapientes, ut eo affectu, si institutio recta accesserit, nihil in mortalibus magis eximium censeant. Ille est enim, ille, qui sæpe feros squallentesq; animos, veluti rubigine detersâ, & mitigavit, & expolivit: ille qui jacentes humilesq;, tanquam alis additis, ad virtutem sublimes evexit. Neque enim, si credimus Platoni, quisquam adeo ignavus est, quem non inflammet amor, & quasi thyrso virtutis percellat. Unde & poëtæ repentè exsistunt Amoris afflatu. Siquidem, ut Græcus poëta canit,* Μουσικὴν δ' ἄρα Ἔρως διδάσκει, κἂν ἄμουσός ᾖ τὸ πρίν. *Musicam docebit amor, imperitus sis licet. Quin & idem Amor deparcos Eucliones recoquit in munificos & largos, inhumanos Timones in festivos atque hilares, si nos non fallit Plutarchus, qui in Convivalibus Quæstionibus proverbium eo trahit,* Ὅτι πέφυκε φύλλῳ τὸ τῶν ἐρώντων δίδυμον καλάνδιον. *Quam quidem, cum de se conjecturam fecisset domi magis, quàm ex auditis Stalino senex apud Plautum in Casinâ, sic amorem deprædicat: Omnibus rebus ego amorem credo, & nitoribus nitidis antevenire. Nec potest quicquam commemorari, quod plus salis plusq; leporis hodie habeat. Cocos equidem nimis demiror, qui utuntur condimentis, eos eo condimento* [illegible] *utier, omnibus quod præstat. Namque ubi amor condimentum inerit, cuivis placiturum credo. Neque salsum, neque suave esse potest quicquam, ubi amor non admiscetur. Fel quod amarum est, id mel faciet: hominem ex tristi lepidum & lenem. Sed enim purus hic, ut dixi, amor sit oportet, sanctusq; & innoxius, non qui incendio suo vetita corripiat: sed ardens quædam permaneat amicitia, virtutis specie conciliata. Nam ipsa virtus, si videri posset, admirabiles proculdubiò sui gigneret amores, quum ejus pulcritudo animos intuentium circumfunderet, & delinitos admiratione luminis ac fulgoris sui raperet.*

paret. Quid igitur mirum, si & ipsi, quibus ipsa splendorem suum affudit, amentur? Si vota pro salute ipsorum ac gloriâ fiant? Si fortuna, quæ cum eorum virtutibus paria faciat optetur? Si denique præsentia illorum animis adumbretur? Præsertim cum eâ maximè ratione & ipsi virtutis compotes futuri simus, dum in eâ toti tanquam in fermento sumus. Sic enim cor Cymonis amor, ut Poëta fingit, novâ metamorphosi transformavit. Sed nec in veris historiis exempla desunt eorum, quos amor in melius mutavit. Omnium certè hunc artium inventorem in symposio prædicat Homerus ille philosophorum, & qui non solum ipse pulcerrimus optimusq; sit, sed talia reliquis quoque largiatur. Hic Deus est, inquit, qui pacem largitur omnibus, qui mari tranquillitatem, qui ventis requiem. Mansuetudinem quidem porrigens, exterminans feritatem, benevolentiæ largitor, malevolentiæ omnis expulsor: spectandus sapientibus, diis placidus, exoptandus expertibus, & desiderii pater. Bonorum studiosus, malorum contemtor. In labore, in timore, in desiderio, in sermone gubernator, præfectus, adjutor, servatorq; præcipuus. His & similibus in laudes amoris assurgit & attollitur divinus Plato: ad cujus altiloquentiam cum aspirare non possim, hic veluti fessus orationem desino.

DIXI.

ORATIO TERTIÆ CLASSIS,

RECITATA à HIERONYMO SCHEURL, Noribergensi.



SI quantum me brabei mei delectat adspectus, tantum mihi virium esset dicendi, fieret sanè, ut non minus eruditè explicaretur, quàm est inventum ingeniosè, sculptum affabrè. Nunc, cum ea sit & ætatis meæ & ingenii imbecillitas, quæ silere potius, quàm in tam augusto consessu loqui me jubeat, si, mandato Magnifici Domini Rectoris obsecutus, pauca de eo vel balbutiavero, infantiæ culpam obedientiæ velo contegere apud tam æquos judices me posse confido. Ramum hic oleæ cum gladio districto ad libellæ pondus exigi video, præponderare autem illum & gladii pondus vincere. Sensum mysticum exponit αἰνιγματῆ : PRÆPOLLENT MITIA DURIS. *de qua paucis.*

Verè equidem, Auditores, Poëta Græcus Deo opt. max. tribuit ἔνδικον ὄμμα *oculum vindicem, qui omnes hominum actiones & perspicacissimè videat, & justissimè examinet. Hic Deus cum magistratus in terris suo loco judicum officio fungi vellet, Justitiæ illis oculum, hoc est legem suam tradidit, ad quam judicia sua conformarent. Porrò quia genus humanum adeo ab originali statu deflexisse intelligebat, ut nihil ei proclivius esset, quàm labi, errare, decipi, & sæpè quidem non tam malitia quàm judicii errore & imbecillitate, addidit Magistratui & alterum oculum Æquitatem, quæ justitiæ rigorem mitigaret, & ad lenitatem in puniendo cum judicio inclinaret, Habentq; se hæc duo lumina, ut lumina Universi: Justitiæ enim rigor & Legum præscriptum Solem nobis refert, penetrantem suis radiis & in intimos terræ sinus ac recessus & lumine & calore suo sese immittentem: Æquitas autem Luna est, mitis illa Dea, quæ lenit & mollit vim Solis, & mitigat supplicia, servatq; eos, qui ipsi se perditum eunt, sed cum judicio; absque enim illo pestis est & non medicina, vitium aut flagitiũ [illegible] virtus: secedere debet paulum ab acri illo justitiæ Sole hæc Luna, sed non recedere [illegible]. Hæc temperatura firmamentum est & imperiorum & rerumpublicarum. Nimius enim ille rigor & ubi ad vivum omnia resecantur, pro amore, quem subditi Magistratui debebant, odium animis exulceratis immittit, & nescio quo obnitendi vitio, videas sæpius ea committi, quæ sæpè vindicantur. Animadvertit hoc prudentissima fœmina Livia Augusti uxor, quæ cum videret maritum rigore justitiæ nihil aliud effecisse, quàm quod plurium odia adversus se concitasset, Cinnanâ conjuratione detectâ, sollicitoq; Augusto, fac, inquit, quod medici solent: qui ubi usitata remedia non procedunt, tentant con-*

tant contraria: severitate adhuc nihil profeciſti: experire, ſis, lenitate nunc, & ignoſce. Cinna deprehenſus vitæ tuæ nocere non poteſt, famæ tuæ prodeſſe poteſt. Hæc dixit uxor, paruit maritus, & res ſucceſſit ex voto. Non enim Cinna modo ab odio deſtitit, ſed & aliis ad idem faciendum quaſi ſignum ſuſtulit. Præpolleant igitur mitia duris in judiciis, & ſic res inſtituantur, ut pœna ad paucos, metus ad omnes perveniant, & neceſſitate extorta ſupplicia, ut cæteris quies ſit, videant omnes, non voluptate quæſita: Multa ſciat quidem Magiſtratus, ſed non perſequatur omnia, quædam interpretatione leniat, quædam veniâ dignetur, nec pœna ſemper, ſed aliquando pœnitentia contentus ſit. Valde commendatur Piſiſtrati Athenienſis, cætera parum laudati, nobile dicterium, quo, cum adoleſcens quidam, amore filiæ ejus virginis elegantis, in publico obviam eam factam oſculatus eſſet, urgenti uxori, ut impudentem illum necaret, reſpondit: ſi eos occidamus, qui nos amant, quid iis faciemus, quibus odio ſumus? Cui adſine eſt factum Caroli Magni, Patris Imperii Germanici Auguſtiſſimi: cujus filiam, cum Eginhardus, Carolo à ſecretis, perditè amaret, illaq́, mutuum ei redderet, & exinde fieret, ut familiarius cum eâ, quàm reverentia domus auguſtæ poſtularet, verſaretur, re ab ipſo Carolo deprehenſa, maluit ille amorem conjugio firmare, quàm infamiam domus utriusque ſupplicio diluere. Prorſus ad Piſiſtrati mentem & clementiæ humanitatisq́, legem. Ubi contra in illos, qui tam auxiè in noxios inquirunt, eosque ex latibulis ſuis veluti protrahunt, & ad immania ſupplicia rapiunt, jure invehitur Claudianus

Scilicet hic ferus eſt prorſus, legumque videtur
Vindictam præſtare ſibi.

quod quantæ diritatis ſignum ſit, cujusq́, animi character, nemini vel paullo cultiori ignotum eſſe poteſt. Multo verò rectius (ut eſt apud eundem) & felicius

------peragit tranquilla poteſtas
Quod violenta nequit.

Et hujus rei exemplum actio quoque noſtra comica hodiè Deo fortunante oculis ſpectatorum ſubiiciet. DIXI.

ORA-

ORATIO QUARTÆ CLASSIS, RECITATA à JOHANNE FUCHS, Altorphensi.



NAtura hoc, quod videmus, regnum mutationibus temperat. Nubila serena succedunt. Juvat enim verbis Romani sapientis uti, dum in hoc brabeum defixis oculis contemplor Solem, è nubibus emergentem, cum hoc lemmate: TANDEM SE TEMPERAT ÆTHER. Enimverò, quin omnia, dum vivit, homini speranda sint, etiam quum sperare nihil potest, ecquis ambigat, cum videat tot varietates tam volubili orbe circumagi? Etenim Fortuna, quæ fecit magna gaudia, nisi ex malis? aut quæ mala immensa, nisi ex ingentibus gaudiis? ait Plinius naturalis historiæ scriptor, cui succinens ex sorore nepos in Panegyrico, Habet has vices (inquit) conditio mortalium, ut adversa ex secundis, ex adversis secunda nascantur. Occultat utrorumque semina Deus; & plerumque bonorum, malorumq; causæ sub diversa specie latent. Id quod præclarè videtur intellexisse Dux ille Bertolfus, Rudolfi, qui contra Henricum IV. Augustum à Gregorio VII. Pontifice Rex est creatus, quondam genter. Is enim, ut refert Otho Frisingensis lib. 1. de rebus gestis Friderici I. nuncios triste aliquid apportantes, idq; proferre dubitantes hæsitantesq; hunc in modum compellabat: Dic: dic: Scio enim, quod semper læta, tristia, vel tristia præcedant læta, quare tantumdem mihi est, primo audire nubilosa, quum postmodum auditurus sim serena: quàm primò auditis serenis, post auditurus sim nubilosa. Hac ille non minus sapienter quàm

ter quàm animosè, habens fortasse in animo illud Tragici: Nemo confidat nimium secundis: Nemo desperet meliora lapsis, & illud ejusdem: Qui nil potest sperare, desperet nihil. Sic enim sæpe in hac vitæ fabulâ turbulenta epitasis desiit in lætam catastrophen: & ab ipsa cervice gladius revocatus est, & extincto rogo, ipsi suæ morti (ut de Crasso narratur) quispiam superstes fuit. Quæ omnia ad animum revocans Euripides, Tragœdias suas fere ita concludit: Πολλὰ δ' ἀέλπτως κραίνουσι θεοί. Καὶ τὰ δοκηθέντ' οὐκ ἐτελέσθη, τῶν δ' ἀδοκήτων πόρον ἔυρεν θεός: *Multa insperatò perficiunt Dii, & ea, quæ videbantur, non perfecta sunt: sed insperatorum exitum invenit Deus. A quo scito Poëtæ non abhorret illud æquè celebre Græcorum adagium:*

Θεῷ πάντα, ἄπερ ἄπορον πέλειν.

DIXI.

GRATIARUM ACTIO,

RECITATA à CHRISTOPHORO LÖFFELHOLTZ, Patricio Noribergensi.

MEne vocas? nostri Rector venerande Lycei
Me puerum? & mandas Colophoné huic addere festo
Atque animi grati partes implere decoras
Et sic augustum hunc Procerum dimittere cœtum.
Non habeo ingenium huc, sed Rector jussit habebo,
Quique jubet, juvat & vireis simul excitat intus:
Ac jam sidereas animo transcendere metas
Sublimesque orbes stellarum & cœtula templa
Mi videor, vastis distinctumque æthera signis,
Complectique oculis mentis venerabile NUMEN,
Horrendum Numen; cujus stant omnia verbo.
Salve autem ô Trinune Deus, pater optime salve,
Tuque Patris Fili, patrio de lumine lumen,
Interpresque Patris salve, salve, ætheris ardor,
Omnigenum salve fons & pie prome bonorum,
Fons Sophiæ Themidosque Pater, Pietatis origo,

Auctor virtutum, ſacris qui legibus orbem
Stare jubes, rebus metasque & tempora ponis.
Quæ tibi nunc fundam grati libamina cultus?
Quas pangam laudes? aut quæ præconia pandam?
Mens & lingua ſtupent, meritis ſic undique tantis
Inferior longè eſt hominum facundia, longè
Inferior mens ipſa animi, quæ munera tanta
Concipiat: tibi nos uni, quæcunque tenemus,
Omnia debemus grati & debere fatemur.
Tu Deus Aonidum feciſti hæc otia nobis
Cepit Ephebeium duce te, teque auſpice noſtrum,
Et conſervatum eſt uſque hucatque augmen adeptum
Quod latè ac latè jam Fama propagat in orbem.
Poplitibus flexis puroque è corde rogamus
Sis idem nobis proprio, haud deſere ſedem hanc
Sed bonitate tuâ fac omnia candida, tarda
Communis patriæ greſſum in ſua damna ruentis,
Cumque in nos miſeros cadat ultima temporis ætas,
Omnigenique mali ſupra caput ingruat imber,
Noctem hyememque ferens, cumq; omnia Tartarus arma
Advocet inque chaos confundere cuncta laboret:
Ingere te his invicte malis, nosque eripe iisdem.
Inſanosque hominum miſerè in ſua damna ruentum
Inque ſuum exitium validè compeſce furores.
Inprimis Patriæ DEUS optime maxime Patres,
Urbis Noriacæ ſanctum tutare Senatum,
Romulei Imperii gemmam: tutare Scholarchas
Inſignes virtute viros, meritisque probatos.
Scilicet his vivis vivent his omnia terris,
Scilicet his ſalvis, ſalva his etiam omnia terris,
His florentibus hæc florebunt otia noſtra.
Hos quoque Doctores noſtros, tot lumina ſecli
Diſcentumque fove cœtum, tuus ille, Jehova, eſt,
Pendet ab ore tuo, tibi diſcit & imbibit artes,

Inſtrue

Instrue multarum pectus tu fertile rerum
Flamineque ætherio curis adsiste Docentum.
Da pie, da genitor, sic te omnis lingua sonabit,
Semper honos, nomenq; tuum, laudesque vigebunt.
Post numen mihi carmen erit, Venerabilis ordo
Urbis Noriacæ Procerum augustique Senatus
Quorum sic meritis laudumque sequentibus undis
Obruor, ut si vel grandi subsellia versu
Fregero, meque ipsum, sat dignas solvere grates
Non tamen evaleam aut mentis convolvere gyro.
Vos hanc struxistis muris ingentibus arcem,
Vos hoc Musarum sacrum & venerabile templum,
Vosque Professorum meritis stipendia sumtu
Immo dico faciles statuistis, vos & egenis:
Queis meliore luto finxit præcordia Titan,
Quique apti studiis, apti quandoque docere,
Quæ didicere prius, miseros ne tristis egestas,
Semper iniqua bonis, cogat valedicere Musis.
Perpetuate decus vestrum hoc, cum laude, deinceps.
Perpetuate, patres, par laus pertexere cœpta,
Et cepisse bonis avibus & numine dextro.
Grata Deo hæc pietas & munificentia vestra est,
Fortunante illo Respublica vestra vigebit,
Nec deerunt unquam meritis præconia vestris,
Omnis & in laudes vestras animabitur ordo.
Jam quem te memorem, Rector venerande? Brabeuta
Noster? & huic nostro bone fautor & author honori?
Deficiunt me verba, quibus tibi pendere grates
Ob tantos impensæ operæ sumtosque labores
Fas erat, eloquii prope fons exaruit omnis:
Interea certum est vivaci inscribere cedro,
Cuncta tua hæc merita, & vivaci inscribere cordi.
Ipsa sibi est merces, latè tua dicta virtus,
Præmium & ipsa sibi, laudis nil indiga nostræ.

Qui verò nexus vobis nos obliget, & quâ
Vinciat è duro consertâ adamante catenâ:
Lumina Doctrinæ, Secli, nostriq́ue Lycei
Præstantes virtute Viri, quâ sacra periti
Quâ Leges, & quâ per cœca divortia rerum
Naturæq́ue sinus progressi indesidè curâ,
Qua Libitinæ etiam censum imminuisse periti
Quâq́ue juventutem teneram formare valentes:
Novimus exactè, sed eo nos solvere nexu
Non opis est nostræ, sed si quis solvere tentet,
Invitis faciat nobis & vivere certum est
Obstrictos vobis, & vita excedere taleis,
Tanti est vestrorum meritorum gratia nobis.
Vos quoq;, quos splendor generis multum ornat aviti,
Advenæ ab urbe viri, atque alienis advenæ ab oris,
Olim etiam Musis pariter Phœboq́; dicati,
Et nec dum immemores, nostris studiisq́ue faventes:
Quæq́ue sedes circum studiis operata juventus,
Partim nobilibus jactans à Patribus ortum,
Partim nobilibus studiis atque arte decorâ,
Vos etiam in partem meritorum jure venitis,
Et nos obstrictos vobis etiam esse fatemur.
Verum istud tantum, nec plus in viribus his est,
Quanquam plus animis sedeat, quid facto opus ergo?
Solvere sæpe Deo est, non solvere posse, fateri,
Vestra quoque hic Bonitas bonitatem Numinis æquet.

DIXI.

EMBLE-

EMBLEMATUM IN HOC OPERE EXPOSITORUM Catalogus.

Acuit ut penetret 185
Adde parum parvo 140
Ad rastra vel astra 204
Ad turpia surdus 300
Allicit, ut perimat 231
Alta spernit, humilia spernit 475
Amat victoria curam 76. 128
Angustum virtutis iter 23
Ante obitum nemo 489
Apertas Musarum esse fores 56
Ardet virtuti ardetq; furori 531
Arrecta attentior aure 219
Ars regula vitæ 118
Augustus Cæsar 15
Celari nescia virtus 309
Cœlesti lumine vincor 107
Concedat laurea linguæ 53
Conscientia 207
Consilii anima silentium 462
Constanter 436
Cor rectum inquirit scientiam 153
Custodia pensat moram 30
Damnosa libertas 223
Dat adimitq; DEUS 478
Defectum industria supplet 260
Difficilia quæ pulchra 67
Disciplina salubris 269
Disciplina mores facit 336
Divinæ nuncia pacis 347
Divino fœdere tuti 457
Dulce tergum laboris 1711. 19
Dulce venenum 1665 500
Dulcis esca laboris 395
Effugiens pereo 223
Emergit ad æthera virtus 233
Et labor & virtus 156
Fallit imago 328
Festina lentè 25
Firmæ constantia legis 381
Fit surculus arbor 384
Florens in fictili virtus 317
Fortior è latebris 233
Fortuna paratur moribus 338
Gaudet certamine virtus 215 1617.
Gloria finis 468
Hac itur ad astra 515
Hac itur ad orcum 1711. 518
Haud impunè 250
His nititur Orbis 158
Honos alit artes 21

Humilis juventus, superba senectus 466
Improbitas sui ipsius pœna 95
Indulgentia perdit 497
Ingenium superat vires 88
In se contexta recurrit 133
Invidia virtutis comes 1619. 352
Labor ardua vincit 302
Lex regit, arma tuentur 35
Manet immutabile fatum 483
Matris fœdissima proles 512
Mente manuq́ 228
Mentis Venus improba clades 111
Merces jucunda laborum 349
Minor esca majoris 454
Motu clarescit & usu 66
Mutuis officiis 475
Ne quid nimis 449
Nec propè nec procul 415
Nihil inexplorato 55
Nil moderabile suadent 386
Nil vulnera curat 448
Nobilitatis virtus, non stemma character 80
1710. *Nocet empta dolore voluptas* 405
Non eadem fert omnia radix 528
Non nisi Phœbo 320
Nox sine omine 486
Nulla salus bello 103
Nullis fraus tuta latebris 131
Obedientia felicitatis Mater 50
Objectare fert 379
Obrepit non intellecta senectus 63
Obstacula cedant 278
Officium natura docet 1712 124
Omnia mea mecum porto 32
Pariunt adversa salutem 283
Patientiâ & usu 440
Pax aurea secli 93
Paulatim 172.201
Paulatim, non impetu 346
Pectore consilium 287
Perfer & obdura 142
Pietas tutissima virtus 137
Pluribus intentus 442
Pœna comes sceleris 254
Pœnitentia 505
Post jubila fletus 520
Præpollent mitia duris 1608. 534
Procul hinc latet anguis 198
Properare juvat 297
Prudentia constans 464
Pulchrum clarescere utroque 166
Pungit inertes 289
Quà licet, erumpit 265
Quàm commoda cedere res est 452
Quid sis, esse velis 445
Quis contra nos? 430
Salus silentio parta 362
Saucius erro 181
Sedulitas vincit 359
Serotina præstant 292
Seu pacem seu bella geras 37
Sic orbis iter 390
Sic mala consilia tandem 427
Sic variat fortuna vices 470
Sine cæde & sanguine pauci 492
Sine Numine frustrà 223

Sobrietas victrix Veneris 86
Sors digna laborum 502
Spernit pericula virtus 313. 366
Splendens accepta refundit 400
Splendescit in usu 189
Stat gratia facti 242
Studio & perseverantiâ 151
Stultus amor nostri 114
Tandem se temperat æther 536
Terrenis vicia crescunt 249
Tolle moras 116
Tramite recto 267
Tutius ad portum 275
Vana virium fiducia 1624 355
Vanitas 169
Ubi onus, ibi sonus 418
Veritas premitur, non opprimitur 90
Vestigia terrent 271
Victoria 13
Vigilandum 433
Vigiliis & moderatione 121
Vincant meliora 326
Vince animos 21
Vincit solertia vires 342
Vinco ferendo 331
Virtus & honos 12
Virtus post fata superstes 100
Virtutem doctrina parit 72 1613
Virtutis æmula virtus 405
Virtutis gloria merces 192
Virtutis merces sudore paratur 162 1622
Virus auribus haurit 236
Viscosa voluptas 393
Vivitur ingenio 83
Volat irreparabile tempus 407
Ut desint vires 176
Utram vis? 423
Utroq; claresc ere pulchrum 166

INDEX ALPHABETICUS RERUM ET verborum memorabilium.

A
Aaronis invidiâ gloria Moysis urebatur 453
ab Assyriis Medi debellati 406
Abel à fratre Caino interemptus 453
Absolonẽ juvenem quid perdiderit? 467
Academiarum finis 23. *incrementa unde?* 27. *commendatio epica* 47. *commendatio hyperbolica* 518. *flores odoratissimi* 258
Acanthis odit asinum 178

Accepta quæ quibus referenda? 401
Accipiter enecat aves 454
Achæi sectatores præcepti Pythagoræi 417
Actionum humanarum præposterus ordo 391
progressus cancrinus ibidem.
Achilles cur Phœnici à patre Peleo traditus? 187
Agamemnonis contemptum ægrè tulit 212
Alexandro Magno Homeri præconio felix 298
quomodo ab Ulysse proditus, & ad bellum tractus? 310.311
de Achillis armis inter Ajacem & Ulyssem contentio 53
Achylli cur Ulysse opus fuerit? 312
Adamantis duricies quo lædatur 143
Adolescens pulcher, nobilis, sed rudis, Carolo V. pulchra statua 80
libidinosus, imprudens & imperitus viator 327, *Plautinus voluptatem deplorans* 406
Adolescentes in studiorum progressibus sint avari 15, *custode indigent obedientiâ* 52, *gruum & apum naturam imitentur* 125.249, *quatenus cum Achille conferendi?* 311, *cur impoliti in Academias ablegentur?* 321, *contempto fructu studiorum malam famã cum saucia conscientiâ reportant* 311, *voluptatum Eurypo transversi abripiuntur* 518
Adolescentum indoles arvo comparata 311. *illecebræ, nox, mulier, vinum* 386
Adolescentibus opes ad ignaviam & neglectum bonarum artium præeunt 514
de Adolescentia non præmaturè desperandum 530
Adrianus Imperator 485
Advocati etiam milites 13
Æta Regis Colchorum viridarium fragrantissimum 257
Æthius 96
Ægyneta locus 96
Ægyptiorum honos erga sacerdotes 205, *supplicium erga parricidas* 353, *pictura Harpocratis* 364
Ælianus 115.137.181.206
Æliani loca 138.184
Æmilius Paulus in milite obedientiam efflagitat 337
Æmulationis honestæ vis 202, *utilitates ibid. ardor Romanorum posteros majoribus adæquãs* 404
Æmulationi & ambitio & arrogantia sunt compendia rerum evertendarum 453
Æquitas justiciæ rigorem immutat 534, *justitiæ confertur ibid.*
Æschylus vir divini Spiritus 404
Æschyli gnomæ 50.129.225
Æsopus 335.446
Æsopici canes 329

Ætas rudis gypso madido collata 380, tenella supervacaneis non occupetur 381, juvenilis mari procelloso similis 276, nulla sera ad discendum 513
Ætatis nostræ ratio quæ? 340
Æthiops citius dealbetur, quám vitiorum sordes 313
Agamemnon contemptor Achillis 212, cum mille navium classe naufragium memoriæ & nominis facit 516
Agellius 463
Agricolæ circa oves & boves cura 513
Albertus Episcopus Bremensis falsus delator 428
Albertus Magnus 97
Alberti Dürreri Rhinoceros Emanueli Regi Lusitaniæ depictus 77
Alcides 216
Alcmæon 416
Alexander Aphrodisæus 202
Alexander Magnus cur dictus? 87 puer patris Philippi trophæis torquebatur 404, ex post facto sui dissimilis 393 Attalo propter imperatoriam dignitatem, & Pompejo propter felicem successum rerum invidebat 417 Hephæstionis labiis annulum suis digitis detractum imprimit 463
Alexandri Magni gloria 54, frequens lectio Homerica 73, Præceptor Aristoteles 74, vigiliæ nocturnæ 78, noctes ad tripartita officia divisæ 127, victoria laborum & periculorum plena 129, gratitudo erga parentes 140, crudelitas erga Clytum nutricis suæ filium 213, æmulatio & prædicatio Achillis propter præconiũ Homeri 298, felix successus 298, odium contra Perdicam & Lysimachum 416, virtus militaris enitescens 456
Alexandro unus non sufficit Orbis 476
Alexandri 149
Alexis dictum græcum 249
Alphonsi ex Panormitano proverbium 418
Alvari de luna historia 491
Amaracus quale herbæ genus, & unde sic dicta? 255, suibus acre est venenum 285
Amasis de pelvi ad Ægyptios 335
Ambitio cavenda 446
Ambitiosi cum platanis comparandi 446
Ammianus Marcellin. 127, 363, 484
Amor docet Musicam 532
Amoris diversi diversa attributa 532
Ammonis incestus 388
Ammonio quid Nemesis? 341
Amulii impietas erga consanguineos 485

Amyclas perdidit silentium 364
Anaxandridæ arcana evulgans qualis? 464
Androdus Leonis Medicus, ab eodem contra Pantheram defensus 181
Andronicus 371 Comnenus 479
Anima una est in subjecto, multiplex ratione facultatum 444
Animâ intentâ in unam operationẽ, cæteræ vigore destituũtur & languescunt 444
Animal in suo genere quod sit perfectius? 154
Animalia bruta salutem suam alto silentio tuentur 363
Animalium quorundam miræ inter se inimicitiæ 178
Animus humanus à curis vacuus, cum quo conferendus? 286 commotus aquæ turbatæ confertur 214 rebus honestis desuetus arescenti testitudinis cuti similis 406, juvenilibus variis obnoxius affectibus 52
Animi motus utiliter nobis insiti 266 vicia cum liberis aliquo vitiò deformibus collata 529, labes curanda, ne vincat & efferatur 529
Animi puerorum ad nimiam maturitatem non vocandi 52, in infantia studiorum constituti cum membris corporeis quatenus conferendi? 451
Animorum vehiculum quotuplex secundum Platonicos 157, & naturæ humanæ duplex vis 211
Antæus gigas ab Hercule colluctatore suffocatus 216, corporis atq; cupiditatis simulacrum 296
Anteros filius Veneris cur sic dictus? 202
Antigonus quid responderit filio exquirenti, quando castra moturus? 463
Antigoni in Græcia 469
Antiochus è phthiriasi seu pediculari morbo absumptus 257, nomine & re Epimanes 387, stupore obmutuit ob Achæum vinctum & coram se prostratum 472, alieno periculo maluit cavere, quàm proprio experiri 472
Antiochi III. diploma per suam ditionem 383
Antiochorum molitiones 428
Antiphon cur vitam hominis unius diei carceri conferat? 318
Antisthenis statua & trophæa erecta 103
Antisthenis melius est in ῥέγχας quam κόλακας incidere 500
M. Antoninus philosophus doctrinâ adjutus ad exercendam virtutem 74
M. Antonini pietas erga præceptores 244
M. Antonius triumvir vino in cædem civium inflammatus 387, ebrie-

ebrietate & Cleopatræ amore deletus 394
M. Antonii invidiâ veritus Ventidius Parthos, cum posset, persequi noluit 417
Apellis sententia aurea 252. 442
pictura de calumnia 237, à vulgi judicio ad tribunal naturæ provocatio 298
Apollinaris Sidonius 492
Apollo Pythius 361
Apollinis oraculum 391, imago 287
aram cur græci duplicârint? 391, responsum ad consilium, quid opus factu esset, ut cives suæ urbis boni viri essent? 516
Aphthonius 446
Apostoli Christi qui? 255
Apud Sinas multum valet opinio doctrinæ & eruditionis 206
Apum sedulitas 395
Aquæ & temporis recursus irrevocabilis 64
Aquila messorem benefactorem conservat 243, infirmiori generi avium non parcit 455
Aquilæ pennarum effectus 78
Aquilæ ex intuitu Solis sobolem suam explorant 81
Araneus serpenti & bufoni exitiosus 178
Aratus Astrologus, non Astrologus 247
Arati in Græcia 469
Arborum radices cum quibus conferantur? 303
Arca Nohe Ecclesiæ militantis signum 375
Archimedes navem oneratam movit 10
Archimedis ad Hieronem dictum 10
Archytæ irati ad servum dictum 214
Arion qui fuerit? 313. quo infortunio usus? 314, à Delphino Philomuso in mari excipitur ibidem, Citharæ impulsu vitæ pericula superat ibid. hominis labe carentis exemplum 316
Arii ob negatũ episcopatũ furor 453
Servetiani canes 257
Aristarchus censoriâ severitate celebris 186
Aristides divitiarũ sectator 421. 488
Aristippi factum & dictum de degeneribus liberis negligendis & abiiciendis, improbandum 529
Aristobulus Rex matrem squalore & inediâ necat 251, & in fratres captivos sævit ibid. ob parricidium animam & sanguinem evomit 252
Aristophanis dictum græcum 351
lucerna 126
Aristoteles 47. 88. 128. 160. 163. 205. 251. 465. 466.
Aristotelis sententiæ 15. 123. 140. 164 165. 350. 364. 380. 455. 490.
Aristotelis loca 6. 66. 81. 242. 443. 467.

467.468.
Aristoteles somni parcissimus 78
improbos & degeneres nobiles mõstra appellat 81, Platoni arcam extruendam, statuamq; consecrandam curavit 244
Aristotelis præceptum Callisthenis ad Alexandrum datum 364
Aristotelem naturæ miraculũ quid effecerit? 441
Arrogantia studiorum profectibus officit 171
Arrogantia nihil turpius & nocentius 234
Arrianus summis honoribus auctus 206
Armorum & literarum præstantia admirationem concitat 39
Armis & consiliis Orbis defenditur 158
Artabanus apud Herodotum 241
Artabani dictum de calumnia 242
Artis amans soporem ex oculis aspellat 351
Artes dicendi omnium scientiarum famulæ 185
Artifices mechanicarum artium præstantissimi cur vitam vivant perditissimam? 444
Assyrii 324.406
Assiduitate & patientiâ omnia perficiuntur 441
Astyagis in Cyrum crudelitas 479
Athanasius Episcopus ludens inter pueros Episcopus eligitur 488
Atæxia pestis studiorum certissima 451, ingeniis puerilibus incommodat. ibidem
Athenæus 440
Athenæi loca 387.444
Athenæi Catalogus de populis prius voluptatibus quàm armis expugnatis 406
Athenæum sacrum Minervæ 272
Athenienses ad extremum infelices 392
Athenienſium populus in census divisus 6
Respublica florentissima 40
Athenienſibus Leæna obsilentii gloriam monumentum meruit 365
Athenodori præceptum Augusto datum 214
Athletæ Olympici 14
Attalus Alexandro Macedoni infensus propter imperatoriam dignitatem 416
Avari inexplebiles 15
Auditus Aristoteli disciplinæ sensus 219
Auditorum animi unde moveantur? 65
Averrhois doctissimi Arabum Medicorum experimenta 443.444
Avidii Cassi querela 485
B. Augustinus 505
Augustus Cæsar literarum & literatorum Mecœnas 74 frequentat hoc Sym-

hoc Symbolum? Festina lentè 25, filias suas vomicas appellans reprehenditur 530
Aulici insidias principum plus verentur, quàm hostium ferrum 417
Aurei velleris origo 68
intellectus 69
Aures liberorum cur parentes exosculentur? 219
Aurium introitus cui fini habeat appositas auriculas? 120
Autores classici qui? 6
Autores, qui de rebus gestis Herculis scripserunt 216, fabulæ de Corninicula aliarum avium pennis se exornante 446
Azanea mala 69
Babylonii 406
Bacchus apud veteres Pantheræ & tauro assimilatus 386
Bacchi incommoda 387, ferocientis exempla ibid.
Bactriani à Cyro subjugati 492
Bajazetes à patre Solymanno deterretur à bello contra fratrem 485
Bajazetis historia nota 490
Balbuties liberorum parentibus grata 151
Barbatio qui fuerit? 363
Barbationis conjuratio in Constantium & pœna ibid.
Basilius Magnus sententiâ Herodoti delectatus 241
Basiliscus nomine notior quàm visu 96, nunquam Galeno conspectus ibid. serpentum omnium venenatissimus 97
Basiliſci natura & historia 97.98 diversa longitudo 97 varii effectus ibid. afflatu Leonis Pontificis tempore Roma lue infecta 97, ictus signa 98
Beatitudo finis hominis 56
Beatitudinis gradus duplex 159
Beatus nemo ante finem 489
Belisarius invidiâ ex amplissimis dignitatibus dejectus & excæcatus 417.490
Bellatores illustrissimi cruentum plerunque finem vitæ sortiuntur 493
Bellum omnium immanitatum & diritatum epitome 456, inundatione & flagratione pestis immanior animalibus 456
Belli calamitates 104
Bella impetu validâ quomodo evanescant? 368
Beneficia ab aliis in nos profecta quò referenda? 147
Beneficiis se victum fateri turpe 16
Benjamiticæ tribus clades ex libidine 388
Bertolfus Rudolfi gener 536
Bias omnia bona secum 33
Bion 165.318
Boëthii dictum de Hercule 297, de felicitatis inconstantiâ 486
Bona fortunæ 33

Bonorum inæqualis distributio 312.
Boni in perpetuo certamine 79
Bonorum studiosus malorum contemptor 33
Joh. Bodini locus 444
Bonosus Imp. à ventre gulaq; turpiter victus 78
Brachmanes apud Indos 206
Brasidæ bona militia; velle vereri, obedire 51
Brenni Ducis Gallorum responsum Romanorum legatis datum 455
Brutus amplissimum laudis ornamentum 205
Bullæ aureæ origo & etymologia 287
Busyris Ægypti Rex ab Hercule obtruncatus 216
Buthridius adolescens ambitiosissimus 337
Cacus ab Hercule interfectus 216
Cæcinna cur objurgatus? 369 Romanos arma consiliis temperâsse ait 367
Cæneus optando è muliere vir factus 380
Cæsar Gellio Classicus autor 6. victi Ciceronis eloquentiâ victus 9, pacis & belli artibus instructissimus 40, more scholastici in turba lectiones frequentat 74, conspectâ Alexandri imagine cur ingemuerit? 298, Rempubl. Rom. sobrius evertit 307, aquila xci militaris unde? 441. belli fulmen 517, undecies centena & nonaginta duo millia hominum à se occisa præliis gloriatur 456
Cæsaris laureæ magnis periculis parta 54, eruditionem commentarii scripti ostendunt 74, victoria difficilis 419, historia de Pulfio & L. Vareno centurionibus in castris 453, erga milites & centuriones adversus Bituriges pugnantes munificentia 460, in senatu quiritatio 493
Cæsari Cicerone perorante libelli è manibus exciderunt 9
Cæsaris locus 480
Cæsares apud Romanos 469
Calamitas malorum & disciplinæ magistra 286
Calamitatis effecta varia ibid.
Caligo erroris menti humanæ adversatur 179
Caligula vino ad crudelitatem inflammatus 387
Caliphæ à Sultanis regno & vitâ spoliati 406
Calliæ pietas erga parentes effætos 138
Callisthenes propinquus & sectator Aristotelis 364
Callistratus Juris Antistes 404
Calumnia politiis & ecclesiis noxia 239
Calumniæ pictura ab Apelle expressa 237, varia descriptio ibid.

Virus latè diffunditur 238, *remedia* 240, *crudelitas perniciosa*, ibid.
Calumniatores de Medii prosapie & posteritate 353, *Hydris similes* 354
Calumniatorum pœna 240
Calumniari qui dicatur Martiano JCto 237
Camelorum ingenium & Natura 450
Camerarius 68
Cambyſis ebrii periculoſa ſagittatio 357
Camilli apud Romanos 469
Canum venatici nempe & culinarii ſigna hieroglyphica 336
Capricus tauro indomito ferocitatem adimit 285
Caprifico vis narcotica ineſt 284
Capua 406
Caribæ & Canibolæ nefandis epulis paſti 455
Carolus V. Imper. literarum & linguarum peritiſſimus 75, *nobilem rudem ſtatuæ confert* 80, *comitia Imperii viperis aſſimilat* 465
Caroli Magni Imp. memorabile exemplum erga ſcholas 49, *græcæ & latinæ linguæ cognitio* 75, *dictum* plus ultra 476, *dicterium ad Eginhardum Secretarium ſuum* 535
Carthago à Scip. Africano deleta 205
Caſſiodorus 488
Caſſiodori locus 469.478
Caſſiodoro primo prætorianæ præfecturæ inſulæ conſecratæ 422
Caſſius Parmenſis poëta de Orpheo 339
Catanæorum duorum adoleſcentum erga ſenes parentes gratitudo 244
Catilina patriæ peſtis 139
Catilinæ adverſus patriam nefaria conſilia 351
Catilinam juvenem quid perdiderit? 467
Catillatores induſtriæ alienæ βλιτοφάγοι 446
Cato 67.420.421
Catonis Salluſtiani dictum 433
Catonis ſimile 165
Cato Uticenſis ſibi & Reipub. exitialis 391
Catones in dicendo principes 187
juſto ſeveriores 365
Catullus 77
Cebes Thebanus philoſophus 335
Cedri duo genera 292
Celſus 446
Cenſorinus inter triginta tyrannos à Trebellio Pollione numeratur 493
Cenſus civilis cum ſcholaſtico collatio 7
Centifoliæ roſæ proventus circa Philippos 102
Cervi proprietates aliquot 131.132
cum ſerpente naturale diſſidium 132

Cervi arrectis auribus acrius audiunt, quàm demissis 220
Chaamus patris Nohe illusor 139.529
Chaldæi 429
Charondas sempiternæ gloriæ cupiditate succensus 196
Chinæ 206
Chinenses doctissimos viros aliis in gubernationibus præficiunt 206
Christus verus Prometheus 110
Christi dilectio & mandati ipsius obtemperatio clypeus impenetrabilis 432 *naviculæ hostes* 376, *odor cui?* 256
Christo Jammanuele nostro duce omnia salva 432
Christiani ante Constantini tempora crudeliter exagitati 448
Christianorum Evangelicorum numerus cum arboribus cæsis conferendus 448, *precibus in exercitu M. Antonini fulmen contra hostium machinamenta extorquetur* 448, *pluvia impetratur; ibid.*
Christophori Cardinalis Eboracensis ignorantia 115
Chrysippus animum ter hellebero purgat 442
Chrysippo secundum solam virtutem feliciter vivitur 101
Cicero 6.9.41.163.190.453.490
Cicero inter oratores Hesperus 188 *Scævolam imitatus* 298
Ciceronis judicium de Cæsaris commentariis 74, *ardens studium* 408
Ciceronis dicta & gnomæ 65.70.113. 167.180.200.209.314.221.
Ciceronis loca 54.85.120.154.158. 200.220.249.288.299.382.418.
Ciconia virtutum & pietatis simulacrum 137, *ut symbolum justitiæ regis sceptris insculpta* 138, *Parentes senes alit* 243
Cimmoniæ tenebræ 351
Cincinnatus 17
Cincinnati ibid.
Cinnana conjuratio detecta 534
Circensis certaminis ad studiosam juventutem accommodatio 19
Civitas sine consilio corpus sine anima 90
Civitatis salus & exitium unde? 382
Civitates & populi unde exitium sibi contraxerint? 406
Classium distributionem qui populi secuti? 7
Claudius Tiberius Nero vino gulæ deditus, Caldius Biberius Mero dici meruit 87
Claudianus 437.476.535
Claudii arte dicendi præstantes 187
Cleanthes ingenio hebes, assiduitate laboris summus philosophus audit 249
Cleanthis lucerna 126, *vigiliæ* 122
Clemens Alexandrinus 484
Cleo Demogagus 465

Cleonum aurea messis 456
Clodius PompeI hostis 416
Clytemnestram matrem Orestes occidit 139
Cæci mutis & surdis plerunque prudentiores 219
Cæcis natis vires interiores animi sunt fortiores & acriores 443
Cognatis masculis parcit fera 455
Cognitio maximarum rerum unde petenda? 159
Collenutius de Manfredo Neapolitano Rege 484
Coloni effecta 324
Colophonii 406
Columba in arca Nohe, typus Ecclesiæ 93.94
Commodus Imp. cur balneatorem in fornacem ardentem injecerit? 213
Concordia Principum subditorum salus 436, *Constantiam sororem sibi conjungit* ibid.
Concordiâ res parvæ crescunt 437
Concupiscentia laxis aurigatur habenis 123
Conscientiæ descriptio & vis 209.210
malæ adjuncta 210
Consiliarii Reipub. vigilent 126
Constans nihil 392
Constantinus Magnus Synodi Nicenæ director 75
Constantino Magno crucis cõspectus felicem belli exitum promittit 431
Consuetudo doctorum summa felicitas 258
Contraria contrariis illustrantur 100
Copiæ nimiæ in bello exitiales 89
Coriolani adversus patriam nefaria consilia & facinora 251
Cornelius Tacitus 21.135.368
Corporis humani partes principes 158
Corporum humanorum cum Rebuspub. collatio 136, *figura homines ad pacem non ad bellum factos indicat* 104
Corporum cœlestium perennis motus quid significet? 152 *absentiam remotissimam librorum usu contemplamur* 156
Corvini ad Varnam clades 371
Cosconio quingenties vox flectitur 8
Cothurnus seu Tragœdia quare apud Græcos floruerit? 404
Cotys Regis Thraciæ insania unde? 387
Crassus imitator Ciceronis 54
Crassi milites in Parthiam tendentes sententiis & corporibus titubant 484
Crassi 423
Crates Philosophus 521
Cræsus Lydorum rex Solonis monito fidem derogat 473, *à Cyro principatu exutus rogoq; impositus Solonis monitũ verum agnoscit* ibid.
Cræso à Cyro clementia præstita 537
Crocodilus homini infestissimus 178
Crocodili natura & mos 370
Cuton 406

Cultiores quomodo fiãt homines? 22
Cupiditas flagitiosa plurima mala concitat 266
Cupiditates rationis imperio coërcendæ 265
Cura rerum terrenarum inutilis 84
M. Curius maluit Samnitibus quàm ipsorum auro imperare 343
Curii astutum stratagema 368, *dicterium in adolescentem militem inobedientem* 379
Q. Curtius 359.364.463
Curtii loca 89.469
Cyclades insulæ in mari Jonio sitæ 492
Cyclopes quale genus hominum? 473
Cymonis cor novâ metamorphosi transformat amor 533
Cynaras Cypriæ rex 255
Cyprianus 336.360
Cyrus à propheta Daniele veram sapientiam didicit 74, *puer omnia pericula subeunda duxit* 194, *Olympiade LV. Persarum regnum adeptus* 492, *vigesimo secundo post Chaldæorum ibid. tandem anno ante interitum subjugatis Bactrianis totius Asiæ imperio potitus* 492
Cyri gloria 54. *Virtus militaris enitescens* 456, *historia & fatale imperium* 484, *inter pueros ludens Rex creatur* 488
Cyro in milite præcipua obsequii gloria 51
Damocles Dionysii assentator 493, *cur felix prædicetur à Petronio Max. Imp.* 493
Danaidum dolium 32
Daniel à Deo è faucibus leonis eripitur 458, *ab ardente fornace Babylonis cum sociis liberatur ibid.*
Darii regis pro donatâ Silosontis veste remuneratio 245
Darii 13
David Psaltes 127.132.229.392. *sui non semper similis* 392, *successor divinitùs destinatus à Saule in vanum tentatur* 485
Davidis cum Goliatho pugna 357. 432. *adulterium ex libidine* 388
Declamaturi apud Cæsarem proœmium notabile 486
Degeneres dũ jactitãt virtutes suorũ Majorum propria vitia produnt 82
Dei bonitas & sapientia in rebus à se conditis suspicenda 343, *oculus vindex* 534, *miracula edita* 458 *potestas in conferendis & adimendis imperiis* 429.478
Delicta pecuniâ non expiantur 514
Demades naturâ & ingenio superior à Demosthene vincitur 249
Demetrius Physicus 184
Demetrei Phalerei consilium 366
Demetriorum molitiones 428
Democriti sententia de tempore 409
Democrito λόγῳ ἔργα σκιὰ 418

Demosthenes plus olei quàm vini absumsit 13, *abstemius & vò ponivus* 126, *orationem apud Philippum habiturus obmutuit* 166, *gestus corporis ad speculũ formavit* 190
Demosthenis eloquentia multæ vigiliis parta 112, *Enthymemata lucernam olentia ibid. exercitationes incredibiles* 191, *dicterium ad Laidem* 233, *eloquentia divina literis prodita* 441
Deorum munera quomodo conferantur? 164
Diabolus quomodo vincendus? 360, *nos infestat ibid.*
Diaboli descriptio 359
Difficilia quæ pulchra 70
Difficultatibus nullis à virtutis & eruditionis culmine absterreamur? 350
Dinæ stuprum ex libidine 388
Dignitas studiorum 65
Diocletiani divinitùs compressi 428
Diodori Siculi locus 469
Dio 484
Dionis Cassii locus 441
Diogenes 503
Dionysius Syracusanus Afrorum multitudini quo stratagemate obstiterit? 368
Dionysii Syracusani exemplum 490
Dionysio juniori tyrannis paterna nihil profuit 406
Discordiâ res maximæ dilabuntur 437
Disciplina instar putei motu & usu clarescit 67, *est quasi quoddam septum juventutis* 224, *fructuosæ culturæ animi similis* 226
Disciplina privata quæ? 225, *cur instituta?* 336
Disciplinæ maximæ in omni vitæ genere utilitas 224, *amans quis?* 269, *impatiens & fugiens* 270, *utriusque vitæ & actionum diversus eventus* 270
Disciplinarum sementis faciendæ stimuli tres 516
Discipuli manè ad audiendos præceptores accedant 123
Discipulorum indolis & ingenii diversitate inter se dissidentium duplex genus 293
Disertus quis & contra? 156
Dissipatio acervi facilior quàm congestus 501
Divinæ gratiæ splendore omnia feliciter succedunt 321
Divitiarum vulgaris origo 325 *divitum raptus* 456
Doctrina non occultanda 57, *sine arte Grammatices non maturescit* 168, *falsa lepræ & scabiei similis* 322
Doctrinæ opinio plurimum valet apud Sinas vel Chinas 207, *studium apud barbaros variis bonis cumulatur ibidem, præstantia vitæ & fortunæ pericula spernit* 314,

præconia 516. utilitas à Cassiodoro perstricta 517
Doctus ab indocto quomodo differat? 73
Domitii Afri sententia de Principibus 391
Dormiens trophæum non statuit 100
Draco quid apud Colchos 68
Draco puerum servat 184
Draconis lex ociosos capitali pœnâ mulctabat 191
Eboracensis Cardinalis ignorantia prodita præsente Thoma Moro 115
Ebrietas quid? 387
Ebrietatis comes individuus libido ibid. effecta insana 387. 388
Ebrietate ad crudelitatem inflãmatorum Impp. Catalogus 387 furientium exempla ibid.
Ecclesia qualis secundum B. Hieron. 360. æmulationibus turbata 453
Ecclesiæ universalis divisio 93 forma & collatio 133
Echeneis remis velisq; navem incitatam inhibet 284
Elephas conspecto rhinocerote fugisse deprehensus 77, quomodo cum eo pugnet? ibid.
Eloquentia pacis comes & ocii socia 54, præcipuum humani ingenii decus 187
Eloquentiæ gloria præstat militari ibid.
Emblemata monent, non disputant 490
Ennio salus & incrementum Reipub. unde? 465
Epaminondas rerum gestarum gloriâ floret 196, à Meneclide ex invidiâ oppugnatus 416
Epaminondæ 416
Epicharmi Siculi sententiæ 23.24.164
Epicteti gnome 99
Epicteti lucerna post mortem magno precio vendita, 23 duplex lex adolescenti præscripta 427
Epimetheus pixidem Pandoræ aperit & retinet 208 Epimethei post facta, sed serò sapientis incommoda 520.521
Eruditio bonum immutabile 34 (205
Eruditione & literis nihil præstãtius
Esau 332, & fratris Jacobi diversitas in ingeniis & moribus 529
Ethnici nativitatem ex virtute æstimant 83
Eudoxus cur in celsissimi montis cacumine consenuerit? 441
Eugenii Papæ & Philippi Brunelleschi colloquium 10
Εὐρυθμία & ἁρμονία universæ vitæ necessaria 171
Euripides 20.102.167.299.404.468. 484.498.537.
Euripidis loca 366.463.473
Examinum & annuarum progressionum finis 29.49
Exercitationis utilitates & effecta 190

Exerci-

Exercitatione plures quàm naturâ boni fiunt 250
Experientia & historia parentes artium 66
Fabius Quintilianus puerorum animos vasis anguſti orificii confert 30.31.141.142.347.348.450.
Fabula de Narciſſo 114
Fabulæ de certamine aquilæ & teſtudinis 201, *cur delectent* 154
Facultas & voluntas rerum agendarum unde petenda? 27
Fato princeps datur 485
Felices primò, pòſt infelices 392
Ferdinandus Imp. literatus 75, *obedientiâ militum victor* 52
Ferri acuti cum ingenii acumine comparatio 185
Fictum vel ſimulatum non poteſt eſſe diuturnum 446
Filius perditus ſignum Adami primæ ſalutis perditoris 505
Filii baculi ſenectutis paternæ 385
Formæ donum ſecundum Bionem 318
Formido puerorum ſtudiis noxia 25
Fortitudo & virtus militaris Reſpub. conſervat 369
Fortitudinis militaris effecta 167
Fortuna omnium miſeriarum domina 340, *miſera, cui non invidetur* 416, *eos, quos plurimis beneficiis ornat, ad duriorem caſum reſervat* 429, *liberat multos pœnâ, neminem metu* 209
Fortunæ ludibria 34, *opes & poſſeſſiones unde?* 148, *diu lenocinantis perfidus finis* 492
An. Florus 392.493
Flos urbium & familiarium ſapientiâ continetur 167
Floſculus opportunitati ſimilis 117
Franci 407
apud Francos vis dominii in Magiſtros equitum collata 407
Fridericus II. græcè & latinè doctiſſimus Mathematica & Phyſica inſtaurat 175, *edit librum de aucupio* ibid.
Friderici II. Ænobarbi vigilantia ad divinas laudes celebrandas 127
Fridericus comes Oldenburgicus pro patre cum Leone certat 428 *vincitq;* ibid.
Fridericus III. ob Maximiliani filii eloquentiam in conſeſſu Electorum & Principum Imperii prædicatur 499
Frontinus vir Magnus, quantum licebat 417
Fructus ſtudiorum dulces 65
Fumi venditores fumo pereunt 446
G. abrias 446
Galbæ oratores principes 187
Galeni loca 96.98.115
Galeno athletæ cur amentes? 444
Galli criſtati & animoſi vigilantia 433

Gallinæ pastus convenientissimus 151
Garrulitas nocuit, taciturnitas nunquam 364, Maximo Martiæ uxoris causa necis fuit, ibid. nocuit Scevino in conjuratione Pisoniana contra Neronem 364, etiam scortis exosa 365
Gedeon cum paucis Midianitarum copias fugat 432 & ad internecionem delet ibid.
Gellius 6.81
Gellii dictum 165
Georgius Fabricius 419
Georgius Martinusius 491
Geryon Hispaniæ Rex ab Hercule superatus bello 216
Gibellini in turrim inclusi fame enecantur 490
Giganti Philistæo blasphemo stupendum robur nihil profuit 357
Gladii & libri signa hieroglyphica, actio & contemplatio 159
Glauci & Diomedis permutatio 200
Gloria non in opinione, sed in ipsa naturâ sita est 194, quibus debeatur 193, divinum quiddam 351, similis anemonæ plantæ 446
Gloriæ studio etiam flagitiosi flagrant 351, cupido 372
Gloriam veram qui habiturus sit apud Quintilianum 467
Gnathæna nobile scortum ad loquacem adolescentem 365
Gorgias philosophus laudis ornamentum 205
Gorgiæ temeritas & audacia in differendo 66
Gorgonis capitis effectus 93
Grammatica artium liberaliū fundamentum 70.186
Grammaticæ miracula 8, facunditas & inflexio multiplex & admiranda 9
Grammaticorum veterum de omni genere scriptorum liberum judiciū 186
Gratia singulari benevolentiâ animos conglutinat 183, vinculum concordiæ 246
Gratiæ à brutis redditæ 184, cur à veteribus sic fictæ? 245
Gratianus Cæsar Antonium Gallum consulem creat 244
Gratitudinis commendatio 244
Græci prætulerunt disciplinam liberorum charitati 336
Græcorum potentia & fastigium unde? 336
Gula gulæ moderatione frangenda 350
Gulæ occasiones fugiendæ ibid.
Guntheri Ligurini poëtæ locus 127
Gymnosophistæ apud Indos 206
Hadrianus Junius interpres 353
Hannibal obedientiâ militū Romanis inequitavit 51; magnâ suorum strage alpes Italicas superat 419

Hanniba-

Hannibalis exercitum quæ incommoda perdiderint? 394, virtus militaris enitescens 456
Harmodius liberator tyrannidis Pisistriti 365
Harpocratis pictura apud Ægyptios 364
Hæretica contentio leprâ insanabilius malum 115
Heli Sacerdos indulgentiæ liberorum pœnas luit 498
Heliconius liquor 22
Heliodori locus 469
Heliogabulus divitijs ad voluptates adjutus 406
Hellanodiæ ad stadium currentes 14
Henricus III. hostem regem regiæ sepulturæ honore dedignatus 372
Henricus Stephanus interpres dicti Anacreontis 101
Heraclíti Sol 168
Hercules Iovis & Alcmenæ filius 162 virtutũ omnium Idea 295, Anteum terræ filium suffocat & perimit 296, bestiam virulentissimam fugiendo superat 200
Herculis varia nomina 216.217.295 colloquium cum virtute & voluptate, & ejus allegoria 217, duri labores & egregia facta 199, fama Theseum ad res præclaras exstimulat 298
Hermodoro victoriâ clemẽter uti scire, satius est quàm vincere 469
Hermolaus Barbarus Venetus 78
Herodes Magnus pediculari morbo perit 257
Herodotus 241.450.489.492
Herodoti locus 61
Hesiodus 299.428.534
Hesiodi loca 23.230.420
Hesperidum horti qui fuerint? 163
Hieremias propheta 230
Hiero rex Syracusanorum ad Romani nominis umbraculum applicatus securus in regno vivit 458 graphicè depingit miserias imperantium 493, laqueum tyranno expedire censet ibid.
Hieroni regi Archimedes miracula Geometrica magnâ fiducia proponit 10
B. Hieronymus 13.19.360.383.406.506
Hieronymi dictum de Ecclesia 360
Hieronymo unde conciliata fuerit gratia? 406
Hipparchus Pisistrades 365
Hippocratis aphorismus 408.444
Hirundinum humi incedentium imago 302
Hiskiæ regis & populi Judaici ab Assyriorum bello divina liberatio 458
Hispaniæ Regis prudens de pacis tractatione sententia 367
Homo indoctus nihil differt à mortuo 73, somnolentus mortuus 78

Horologij solaris umbræ cum pueriliū studiorum progressibus collatio 63, arena quomodo horæ perfectionem efficiat? 347

Hominis contra serpentis venenum naturale remedium 87. finis 163 329 perfectio & felicitas 158.329 decus & ornamentum 190, unâ potentiâ læsâ cæteræ fiunt valentiores 443. Ratio & Oratio 516.

Homines omnes naturâ Logici secundum Jamblichum 56, in terra corniculæ Æsopicæ 447

Hominum solo ingenij acumine nitentium diversi exitus 325, maxima pars Tigridis more pro veris falsa captat 329

Homerus 9. 85. 89. 134. 160. 187. 194. 470. 533 (126. 240

Homeri loca 39. 212. 272. 30. Gnomæ

Horapolli locus 134

Horatius 319. 364. 446. 490. 521

Horatii locus 392

Hortulani in serendis arboribus diligentia 323. 513

Hugolinus Giradescus natalicium cognatis & amicis pro fortunæ suæ splendore apparat 490

Hugolini Giradesci Pisani fatum ex Paulo Æmilio 490

Humanæ miseriæ origo libido 112

Humilitas non minima virtutum 233, decet adolescentiam 234

Humilitatis fructus & ubertas ibid.

Huno glorioſus comes Oldenburgicus immeritò ab Alberto Episcopo Bremensi apud Henricum læsæ Majestatis accersitur 428, reus declaratur ibid.

Hydri serpentum genus pestilentissimum 353

Hydrorum virus penetrans 354

Jacobus Patriarcha 332

Jamblichus 22. 35. 56

Jasonis in Colchos expeditionis varia explicatio 68, in fratrem Oniam impietas 453

Ibides aves 367, de maximis rebus genus mortalium admonent ibid.

Icari 477

Idæ cacumen parvâ faculâ succenditur 463

Ignavia & voluptas studiorum hostes 350

Ignaviæ incommoda 190, comites egestas & contemptus 205

Ignis cum vitiorum progressu collatus 99, globo concluſus cum compressis animi affectibus comparatus 265, splendor cum ingeniorum indole assimilatus 531

Ignoti nulla cupido 73

Immanuel CHRISTUS quo vinculo devinctus teneatur arctissimè? 432

Immanuelis nostri beneficia 432

Impedimenta ne ad res magnas & præclaras perveniatur 152

Impera-

Imperatorem cur literatum esse deceat? 40
Imperatores rerum gestarum gloriâ florentes 196, *imperio carẽtes umbram imperii captant* 372, *Byzantini titulum θεοτφεῖς usurparunt* 478
Imperatorum prudentum consilia quid effecerint? 40 *priscorum triumphi?* 341
Imperia & judicia sapientiæ beneficio reguntur 74, *divini Numinis præsentiâ constituuntur & intereunt* 324
Improbitas vicium ferro & igne violentius 99
Imprudens vir cui collatus? 316
Impunitatis spes maxima peccandi illecebra 498
In caducum parietem se inclinare 458
Incestus Ammonis cum sorore 388
Indoctus à saxo nihil differt 157, *quantum à docto differat, ut vivus à mortuo,* 147, 516, *ut dies à nocte, lux à tenebris, visus à cæcitate* 73
Indorum admiratio de primis elemẽtis Grammaticæ 8
Indulgentia immodica parentum & avaritia disciplinæ corruptela 513
Indulgentiæ incommoda 498
Industriâ juvantur studia 248
Ingenium parit doctrinam, hæc virtutem, ista gloriam, hæc immortalitatem 84, *urnæ flosculis exornatæ collatum* 318, *cuiq; matris adhuc in utero fingitur* 388
Ingenij bona homini propria 33 *tarditas conjuncta sedulitati superat negligentem celeritatem* 203, *palingenesia quomodo se habeat* 144, *ruditas quæ incommoda sustineat?* 303
Ingenia more Tigridis imaginem sobolis pro vera sobole amplexantur 329, *tardiora sæpè præcocibus optabiliora* 531
Ingeniorum duricies assiduitate expugnatur 441
Ingeniis magnis inter paganos non deest resplendentia veritatis 505
Ingratus monstrosum animal & dirum portentum 149
Inimicitiarum utilitas 202
Inimicorum proprium 354
Institutio fidelis rara 149
Institutionis rectæ contemptor in flagitia & pœnas incidit 226
Intemperantia affectuum coërcenda 147, *fons gravissimorum morborum* 200
Invidia virtutis comes 416, *in aulis habitat* ibid.
Invidiæ descriptio 197, *prima origo* 353
Invidi ranarũ naturã sequuntur 353
Invidorũ adjũcta 354, *exemplæ* 416

Josephus Biblicus è carcere ad culmen præfecturæ evectus 421
Josephus Historicus 135
Josuæ locus 37
Jovis cognomento σωτῆρος hieroglyphicum 50
Jovius 203
Ira furor brevis & consultor pessimus 212, *qualis affectio* 212,214. *Ciceroni cos fortitudinis* 214
Iræ impotentis memorabilia exempla 213, *remedium mora & dilatio ibid. coërcendæ præceptum ab Athenodoro datum* 214
Iris cœlestis quale fœdus? 457
Isaacus Angelus Andronico Comneno vitam & imperium eripuit 479
Isocrates quantum temporis in scribendo panegyrico suo consumserit 115, *pro una oratione à Nicocle Rege centum talenta accepit* 148
Isocratis locus 83
Julianus Imp. noctes in quietis Reipubl. & Musarum officia dispescit 78
Julij Agricolæ & ejus uxoris æmulatio laudanda 454
Julius Cæsar dictum Zaleuci amplificat 51, *dicendi laude floruit* 187, *conspectâ Alexandri imagine cur ingemuerit?* 298
Julij Cæsaris de felici victoriarum successu responsio 64
C. Julio Cæsari emissa vox: humanum paucis vivit genus 456
Julius JCtus 388.404
L. Junius sub Tarquiniis cognomen Bruti non erubuit 417
Jupiter 208.209
Justinus de periculosa Jasonis navigatione 68, *describit historiam Cyri* 483
Juvenes vicijs mancipati cui comparandi? 277, *sint sectatores naviculatorum sequentium ducem Delphinum* 278, *ad horologij exemplum & imitationem se conforment* 348, *sudent in artibus dicendi organicisq; disciplinis* 350, *plura, senes utiliora loquuntur* 382
Juvenum stultitia cum Medicorum curatione conferenda 280
Juventutis flos virtutum officijs accommodus 409
Labor gignit gloriam 100, *perit, fructus manet* 201, *continuus gravis est res* 164, *assiduo ferri usui & ejusdem tractationi comparatur* 361
Laboris utilitates 164, *& voluptatis nexus mirabilis ibid.*
Labori omnia bona venalia 215
Labores Reipub. cur gravissimi? 340 *vigilijs juncti pariunt hominibus immortalitatem* 516, *præteriti jucundi* 397
Laboranti Deus subvenit 249

Lacedæmo-

Lacedæmonij Numinis decreto floruerunt & occiderunt 324, origine Herculis elati omne virtutis ſtudium deponunt 338, Lycurgi diſciplinâ felices 392
Lacedæmonum Reſpublica quondã Orbis imperium 40, quomodo ad interitum redacta? ibid.
Laconis de Sparta ſententia 319
Lactantij dictum 505
Lælius ſapiens cognominatus 205
Lælij 187
Lambridius 488
Latens ignotum 73
Laternam à tergo geſtare 409
Latrones amplexantur viatores, ut ſtrangulent 501
Læna carcere & tormentis tentata noluit conjurationis ſocios prodere 365, quale inde ab Athenienſibus monumentum meruerit? ibid.
Laus cæleſte quoddam bonum ſecundum Platonem 195
Lectione librorum naturæ recondita intuemur 157
Lex naturæ antiquiſſima Dijs hominibus & feris communis 455.456
Legis repetitio divinæ autoritatis teſtimonijs deſcripta 73
Leges ſepi & coronæ ſimiles 383
Legum cuſtodia attendenda 382
Legislatores 196
Leo Afer 444
Leo à leone diſcerpitur 455
Leonem vincendi modus Friderico Comiti Oldenburgico divinitùs monſtratus 428
Leuctrica clades 388
Liberi bonæ & malæ indolis quales? 529 non ijdem ex ijsdem parentibus progignuntur 529
Liberorum improbitas quomodo toleranda & melioranda? 530
Libertatis & contemptæ diſciplinæ damna 227
Libidinis incommoda 273, exempla & pœnæ 387.388
Libidinibus nihil flagitioſius, nihil nocentius 111
Lingua latina & græca fores omnis eruditionis 155
Litèræ Pittaco ξύλα πίνακα 383
Literarum & eruditionis habetur ratio: non morum & virtutũ 337
Liviæ Auguſtæ conſilium Auguſto Marito datum 534
Livij locus 97
Liviani ſenis æmuli 352
Locrenſes novam roganti legem cur laqueum indiderint? 465
Logica Platoni quid? 10, maximè inter omnes Philoſophiæ partes vapulat 55
Logicæ ſubjectum 55, admirandi effectus 186
Logicus ſecundum Socratem ἡμῶν καὶ φιλόσοφος 55
Loquens loquatur, ſed modicè & circumſpectè

cumspectè 366
Loqui parcè, instar silentij, Lycurgo 366
Lucanus de basiliſco 97.456.471
Lucerna duplex ſignificatio 107
Lucianus 255. 285
Lucretiæ hiſtoria remiſſivè 388
Ludovici Vngariæ Regis temeritas, dum paucis ſe multis opponit 368, internecio cum toto exercitu ibid.
Ludovico Turca cladem intulit ludificatoriâ & deſultatoriâ pugnâ 371
Luna corpus quale? 320
Lupus an ſolo obtutu homini vocem adimat? 178, à lupo in fame devoratur 455
Luporum & agnorum naturale diſſidium 178
Luſcinia priùs canendo necatur, quã vincatur 403, Muſicæ ludos & ſcholas aperit ibid.
Luſciniæ elegans deſcriptio 177
Luſciniarum inter ſe æmulatio & contentio 403
Luſitani parricidas lapidibus obruebant 253
Luxuria prædulce malum 519
Lycomedes Scyriorum Rex Achillem in Gynæceo ſuo clam aluit 310
Lycurgus ſancit continuum juvenum laborem 191, & Reſpub. condit 196, Luxum civium ſeveritate legum coërcuit 205, Lacedæmones quomodo inſtituerit? 337, docet quid in brutis poſſit inſtitutio 381 æmulationem Majorum generis claritati præfert 388
Lyrici poëtæ dictum de doctrinâ 337
Lyſandri dictum de Cyro 415
Lyſimachus ſitibundus quid fecerit? 233, exoſus fuit Alexandro Macedoni, quod bellicoſus nimis eſſet 416
Lyſippi opera cæleſti laude vehenda 442

Macedones parricidas lapidibus obruunt 253, Perſas voluptuarios deleverunt 406
Macedonum Reſpublica ſingulari fato floruit & corruit 324
Macrobius 463
Magiſtratus recto ſolarij filo comparandus 382
Magiſtratus officium 382.535. præſidia ſubditis debita 61
Magiſtratui bono tempus pacis & belli adminiſtrandum 358
Magiſtratus pro parentibus habendi 245
Magneſii voluptuarij ab hoſtibus deleti 406
Mahumetani Mahumetis ſucceſſores 256.406
M. Malleolus primus parricidij pœnam ſuſtinuit 253
Manaſſis crudelitas erga Eſaiam Avum maternum 251, & impietatis

tatis pœna 252
Manilius 66.401.472
Manuel Imperator Andronici odio flagrat 417
Marathonius campus 392
M. Marcellus quadragies novies victor 193 post 49 victorias templũ Virtuti & Honori dicat 139
Marciani JCti ex Chrysippo legis definitio 86
Marcion Hæreticus 257
Margitæ 260
C. Marius Cimbrici belli victor 12, Virtutis & Honoris templum simul construit ibid.
Martialis 446.469
Maximilianus primus & secundus literati & literatorum Mecænates
Maximiliani primi sylva experientiarum 75
Maximiliano II. in thesauris exiccatus basiliscus 97
Maximinus phtheiriasi absumptus 257, vino ad crudelitatem armatus 364
Maximiniani divinitùs cohibiti 428
Maximo Martiæ uxoris garrulitas nocuit 364
Mecænatis consilium de recta liberorum institutione Augusto datum 441
Medea Ovidiana 390
Medius Alexandri Magni paratus 239.358
Medi cujusdam cum Cyro colloquium 487
Medi primùm voluptatibus expugnati, ad extremum ab Assyrijs debellati 406
Melanchthon quid per venas metallicas intelligat? 68, latinè reddit versus Bacchyllidis 79, judex certaminis poëtici inter Sabinum & Stigelium 203
Melanchthonis apophthegma 168
Melijs absque causa ab Atheniensibus bellum illatum 455
Mellis varia utilitas 397
Memoria non semper est fida rerum custodia 188
Menander 249
Mendacium ex invidiâ & calumniâ conflatum non consenescit 91
Mentis acies obtunditur labore corporis 443
Mercatores lucripetæ vigilaces 127
Meropis pietas erga parentes 243
Messalina Claud. Tiberij Imp. quinti uxor libidinis indomitæ 491
Metapontinis voluptates pernicioſæ 406
Metellus arcani pectoris conſciam tunicam exui & in ignem abjici cupit 463, interrogatus de expeditione quid responderit? 463
Metellorum posteri Majores æmulati 404 eorundem matrem Ro-

in quinto partu asinum parituram ferebant 529
Midianitæ à Gedeone cæsi 357
Miles ex acie felicior, plerunque audacior & improbior 105, *manibus & pedibus ridiculus militiâ solvitur* 336
Milesij 406
Miloni cotidianâ consuetudine robur corporis concitatum 437
Minervæ glauci oculi quid? 39, *noctua sacra* 122
Minturnus interpres Homeri 212
Miracula artis Grammaticæ 8
Miracula theatrica veterum de nolarum & campanarum spontaneo motu & pulsu 10 & 11
Mironis artificiosa opera 442
Moderationis fama observanda juventibus 123
Modus regendæ disciplinæ necessarius 25
Monachi Bæoticæ sues 257
Mulcasses oculos velabat, ut harmoniæ musicæ suavitatem melius audiret 444
Mulierc ularum mos in honestæ æmulationis concertatione 202
Mulsi lethalis fructus 503
Multitudo nimia in bello exitiosa 89
Mundus qui? 341
Murtia Dea Venus, priscis Myrtea, à Myrto nuncupata 519
Musonij philosophi sententiæ 200. 420
Mustela naturâ serpentis hostis 128
rutâ se munit contra serpentem ante pugnam 128
Mutianus capræ solertiam sibi visam prodit 452
Myrtili clypeus 119
Mysorum præda 457
Nabidis Lacedæmoniorum Tyranni regia 403
Narcissus sui ipsius amore in florem mutatur 114
Natura in rerum generatione, manu, non sacco sementem facit 347 *plerosq; Epimetheos potius quàm Prometheos effingit* 520, *non uno momento rebus perfectionem tribuit* 347
Naturâ peregrinatione & motu gaudemus 154, *quales simus?* 156 *infirmiora prædæ validiorum* 454
Naturæ duplex vis 211
Navigatio cum studijs collata 262
Navis signum hieroglyphicum vitæ humanæ conditio 276
Greg. Nazianzenus 82 *quos luscis comparet?* 516
Nazianzeni locus 321
Nazianzeni sententia 52
Nemesis quæ secundum Ammonium? 341
Nero matrem Agrippinam & præceptorem interfecit 139, *propter parricidium & alia flagitia conscientiæ furijs agitatur* 210, *impietatis con-*

tis conscientiâ sibi mortem consci-
vit 252, Baccho ad crudelitatem
inflammatus 387 L. Livij Sali-
natoris in Asdrubale oppugnando
socius 417
Neronis proverbium: artem quævis
alit terra 34
Neroni divina reverentia cur non
profuerit? 406
Nerones divinitùs cohibiti 428
Nestorius Hæreticus 257
Nicander Colophonius rerum rusti-
carum scriptor 247
Nicephorus Callistus 471
Nicetas Choniates 479
Nobilitas sine virtute & doctrinâ
nihil prodest 80
Noctis descriptio 389
Noctua Minervæ sacra 122, inter
aves sani consilij, prudentiæ sym-
bolum 465
Nonius 237
Nulla dies sine linea 152
Numantia ab Africano deleta 205
Numida irritatum & defatigatum
militem Romanum ludificatur 371
Numinis ira res secundas comitatur
409
Obedientia felicitatis mater 50, tan-
quam custos studiosis necessaria 51,
probos & eruditos facit 226
Obedientiæ jugum salutare adole-
scentibus 52, Obedientior imperio
omnia subjacent 51
Obedientiâ ad imperium pervenitur
467
Occasio diligenter observanda 117
Occasionis Deæ qualitas 117
Ociosus & studiosus ex contrarijs ef-
fectis æstimandi 155
Cn. Octavius primus consul Roma-
nus 16
Cn. Octavij honor ob domum in pa-
latio extructam ibid.
Oculo uno privati casu cernunt alte-
ro acutiùs 444
Odorum vis magna & multiplex
285
Oeconomiæ æmulatio noxia 453
Oedipus gryphis & ænigmatibus la-
cessitus 141
Officiorum mutua commoda 475
Olea pacis signum 93
Olivæ ramus pacis inter Deum &
nos fœdus 375
Omnia in pejus 392
Onosander 54
Opifices qui apud Romanos ex castris
pulsi? 337
Opinio profectus impedimentum 221
Oppianus de piscibus 103. 455 pro
versibus de venatione, piscatu &
aucupio aureorum duas myriades
accipit 148, parentes liberis di-
tatos felices putat 385
Oppiano dulciores liberi sunt paren-
tibus lumine oculorum 498
Oraculum Delphicum pædotribis ob-
servandum

observandum 450
Oraculi Delphici inscriptio ibid.
Oratio ducum tempore prælij quid possit? 54, *ad virtutem & gloriam hortatrix* ibid.
Orationis mensura non est orator, sed auditor 121, *prolixitas sapientibus molesta* ibid. *proprietas & puritas quomodo comparetur?* 129
Orbilij plagiosi puerorũ animis noxij 451
Orestes Clytemnestram matrem interfecit 139
Orpheus somni & vini parcissimus 122
Ostorius Neroni invisus 417
Otho Frisingensis de rebus gestis Friderici 536
Otium vitiorum magistra 20, *voluptati junctum mortem accelerat* 165
Otij vitia negotio discutienda 361
Otiosos lex Draconis capitali pœnâ mulctabat 151, *Solon ignominiâ notabat* 191
Ovidius 38.177.216.361
Ovidij loca 39.40.68.83.177.216. 361

Pabulum animorum quodnam jucundius? 154
Palæologo à Turcis clades illata 371
Pallas à quibus olim culta? 39
Palladis perpetua virginitas ibid. *glauci oculi* 30 μυθολογία ibid.
armorum designatio metrica 42
Palma secundum naturales scriptores 353, *homines ad præclara natos exprimit* ibid. *in gelu facilè uritur & perit* 513
Panegyricarum solennitatum spectatores & censores 129
Pantheræ descriptio & gratitudo 184 *simulacro voluptas depingitur* 232
Papinianus Juris thesaurus 441
Papyrij prætextati historia 463
Paralyticus qui? 315
Parcarum violentia 324
Parentes de liberorum institutione meritò soliciti 380.513. *serunt arbores futuro seculo profuturas* 384, *liberorum votis obsequentes gratissimi* 497, *indulgentiæ liberorũ atroces pœnas pendent* 498, *liberis bono exemplo præluceant* 498, *parcipromi senes anguem in sinu fovent* 514, *observant Ephemerin Cratetis* 515, *Sorditati suæ liberorum calamitatem imputent* 515, *primi ex Abelis sanctitate voluptatem perceperunt* 529, *ex Caini verò impietate maximum hauserunt dolorem* ibid. *de degeneribus liberis non planè desperẽt, eosq́ prorsus abijciant* 529, *hortulanos diligentes imitentur* ibid.
Parentum neglecta institutio liberos corrũpit 381, *eorundẽ mores filijs imprimuntur* 385, *amor intra justos ter-*

stos terminos consistens præconio dignus 498, major liberalitas erga equorum curatores quàm liberorum institutores 515
Parentibus liberorum commodum & salus curæ sit 498
Parrhasius Ephesius palmam picturæ Zeuxi defert 298
Parricidij pœna Malleolo matris interfectori primò Romæ inflicta 253. apud Macedones & Lusitanos lapidatio ibid.
Parsimonia in fundo sera 409
Paterfamilias sit hortulanus 384
Pavo signum superbiæ 169
Paulus Æmilius tria in milite requirit curanda, corpus, arma & animum ad imperia paratum 51. 337
B. Paulus 123
B. Pauli de vigiliâ christiana oratio 434
Paulus JCtus 404
Pausaniæ responsum ad quæstionem, cur antiquis decretis insisterent Spartani 465, & libido perniciosa 388
Pegasi origo & ortus unde? 39
Pelias interitum intentans Jasoni militiâ Colchicâ spe fallitur 68
Percunctationes crebræ de rebus varijs unde? 154
Perdica Alexandro M. propter belli gloriam infensus 416
Peregrinatione & motu naturâ gaudemus 154
Peregrinationes unde tàm gratæ sint hominibus 154
Pericles à Simiâ oppugnatus 416
Periclis sententia propter advolantẽ & assidentem noctuam populo approbata 39
Periculum inferens semper animosior 369
Persæ felices primò ex post facto infelices 192, à Macedonibus subjugati ibid. Medos à voluptatibus captos devicerunt 406
Persius 391. 520
Persuasio eruditionis remora 16, industriam labefactat 234, in Alcibiade adolescente à Socrate reprehensa 254
Phaëtontes 477
Phanocles poëta antiquissimus 484
Phidæ artificis opera laudabilia 442
Philautia Ecclesiæ & Reipub. perniciosa 115, fons omnium malorum Platoni 116
Philemonis sententia 249
Philelphi cum Timotheo græco certamen & inexorabilis superbia 202. 203
Philippus Macedo & ejus filius eloquentes 68, tribus lætis acceptis nuncijs tristem immitti petijt 286 propter evitandas libidines se super liberos occidit 388

Philippi in Græciâ 469
Philo Judæus 499
Philologus præceptorem M. Tullium hostibus prodit 252
Philonomi pietas erga parentes effœtos 138
Philosophiæ definitio secundum Ciceronem 36, *divisio in Theoreticam & Practicam* 159, *laus & encomium* 168
Philosophiæ Aristoteles laudem Eloquentiæ conjunxit 205
Philosophi responsum de discipulo 157
Philosophorum & politicorum Reip. partes principes 158
Philtri venerei effecta 20
Phitidiorum Spartæ præsides quale calcar adolescentibus ad temperantiam indiderint? 500
Phocion sectator divitiarum 421
Phocylides 384.385
Phœbus 141
Phœnix 181
Phosphori antelucani lusus 487
Phryxus thesauros è Græcia in Colchos avexit 68
Pietas tutissima virtus Severo 138
Pietatis violatores infames ibid. violatæ exempla 139
Joh. Pierius 170
Pierij ex Dione Chrysostomo fabula 198
Pilati verborum (Quid est veritas) *mystica sententia* 170
Pindari loca 63.378.419
Pindaro artes quid? 444
Pisani Romani 477
Pisces minutili escæ majorum 454
Pisidas 401.428
Pisistrati nobile dicterium ad filiæ suæ amatorem 535
Piso 491
Pittaco leges literæ 383
Plato 8.52.54.74.116.157.181.195.196.205.252.267.336.533.
Platonis dicta 119.127.169.171.188.372.416.505.532.
Platonis loca 5.10.52.78.124.134.264.268.391.443.
Platonis specus plenum spectris opinionum 171
Platonica cœna 388
Platonici 157
Plautus 12.16.421.463.532
Plautianus 491
Plinius 101.128.131.137.143.251.255.353.357.434.450.452.487.
Plinij sententia 17.97
Plinij loca 78.96.98.111.287.364.456.471.
Plinius junior in panegyrico 488
Plutarchus Trajani præceptor ejusq; beneficio Romæ consul 244, *Cheronæus* 206.210
Plutarchi dicta 219.472
Plutarchi loca 6.39.50.363.364.455.532
Plutarcho calumniatores sunt de prosapie

prosapie & posteritate Medij 353
Poëtæ ex amoris afflatu repentè existunt 532
Polæmon una Xenocratis oratione ex luxurioso temperans factus 530
Polæmonis hortatio ad cœnaturos 388
Politices studium difficile 70
Pollio 488
Polybius 135.417.472.
Polybius in rerum gerendarum adminiculis silentio defert primatum 463
Pompejus Syllæ in Repub. æmulus 298
Pompeio quid in prælio Thessalico obfuerit? 89 Clodius invidit 416
Pomponius Mela 456
Pomponij Attici dictum 456
Jov. Pontanus 52
Potentia parit hostes & odia 318
Praxitelis artificis opera 442
Præcepta pueris necessaria 188
Præceptores in informandâ juventute horologij & naturæ rationem imitentur 347, *pueris sublimia proponentes quid consectari videantur?* 451
Præfocationis mellæa fructus 503
Prexaspis filius ab ebrio Cambyse sagittâ transfossus 387
Princeps somnolentus vituperandus 127, *bonus gnomen solarij imitetur* 383, *non sit πεζοσυμπλήκτης & ἀφροφάγος* ibid.
Principes literati illiteratis præponendi 74, *Germaniæ plerique Historici & Bellatores* 75
Probus Augustus 487
Prodici Chij dictum memorabile 163
Prodigus infelix 502
Promethei fabula ethicè explicata 208, *pœna ob surreptum ignem* ibid.
Propertius 263.419
Protogenes 442
Providentiæ divinæ fatalis dispositio subverti nequit 479
Prudentia in bello trahendo & legationibus ultrò citroque mittendis 367
Prudentiæ dignitas & splendor 36, *usus in verbis & factis consistit* 187
Prudens animi appetitiones virtutis & rationis freno domat 316, *fortunæ & vitæ pericula contemnit* ibid.
Prudentius Christianus poëta 433
Puer tenellus ad procacia in herba ipse enecatur 53, *cupiditatibus suis relictus facilè perit* ibid. *B. Johannis conversatione à convictu & habitatione latronum ad pietatem revocatus* 530
Pueri ingenium quale Quintiliano laudatum? 194
Pueri serant, ut adulti metant 345, *post pubertatem non exercendi gymnasticâ*

mnasticâ 443
Puerorum est in confessu seniorum & doctiorum tacere 96, *eorundem animi vasis anguſti orificii ſimiles.* 141, 142. 347, 348
Pueris duo maximè neceſſaria laudis ſtudium & modeſtia 171, *cur altiora non ſint proponenda?* 451
Pueritia cur capiendis diſciplinis ſit aptiſſima? 516
Puerpera matrem captivam Romæ lacte nutrivit 243
Pugnandi genus duplex 371
Pulchrum bis aut ter Platoni *repetendum* 188
Pulchra ſudore & labore parantur 350
T. Pulfius Centurio in caſtris Julii Cæſaris 453
Pulli gallinacei naturale odium contra accipitrem 178
Pythagoras cur ex iis, quæ nigram caudam habent guſtare vetuerit? 200, *ante omnia diſcipulos tacere docuit* 365
Pytho Rector Byzantius 437
Quintilianus puerorum animos vaſis anguſti orificii comparat 30. 31. 141. 142. 374. 348. 450.
Radices ſtudiorum amaræ 65
Ranarum natura 353
Ratio cur homini data ſit? 69
Ratio & conſilium ſine divinæ gratiæ lumine nihil valent 324
Rebellio maximorum malorum cauſa 51
Reipub. illata damna ex æmulatione naſcuntur 453
Recurſus aquarum & horarum irrevocabilis 64
Regum prudentum conſilia 40
Remiſſio ſtudiorum doctiſſimis etiam plurimum incommodat 190
Rerumpublicarum everſiones & exercituum ſtrages unde? 51 *converſiones fatales* 392
Res magnæ non tam viribus quàm conſilio reguntur 89. 288
Rhetoricæ definitio Platonica 9. 186
Rhetorica Platoni *flexanima* 9. 10 *troporum & figurarum lumina ſuppeditat* 70
Rhinocerotis cum elephante pugna 77, *quo conſpecto Elephas fugiſſe deprehenſus* ibid.
Robur expers intelligentiæ, intelligentia potentiæ 74
Rodericus Santius Hiſpanus 491
Romæ ſine eloquentia & virtute militari nemo emerſit 187
Romani cur pietati templũ condiderint? 138, *parvâ manu ſæpe magnum exercitum confecêre* 367, *hoſtes ſuperarunt conſilio & patientiâ* 368, *ab initio egregii, pòſt miſerrimi, voluptatibus potiùs quàm armis victi* 392, *ob liberorũ educationem & inſtitutionẽ laudandi*

dandi 441. Angeronæ Deæ silentii præsidis ore obligato atque obsignato cur templum in ara Volupiæ collocârint 464
Romanorum Respublica Orbis quondam imperium 40, Pontificum decretum virtutem antecedere, honorem subsequi statuit 193, Duces à Sertorio cladibus affecti & occisi 357, prudentia in bello trahendo & legationibus ultrò citrò, mittendis ibid.
Romanis temporibus nemini nisi per virtutis portam ad templum Honoris patuit aditus 357, in Gymnasiis cur adolescentes ad bellicos labores assuefacti sint? 191
Romulus Orbis terrarum columen, unde factus? 441
Romulo & fratri Remo præbentur lupina ubera 479
Romuli apud Romanos 469
Rosa in siccis locis odoratior quàm in humidis 101, omnis ætatis & sexus hominibus convenit ibid.
Rosæ natura & vis 100, centifoliæ proventus circa Philippos 102
Rudolfus contra Henricum IV. Augustum à Gregorio VII. Pontifice Rex creatus 536
Sabini & Stigelii carmen poëticum, Sabellicus 68 (203
Sabini 368
Saburram struere 444
Sacrificij Christiani genus beneficientia & liberalitas erga pauperes 229
Sallustius 24.288
Sallustio quid commune nobilitatis malum putetur? 467
Salomon Nathanis discipulus 74, divinitùs institutum successorem, Jerobeam in vanum attentat 485
Salomonis delira senectus 392, proverbia 122.127.129.130.
Samuel propheta 51
Sanheribi Assyriorum Regis immensæ copiæ ab angelo noctu cæsæ 357
Santaberini Magi Leonis Constantinopol: falsa criminatio 429
Sapientia Reipub. necessaria 74, cum potentiâ conjungenda ibid.
Sapientis consuetudo cum quibus conferatur? 378
Sapores Sesostris currui junctus quid ex rotæ revolutione didicerit? 471
Sardanapalus ventris gulæ & crapulæ pugnâ occidit 78
Sarnus fluvius 52
Saul Davidem successorem sublatum cupit 479
Saulis Regis introitus pius, exitus impius 392
Scaliger 499
Scarabei rosarum odore exanimantur 285
Scævola apud Romanos egregiâ laudem & honores consecutus 205

Scævolæ M. Tullij filius traditus 220
Scævolam Cicero imitatus 298
Scedasi filiarum fatum & vindicta 388
Scelus nullum impunitum 209
Scevino nocuit vanitas 364
Scientiam naturâ doctrinâ & exercitatione compleri 247
Scipio Nasica cur dictus corculum? 288
Scipionis Africani tumulo inscripti versus 296.472
à Scipione Africano Carthago & Numantia deleta 205
Scipiones apud Romanos 187.194. 469
Sciuri hieroglyphica 343
Joh. Scotus Parisiensis Academiæ institutor puerorum stylis compunctus 252
Scribendi Cacoëthes nostro tempore nocentissimum & frequentissimum 115
Scriptura sacra sit actionum & consiliorum humanorum regula 356
Sectatores præcepti Pythagorei 417
Sedulitas viciorum Medicina & pestis 361
Sejanus 491
Sejani Romani 477
Σελήνης *Etymologia* 401
Seminis nascentis cum puerorum progressu comparatio 15
Semper fieri Platoni est nunquã 134
Senatorum officia distincta epico carmine descripta 42
Senatus Norici cum Cyro collatio 415
Seneca 16. 25. 56. 139. 206. 214. 252. 263. 348. 403. 407. 418. 448. 456.
Seneca in epistolis 209 (472. 475. 476
Senecæ monitum Neroni datũ: Successorem nemo unquam occidit 485
à Seneca vagantes sine proposito objurgantur 444
Sentinare 388
Serpens salivam hominis jejuni fugit, & illâ moritur 87, *signum hieroglyphicum anni* 134
Serranus 17
Serrani ibid.
Sertorius à Romanis armis infestatus 357, *singulos pilos equi carptim evellit* 368
Sesostris Rex Ægypti à quatuor victis regibus vectus 471, *narratio historica* ibid.
Severi puerilis ducatus 488
Sextus Pomp. ex fratre nepos Catoni in ludrico puerili cessit 119
Sexto Empyrico corpus est character animi 529
Sibaris 416
Sidonius 492.493
Silentium rerum administrandarũ optimum vinculum 463, *natura suadet* 365
Silentij tutum præmium 364
Simius aversatur testudinem 178

Simonides 493
Simonidis dictum 364
Simplicij gnome 180
Sinani Bassæ minis quomodo responsum? 369
Sinæ populi 206
Siracides 304
Sirenes 272
Sirenum ingenium & natura 300, *figmento turpium facultatum vis & natura repræsentatur* 301
Sirenusæ 272
Sisara à fœmina interemptus 435
Socordiâ vires, ingenium & tempus defluunt 521
Socrates naturâ stupidus, labore & assiduitate proficit 144, *Strepsiadem ad philosophiæ studium adhortatur* 123, *aquæ turbatæ usum animo commoto confert* 214, *intempestivam sapientiæ persuasionem in adolescente Alcibiade reprehĕdit* 254, *docet voluptates instar Sirenũ fugiendas* 351, *quæ tria in pueris requirat?* 464
Socratis responsum Platoni condiscipulis insenso datum 416
Socratis locus 123
Socrati carbo candēs faciliùs linguâ quàm sermo arcanus continetur 464, *à Socrate in Aristotelem luxit philosophia* 404
Sol æternæ Dei sapientiæ indicium 108, *est sensibus, quod Deus intelligentibus* 321, *lunæ radios, & hæc terræ communicat* 401, *signum hieroglyphicum Dei* 428, *Jovis oraculum ibid. quid Pisidæ?* 428
Solis orientis & occidentis diversi effectus 324
Solarium horarum spacium legibus accommodatur 382
Solon otiosos ignominiâ notabat 108, *cur nullum supplicium parricidis statuerit?* 252, *justitiæ rigori & legum præscripto similis* 534
Sophocles 463
Σωφροσύνη *unde dicta?* 88
Spartianus 488
Speculum oblatas figuras recipit & repræsentat 380
Spiegelius 75
Spintharus de Epaminunda 365
Statio arbores serendæ altero seculo profuturæ 17
Stigelius poëta 203
Stoici 401
Stoicorum opinio de affectibus vitiosis è naturâ penitùs tollendis 266
Stratagema militare in exercitus cõscribendi defectu usurpandum 368
Strepsiades à Socrate ad Philosophiæ studium admonetur 123
Studia sine præmijs intereunt 22, *in utraq; fortuna sunt instar fortissimi clypei* 119, *fortunam opes & honores consequuntur* 148. 149
Studiorum telam cæptam pertexturis opus

ris opus est constantiâ 144, initiis felle & absynthio ingratior inest amaricies 308
Studijs certus finis proponendus 444
è Studijs Fortuna & Opes 148
Studioso nihil fructuosius quàm multa scire 220
Studiosorum hostes Draconibus severiores, & Leonibus fortiores 350
Sublingiones alienarum curarum λειχοθιθλοι *446*
Succinum ubi nascatur? 394
Succini Etymologia 394
Sus amaracum non fert 255
Suis cum rosis & amaraco antipathia & consideratio duplex 255
Sues nulli in Arabia ob odores 255
Suleimanni ad filium Bajazetē contra fratrem Selimum arma induentem objurgatio 485
Sulpitius Crassum in Republ. Romana æmulatus 298
Sultani successores Mahometis 406
Summæ rerum procuratores unde? ibid.
Superbia fugienda ob mortis certitudinem 83
Sycomori descriptio 248
Sylla pediculari morbo perijt 257
L. Syllæ ira sanguinaria 213, consilia & facinora nefaria adversus patriam 251
Syllam Pompejus imitatur 298
à Sylla Cato dux certaminis equestris puerorum seligitur 119
Symmacho in sola conscientia fructus & virtutis ratio 351
Synesii dictum 424
Synesio civium benevolentia erga Principem vel Magistratum firmum præsidium 437
Tacitus 21. 135. 340. 364. 368. 372. 406. 417. 454.
Taciti elogium de Tiberio Cæsare 393
Taciturnitas discipulis à Pythagorâ injuncta 365
Tamerlanes turbæ imbelli pacem petenti equitatum immittit 213
Tantali cruciatus infernales 15
Tarentum 406
Tarquinius priscus filiū XIV. annorū aureâ bullâ & purpurâ prætextâ donat 287
Tarquinio superbo quæsita terrore reverentia nihil profuit 406
Telli Athenienſis similes qui? 477
Tempe montes Thessaliæ 258
Tempus aquæ conferendum 409
Terentius 6. 34. 180. 198. 271. 272
Tertullianus 51. 365
Testudo alata arescente cute mergi nequit 406
Theano mulier pythagorea 498
Thebani 324.
Themistius ab eloquentiæ flumine Ῥεθίδης *cognominatus 498*
Themistocles rerum gestarum gloriâ celebris 196, adolescens de se ipso 197, ill u

197, illustriorum virorum gloriâ accensus, ætatem in virtute consumit 298, arduum sibi virtutis iter conficiendum proponit 419, voluptatibus inhiat 421, exulans ad Xerxem confugit 431
Themistoclem Miltiadis trophæum non sinit dormire 298, 404. Alcmæonis odio habet 416
Theocritus 216
Theodoretus 448
Theodori Medici Mauricium Imperatorem Chagano placantis oratio 471
Theodosii secundi pietas 75
Theognis 25,366. 467
Theologia omnium facultatum domina 109
Theologiæ respectu artes humanæ fæces dicuntur 19, tractatio sine Philosophiâ cui rei assimiletur? 446
Theon 446
Theopompi Regis Lacedæmonum dictum memorabile 50
Theophrastus 91. 101. 102. 196. 205. 251
Theoxena cum liberis mortem pudicitiæ præfert 388
Thersitæ similis hominum invidiam declinat 416
Theseus 298
Thrasybuli in Græcia 469
Thuanus 491
Thucydidis loca 51. 455. 465
Thuris cum cultu divino collatio 230
Thurii 406
Tiberius Germanici belli gloriâ angebatur 417, congeriem armorum cum titulo superbo construit ibid. fato successorem committit 470, Galbam successorem contra fatum à medio tollere non valet 485
Tigris quantopere amet fœtum 115, qualis sit bestia? 328
Tigridi nasutuli similes 115
à Timotheo laudatur Platonis sobria & frugalis cœna 388
Tiridates Parthorum Rex quid petierit à Romanis? 372
Titi Vespasiani erga duos patricios affectati Imperii convictos clementia 485
Tomyris Cyri caput utri sanguine repleto immittit 492
Trajanus Plutarchum Præceptorem consulem facit Romæ 244, quibus verbis præfecto prætorio gladium tradiderit? 383
Trebellius 488
Triremis Agrigenti domus unde? 388
Turca quomodo facilè & citò superandus? 369
Turcæ Crocodili imitatores 371
Turcarum gloriatio de vestigiis equi sui Imperatoris 456
Turcici regni successus unde? 52
Tyrannorum improbitas cum igni stupâ verberato collata 332
Valens Imperator fato quantumvis repugnans Theodosium habet successorem 479
Valerius Flaccus de expeditione Iasonis in Colchos 68. 419
Valerius Maximus 417
Valerii judicium de animi opibus 38
Vanitas opposita veritati 169
L. Varenus centurio in castris Iulii Cæsaris 453
Varro à docendo removet formidinem & perturbationem animi 25
Varronis & Catonis de agricultura libri

bri 67, dictum de doctis viris 384
Ubertatis apud Romanos causa 17
Vellejus 404
Vellejus Paterculus 484
Venulejus ICtus 26 (*in 21*
Vena argenti sub Othone Magno reper- *In Germania*
Ventidius propter invidiam Antonii Parthos, cum posset, persequi noluit 417
Verecundia descriptio 115
Veri investigatio homini propria 154
Veritas Evangelica solis splendori conferenda 448, *quid Platoni?* 169
Veritatis & vanitatis descriptio 183
Veritatis radius contra mendacia invictus 92, *& doctrinæ communicatione nihil difficilius* 92
Vespasiani symbolum: festina lentè 25
Veteres duplicem Venerem finxerunt
Via in Republ. emergendi 377 (389
Victoria nulla expers laboris 77, *consilio & astu parta præstat cruentæ victoriæ* 89, *sui ipsius difficilima* 351
Victorum in veterum certaminibus coronatio 122
Vigiliis, laboribus & exercitationibus artes liberales comparari & conservari 122
Vinitoris signum hieroglyphicum fidelis & diligens præceptor 279
Vino inflammati ad crudelitatem quam plurimi Impp. 387
Vinolentia infelices & insani effectus 387
Vipera hostis luscinia 179
Viperarum partus accommodatus ad libidinem 112
Vir bonus pila resultanti similis 354
Vir doctus & bonus fortunæ contemptor 314
Vires sine consilio frustraneæ 288
Verum robur parit fiduciam 89
Virgilius 6. 9. 67. 216
Virgilii locus 396
Virginis historia, remissivè 388
Virtus non contingit otiosis 13, *consistit inter duo extrema* 96, *excellens sine literis parari nequit* 73, *doctrinæ conjuncta non interit* 84, *nobilitat* 81, *capit in afflictione incrementum* 102, *duplex: dianoëtica & Ethica* 159, *per ardua progreditur* 207, *sine affectuum stimulis languida* 266, *in rebus ad voluntatem nostram fluentibus quid efficiat?* 318, *quos juvet?* 371, *liberorum parentibus jucundissima* 499
Virtutis via sine modo insipiens sapientia 25. *distinctio secundum varia objecta* 319, *encomium, & cum oratione collatio* 327, *hujus & eruditionis possessio qua & qualis?* 351, *studium in senecta serum* 409. (304
Virtuti quomodo paretur aditus? 60.
Virtutum rectus usus prudentiæ consilio, ratione continetur 288, *harmonia concentui musicali respondet* 315
Visus & auditus inter sensus præcipui 219, *& uter horum præstantior?* ibid.
Vita humana quid? 170. *vigilia secundum Plinium* 79, *Platoni peregrinatio* 119. *sine libris imperfecta* 157, *ferro comparata* 165, *carceri unius diei similis* 318, *fucus, inscitia, dolor & mœror* ibid. *cum punici mali grani confertur* 318, *munitur contra incursiones subitas beneficiorum commercio* 474
Vitæ voluptuariæ detrimenta 87

Vitellius ter consul 388
Vitellio cur par Deorum potentia fastigium non profuerit? 406
Vitium ventris hominis etatem minuit 200, *gustu solo dulce prabet, amarum verò usq; ad satietatem* ibid.
Vitia pro virtutibus seculi nostri habentur 329, *hostes exitiales generis humani* 360
Vitiorum insidiosa dulcedo execranda 317, *eorum morbo affectus, qui dicatur?* 315
Vitiosi citius disciplinâ perduntur, quàm emendantur 313
Viventium gravior quàm mortuorum auctoritas 315
Ulpianus 7. 263. 404
Ulpianei censitores 7
Ulysses quomodo Sirenum cantilenas effugerit? 274, *earum insulas præternavigando se cum sociis servavit* 300, *quo astu Achillen inter virgines gynacei regii latitantem aggressus sit? habitu mercatorio indutus* 310
Ulyssis contentio de Achillis armis 53
Ulysse opus fuit Achilli 312
Volcatius 488
Voluntas & facultas rerum agendarum unde petenda? 72, *sine re bonis probatur* 245
Voluptas cœlestis unde? 517
Voluptas perniciosa vipera conferetur 180, *cur hominem parùm oneret?* 318, *maxima in prætermittendis voluptatibus* 504, *similis scarabeis ingressis locũ quendam in Olyntho Thraciæ* 504
Voluptatis & doloris mutuus nexus libidinis turpitudinem designat 273, *ex virtute & scientia promanantis incommoda* 274, *incommoda* 327, *pessima effecta* 406
Voluptates vepribus & urticis conferendæ 27, *instar Sirenum fugiendæ* 180, *quæ expetenda?* 231, *ex gustu & tactu importunissima* 232, *venefica & furiæ similes* 326, *latronibus assimilandæ* 501
Voluptatum fugiendarum quæ ratio ineunda? 301, *domitor præstat belli victori* 123
Voluptuarius corpori incommodat 232
Vermis arborum floribus similis ibid.
Voluptuarii mentem obtundunt 394
Voluptuariorum incommoda 394
Vopiscus 487. 488
Umbra Solis comes 416
Unguentorum odor vulturibus perniciosus 285
Urbes & populi Solonis quid? 318
Vulcanius 33
Xenocrates Orator celebris natura stupiditatem laboris assiduitate correxit 249
Xenocratem dixisse pœnituit, tacuisse nunquam 364
Xenophon 493, *gloriæ suavitate ad sapientiæ studium incitatus* 196
Xenophontis locus 487
Xerxes Darii filius victus 392
à Xerxe Ægyptii & Babylonii immunitati 406
Zaleucus 51. 196. (*tati*
Zenonis in loquacem adolescentem dicterium 365
Zeuxis pictor Parrhasio palmam detulit 298, *usu artifex reddidus* 442
Zonaras 429
Zoroastri dictum memorabile 357

τέλος.

Errata typographica, quæ in Indicem rerum & vocabulorum irrepserunt.

LIter. A. ab Athenienſibus Leæna &c. l. H. pro Piſiſtriti, legendum Piſiſtrati, pro Piſiſtrades, Piſiſtratides. l. O. pro obedientior, obedientiæ, l. R. pro adoratior, odoratior, l. T. pro augebatur, angebatur.

Catalogus Magnificorum & Clariſſimorum Virorum, ſub quorum Rectoratu præcedentes panegyres celebratæ, orationesq; recitatæ ſunt.

A

ANdreas Dinnerus, Wirzburgenſis Francus. p. 449.

C

Caſpar Hofmānus Gothanus Thyrigeta, Medicina Doctor p. 470 & 509.

Conradus Ritterſhuſius, Brunſvvicenſis. J. V. D. p. 362 & 412.

E

Edo Hildericus Ieverenſis Theologiæ Doctor, p. 72. 121. 176.

Erneſtus Sonerus Noriberg. Philoſophiæ & Medicinæ Doctor. p. 427.

G

Georgius Glacianus, Vilſeccenſis, Palatinus, Oratoriæ facultatis Profeſſor p. 335 & 349.

Georgius Queccius, Noriberg. M. Græcalingua & Ethices Profeſſor p. 440 & 524.

Georgius Sigelius, Noriberg. M. Paſtor Eccleſiæ Altorphianæ. p. 236.

I

Johannes Buſenrent, Auguſtanus. J. V. D. p. 86. & 125.

Johannes Prætorius, Joachimicus, M. Mathematicus. p. 111. 223. 233 & 386

Johannes Thomas Freigius, Friburgenſis Briſgovius J. V. D. p. 4. 18. 28. 46. 60.

M

Matthias Bergius Brunſvvicenſis, M. Ethicus. p. 162.

Matthias Hübnerus Grypſvvaldenſis, Pomeranus. J. V. D. p. 400.

Matthias Indenius Iuliacenſis J. V. D. cujus vices Edo Hildericus Theologiæ Doctor geſſit. p. 192.

Michael Piccartus Altdorffenſis. M. Logices & Metaphyſices Profeſſor p. 480.

N

Nicolaus Taurellus Mombelgard. Philoſophiæ

losophiæ & Medicinæ Doctor. p. 95. 207. 223 & 377.

P

Petrus Wesenbeccius Antverpianus J. U. D. p. 254.

Philippus Scherbius Helvetius Philosophiæ & Medicinæ Doctor. p. 151. 269.

S

Scipio Gentilis Æsculanus Italus I.U.D. p. 294 309 459 494.

Index eorum, quorum indoles enituit in recitandis orationibus panegyricis, hoc opere contentis.

A

Abrahamus à Burgsdorff, Eques Marchicus 489
Abrahamus Giolucko wski, Polonus 502
Adamus Hruska Major, Bohemus 352
Albertus Behaim, patricius Noriberg. 370
Albertus Kevvitz, Bambergensis 35
Albertus Pömer, patricius Noriberg. 475
Alexander à Schaumburg 32
Andreas Oertel. Noriberg. 522
Andreas Paulus Grösser, Norib. 445
Andreas Queccius, Altdorffinus 331
Andreas Schurger, Noriberg. 524
Antonius à Sigershofen 100
Antonius Hübnerus Wirzburg. 22

B

Balthasarus Derrer. patric. Noriberg. 26. 61
Balthasarus Pistorius, Neagoraus, Palatinus 260
Benedictus Ammon, Norib. 328. 339
Bernhardus Machan, Bohemus 438
Burccardus ab Herstperg 48

C

Carolus Christophorus Sigismundus Pelckhover, Palatinus 460
Carolus Grundherr, patric. Norib. 384
Carolus Holtzschuch Bamberg. 424
Carolus Scheurl, Norib. 95
Casparus Melchior Belwitz à Nestwitz, Bohemus 297
Christophorus Albertus à Seckendorff, Eques Franc. 520
Christophorus Camerarius, patric. Noriberg. 185. (berg. 468.
Christophorus Derrer, patricius Nori-
Christophorus Ernestus Collembeck, Austriacus 512
Christophorus Fürer, patric. Noriberg. 189. 242.
Christophorus Herdesianus, Norib. 131.
Christophorus Piccartus, Altdorffinus 492
Christophorus Przeclauski, Polonus 379
Christophorus Rotinger, Nördlinganus 462
Christophorus Schlauderspach, Noriberg. 215. 236
Christophorus Uffinger Noriberg. 412
Conradus Müller, Altdorffensis 23
Conradus Müller, Herbipolensis 204

D

Daniel à Coraleck, Bohemus 328
Daniel Kreischmair, Bohemus 254
Daniel Nöttelius, Noriberg. 250

E

Elias Bohemus Noriberg. 140 (349
Erastus Artopæus Bucholtensis Franc.

Ernestus à Münster, Eques Franc. 118

F

Ferdinandus Lipstensis, Baro de Colovrad, Bohemus 464
Franciscus Hieronymus Schürstab, patricius Norib. 13
Fridericus Ernestus à Feilitsch, Eques Misnicus 526
Fridericus Schilling, Wratislaviensis (304

G

Gabriel Nützel, patricius Norib. 397
Georgius Carlick de Nezetitz, Bohemus 233
Georgius Christophorus Gellerus, Noriberg. 478
Georgius Erasmus à Tschernembl, Baro Austriacus 76
Georgius Fuchs à Schweinhaupten 287
Georgius Gebhartus Noriberg. 459
Georgius Lindener, Noriberg. 114
Georgius Paulus Nützelius, patricius Noriberg. 153
Georgius Queccius Norib. 67.60
Georgius Rottengatter Norib. 326.335
Georgius Rittershusius, Altorfinus 395
Georgius Sigefridus Coler, patricius Noriberg. 421.440
Georgius Volcamer, patric. Norib. 15
Georgius Zolnerus, Bambergensis 63.

H

Hector Kornfail in Wirmbla, Austriacus 228
Henricus Baro à Tschernembl 93
Henricus Baro à Wildenfels 231
Hermannus à Wersabe, Eques Cattus 41
Hieronymus Baumgartner, patricius Noriberg. 1
Hieronymus Brunner, Pragensis 366
Hieronymus Holtzschuher, patricius Noriberg. 83
Hieronymus Löffelholtz, patricius Noriberg. 497
Hieronymus Marquardus Freher, Noriberg. 506
Hieronymus Schaller Wittenberg. 181
Hieronymus Schenrl, Norib. 533
Hieronymus Schürstab, patric. Norib. 13

I

Jacobus Geuder, patric. Norib. 160.166
Jacob. Pfinzing patric. Norib. 374.427
Jacobus Pömer, patricius Norib. 23
Jacobus Schöner, Norib. 494
Joachimus ab Eglofstein, Eques Borussus 430
Joachimus à Dölaw 162
Joachimus à Wernstet 90
Joachimus Strasburgerus, Lipsensis 278
Jodocus Christophorus Creß, patricius Noriberg. 466
Iodocus Henricus Rockenbach, Fr. 320
Johannes Adamus Stibar à Buttenheim, Eques Franc. 449
Johannes Albertus Peldrzimowski Bohemus 442
Johānes Albinus Schlick Comes in Bassano & Weisenkirchen. 201.211.223
Johannes Andreas Geuder, patricius Noriberg. 86
Johannes Bartholomeus Busenreut, Noriberg. 414
Johannes Bohemus 18
Johannes Christophorus ab Eyb, Eques Franc. 457 (121
Johannes Christophorus à Tauffkirchen
Johannes Christophorus à Tschernembl, Baro Austriacus 66
Johannes Christophorus Busenreut Altorphinus 267

Johan-

Iohannes Christophorus Gugel, Noriberg. 436
Iohannes Christophorus Oelhafen, Noriberg. 142
Iohannes Christophorus Stibar à Buttenheim, Eq. Fr. 359
Iohannes Crassel, Villacensis, Carinthius 486
Iohannes Czaplick, Polonus 362
Iohannes Ernestus Haller, patricius Noriberg. 172
Iohannes Fierlejus, Baro de Dambrowiza 32
Iohannes Fuchs, Altorphinus 536
Iohannes Georgius à Muselóe, Eques Franc. 355
Iohannes Georgius Ayrmann, No. 518.
Iohannes Georgius Rieter, patricius Noriberg. 531
Iohannes Geuder, patric. Norib. 88
Iohannes Gotfridus ab Hutten, Eques Franc. 515 (*mus* 3 7
Iohannes Henricus à Steinbach, Bohe-
Iohannes Iacobus Erythraus, Valentini filius, Argentinensis 12
Iohannes Iacobus Pömer, patric. Norib. 116. 124. (*genſis* 447
Iohannes Iacobus Schopperus, Amber-
Iohannes Iacobus Wolff, Spirensis 377
Iohannes im Hof, patric. Noriberg. 481
Iohannes Ioachimus Guandschneider Noriberg. 156
Iohannes Kaufmannus, Norib. 111
Iohannes Mauricius, Altorphinus 505
Iohannes Onuphrius Hinderhofer, Noriberg. 470. (342
Iohannes Paulus Coler, patric. Norib.
Iohannes Sebastianus Stibar à Buttenheim, Eques Fr. 309
Iohannes Schmid, Noriberg. 339
Iohannes Sigismundus Fürer, patricius Norib. 300. (*liminaris* 4
Iohannis Thomæ Freigij IC. oratio pra-
Iohannes Thomas Freigius junior 71
Iohannes Vastert, Noriberg. 212
Iohannes Vitus Stibar à Buttenheim, Eques Fr. 313
Iohannes Welser, patric. Norib. 137
Iohannes Wolfgang ab Elrichshausen, Eques Fr. 169. 192
Iohannes Staudner, Sulzbacensis 50
Isaacus Luysius, Dodracenus, Hollandus 176
Iustus Kreß, patric. Norib. 56

L

Lazarus Haller, patric. Norib. 103
Leonhardus Dürnhöfer, patr. Nor. 158
Leonhardus Grundherr, patricius Noriberg. 500
Liberius Hofmannus, Thuringus 53
Lucas Fridericus Behaim, patricius Noriberg. 384

M

Marcus Christophorus Gugel, Noriberg. 146
Marquardus Freherus, Augustanus 16
Maximilianus im Hof, patricius Noriberg. 405
Mauricius Buchner, Spirensis 454
Melchior Schlauderspach, Norib. 28
Michael Piccartus Altorphinus 133
Michael Schmid, Norib. 269

N

Nicolaus Fridericus Taurellus, 247
Nicolaus Hieronymus Paumgartner, Noriberg. 281. 294
Nicolaus Sigismundus Oertel, Altorphinus 302

Nicolaus Vogt Wratislavienſis, Sileſius 271.283.

P

Paulus Coler, patric. Norib. 342
Paulus Erneſtus, Norib. 107
Paulus Fetzer, Noriberg. 207
Paulus im Hof, patric. Norib. 495 528
Paulus Pfintzing, patric. Noribergenſis 403.415
Paulus Sidelmann, Norib. 175.198
Philippus Camerarius patric. Nor. 151
Philippus Comes ab Oetingen. 88
Philippus Iacobus Tucher, patric. Noriberg. 407.452
Philippus Rieter, patric. Norib. 19.72
Philippus Ulricus, Norib. 67
Plato Matthias Schiller 46

R

Reimundus im Hof, patric. Norib. 418

S

Sebaſtianus Bohemus, Norib. 18
Sigiſmundus à Münſter, Eq. Franc. 55
Sigiſmundus Oertelius, Norib. 265
Sigiſmundus Kotzell à Reiſental, Bohemus 292
Stephanus Geyger, Norib. 289

T

Theodoricus Iuſtus Aurochs, Thuringus 482
Tobias Fürleger, Norib. 509
Tobias Haller. patric. Norib. 21
Tobias Oelhafen, Norib. 510
Tobias Tucher patric. Norib. 423

V

Vitus Hector à Streitberg, Eques Franc. 275
Vitus Ulricus à Liechtenſtein Eques Franc. 381
Vitus Ulricus Rotenhan, Eques Franc. 390.409
Ulricus Winckler, Lincenſis, Auſtriacus 323

W

Widebertus Comes in Oetingen 20
VVilhelmus Theodoricus Marſchalck ab Ebnet, Eques Franc. 80
VVolfgang. Albertus Pömer, patricius Norib. 473.480.
VVolfgangus Chriſtophorus Stibar à Buttenheim, Eques Franc. 348
VVolfgangus Iacobus Pömer, patricius Noriberg. 400. (393
VVolfgangus Matſeder, Auſtriacus

FINIS.

NORIBERGÆ,
Typis Abrahami Wagen-
manni.

Digitized by Google


Digitized by Google

Digitized by Google